DOMITIJ CHAMEROTAE GRAUINENSIS THEOLOGI, TRACTATUUM DE...

Domizio Camerota Adorno, Giovanni Battista Coccini





NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
14
30 M
10

DOMITII CHAMEROTAE
GRAVINENSIS THEOLOGI,

Tractatuum de Septem Sacramentis nouæ legis

SECVNDA EDITIO.

In qua Doctrinæ non tantum positiuæ, sed scholasticæ etiam ornamenta copiosè refulgent.

Cunctis Theologis, & Canonum Doctoribus, præcipuè verò animarum curatis maximè vtilis.

Indice Tractatuum, Capitum, ac Dubiorum omnium, quæ in tota Sacramentorum materia desiderari possunt apposito.

CVM PRIVILEGIO.



NEAPOLI.

Ex Typographia Io. Dominici Roncaglioli. M. DC. XI.

SVPERIORVM PERMISSV.


DOMITIVS CHAMEROTA THEOLOGƲS AN. ÆT. LII.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

D. FRANCISCO VENDRAMENO,

Venetiarum Patriarchæ amplissimo, Dalmatiæque Primati dignissimo, &c.



MNIBVS hoc à natura comparatum esse, vt suos partus & tueantur, & seruent, quis ignorat amplissime præses? quis namque non videt in inuia via, in præruptis mōtibus, in excauatis lapidibus, & scopulis, in summis arborum ramis, in cryptis, & vallibus imis, vel aues nidificare, vel latitantes feras parturire, nisi vt fœtus proprios seruent incolumes? Immo & tenella plantarum genera hoc ipsum præstare certissimum est. hederæ namque humilesque myricæ, & quercubus, & stirpibus adhærent. & vites ipsæ Vlmis copulantur, & populis, vt alieno præsidio non arescant, sed fulciantur, & viuant; ac non tantum ab imbrium vi, aut Ventorum excussione tueantur, sed fructus suos reddant etiam vberiores. Quæ me ra-

tio monuit Illustrissime præsul, & Princeps, vt cum aliquot de SACRAMENTIS nobilissimos tractatus ipse iamdiù mente concepissem, ac tandem grandem fœtum edidissem, tutissimo in loco reponendum, & seruandum esse duxi. Cùm igitur operi meo & locum & lucem comparare voluerim, multis nominibus hoc tibi munus nostræ obseruantiæ monumentum immortale debebatur. Nam si lucem tuæ nobilitatis quærimus, quid quæso VENDRAMENA domo inter Venetas Clarissimorum Virorum familias nobilitate præclarius? nam quid alia virtutis, atque splendoris tui testimonia omnium Senatorum suffragijs, ciuium consensu, patriæ præconijs, omnium denique prædicatione populorum comprobata commemorem, aut oratione percurram Andream illum Vendramenum, qui pulcher corpore pulcherrimus animo & moribus in amplissimum honoris gradum reiectis competitoribus Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, & Dux, & Princeps est constitutus? Cuius quidem memoriam ita recentibus tuæ prudentiæ luminibus illustras, vt longè superes,

peres,

peres; & maioribus laudum titulis obscures: quòd rerum omnium in summa Italiæ turbatione, semper à te defensa tranquillitas, quæ licèt omnibus cuiuscunque ordinis hominibus iucundissima sit, nescio quo tamen pacto ad litterarum amatores propiùs pertinere videatur. Quis enim est adeo rerum ignarus, qui sapientiæ sedata studia inter bellorum fulmina litterarum vigilias, & lucubrationes; inter excubias militum, bonarum artium disciplinas; inter excursiones equitum, otium denique litterasium; inter cruenta belli negotia consistere posse rne nota temeritatis affirmet? quamobrem qui curiam & forum, & vitæ ipsius (vt ita dicam) consuetudinem reliquit, quò liberè secederet, & virtutis integræ promissa securitate frueretur, ei profectò, quòd in ocioso sapientiæ cultum fecerit, acceptum referre debet, per quem hoc sibi facere semotis impedimentis tutù licuerit. Quòd si Periclem illum accepimus, qui fulgurare, tonare, miscere græciam dictus est, in extollenda militum virtute, qui fortiter pro patria vitam ac sanguinem profudissent, valde

concionem commouisse cùm diceret, quòd superstites Athenienses essent, quòd beati, quòd florentes, quòd præter cæteras nationes sapientissimi, iucundissimis iustitiæ commodis in altissima pace fruerentur; eorum sine contrauersia iuuenum esse certissimum, ac maximum munus, qui ciuium fructum suo dolore, Reipub. salutem sua cæde peperissent: quis non videt eadem in te laudum præconia maiore quodam iure posse transferri? licet enim magna sit eorum laus, qui lucis iactura suorum ciuium periculis consulunt; qua laude VENDRAMENA domus si maximos belli gloria Duces veluti gentilitia sidera repetere memoria velimus, nunquam caruit. tamen illi gloriosius suæ famæ, quàm vtilitati Reipublicæ, quæ fortibus viris semper indiget consuluisse videntur? dum belli faces accensas suo sanguine conantur extinguere: tu ita pacis munera seruasti, vt ciuium etiam vitam, ac sanguinem conseruares, & bello non adolescentium vitam, ac pectora, sed senum consilia ac virtutem obieceris; exemplo tuo omnibus ostendens, quantum virtuti (vt ait ille) arma cedant.

cedant. at hæc sunt tua, tuorumque maiorum munera. Si verò quæ propria tua sunt exponere vellem, quæ dicerem bone Deus, & quàm vera dicerem? sed reprimo me. Illud vnum non tacebo, quòd eam apud omnes opinionem tui, cum Venetam legationem in Subaudiæ, Galliæ, & Viennæ prouincijs, tum demum Romæ exerceres, infinitis propemodum rerum præclarè gestarum titulis, apud Serenissimos Duces, Christianissimos Reges, ac Cæsares, & apud ipsum Pontificem Maximum excitasti, vt facilè effeceris, vt cùm omnia virtuti debeantur, nihil ipse debeas cæteris quod exoluant, multum tibi debeant alij quod acceptes. Tum quòd in petitione Patriarchatus Veneti, doctissimos viros, et omnium genere virtutum insignes, abs te, & doctrinæ, & virtutis contentione, sapientissimorum Iudicum suffragijs, omniumque comprobatione, consensuque nemine prorsus discrepante, fuisse superatos. Tum denique quòd Sapientiæ patrocinium, quod veluti hæreditarium à maioribus habeas, semper susceperis, & studia litterarum afflicta improborum iniurijs, ad gloriæ lucem

cem ac laudem maximis propositis præmijs subleuaris. Accipe igitur hoc illius ocij munus, quo vt perfruamur tua prudentia, & consilio effecisti, vt quod antea peracerbum, & acri quodam mentis impetu properatum cum in lucem prodijsset, iterum redit in lucem tempestiuo ingenij cultu maturum, atq; perfectum. Si te te respicias cui offertur, exiguum; si dignitatem argumenti, & animum offerentis, eximium. & facilè patere, vt quod sub tuis auspicijs adoleuit, tuo nomine veluti immortalitatis nota insignitum, nunquam in posterorum memoria consenescat. Vale. Neapol. Prid. Non. Ianuar. M.DC.XI.

Deditissimus seruus

Domitius Chamerota.

AD PERILLVSTREM DOMINVM

DOMITIVM CHAMEROTAM

ADORNVM, IO. HIERONYMVS MARI.

Altamuranus Antistes.

Quæ Ligurum de gente domus cognomine Adorna
Claruit, & belli tempore, quæque togæ.
Paruit huic subiecta vrbs CHAMEROTA; Grauinam
Hinc petijt; varia sorte agitante Domum.
Manserunt illi cognomina prisca, vel vrbis:
Tu vel ADORNA voles, vel CHAMEROTA voles.
Sacris hanc scriptis, DOMITI, tu doctor adornas.
Moribus, atque pijs hanc super astra locas.
Hinc tibi nobilitas doctrina, ex genteque surgit,
Sed tibi dat maius vita modesta decus.

IN LIBRO INSIGNIS VIRI

DOMITII CHAMEROTÆ,

Io: Francisci Lombardi Neapolitani.

OCTASTICHON.

INter tot proceres sancti, sacrique senatus
Doctus nunc surgit hic CHAMEROTA meus.
DOMITIVS CHAMEROTA Deo quò Carior esset
Aedem etymo ex græca iam sophiæ insinuat.
Sic Satanæ euasit, carnis, mundique domator,
Suffultus Christi scilicet auspicijs.
Hunc igitur lector librum lege, corde reuolue,
Et pro DOMITIO fundito Vota Deo.

Ad

AD DOMITIVM CHAMEROTAM
PAVLI PORTARELLI
EPIGRAMMA.

DVM CHAMEROTA rotis sublimibus ardua cæli
Conscendens penetras abdita sacra Dei,
Illustrasque pijs præsentia secula chartis,
Et ventura etiam; quæ tua scripta legent.
Sacramentorum doctrinæ luce, DOMITI,
Vndique te celebrem publica fama feret.
Et stygiæ furiæ domitæ procul orbe recedent,
Et se discerpent, & sub Auerna gement.
Felix, quæ in lumen te protulit alta GRAVINA,
Felices tantum qui genuere virum.

EPIGRAMMATA.

Caroli Pinti ad Auctoris Cognomen.

HInc chamus, hincque rota est. Cognomen si benè pendos
Hinc lentos motus reddit. & hæc Celeres.
Hoc hieroglyphicum tua vult prudentia nostrum,
FESTINA LENTE, quod super adijcias.

Eiusdem
Totus es in libris edendis, atque fuisti:
Et non in melius sors CHAMEROTA rotat?

Eiusdem.
Quid tibi docte feram merita pro laude DOMITI,
Ni quod sæpe viris das monumenta typis.
Ac facis id, nulli parcens, CHAMEROTA, laboris
Vtilis arte alijs, vtilis arte tuis.
Ni quod tu domitos motus ratione gubernas,
Quæris & æternas nocte dieque domos.

Ad gentilitia ſtemmata, & inſignia, celeberrimi Theologi Domitij Chamerotæ, Pauli Portarelli Epigramma.

Quid ſignificent.



SPlendida Sole Domus, ſuper vndas, pontibus altis;
  Quid ſignant gentis ſtemmata clara tuæ?
Sole micante Domo, Sapientia rara notatur,
  Et Phœbi, & ſacræ Palladis artis opes.
Vnda maris tranquilla vehit ad te limina portos,
  In quo poſt fluctus eſt tibi tuta quies.
Ad cælum tollunt te pontes. namque beatus
  Eſt ſolus ſapiens, ſolus & aſtra tenet.

In

In eadem gentilitia Chamerotarum insignia.

CAR. PINTVS.

Quid Phœbi facies supra quæ præminet? ipsa est.
Virtus quæ toto sol velut orbe nitet.
Alta domus trabibus saxisque innixa, quid est hæc?
Munifico hospitio que capis ore viros.
Est tutum quod pandis iter, pons, labilis vnda,
Palladis vbertas est CHAMEROTA tuæ.

Eiusdem ad DOMITIVM perillustrem virum.

CARMEN.

HVc operose redi labor, huc mea musa redito,
Quæ recines auctor præculta DOMITIVS audit
Carmina, quem dignis pinxisti laudibus olim,
Quem decorant moresque sui, veterumque parentum.
Cui sol est insigne suæ sat nobile gentis;
Quæ Genuæ quondam nomen sibi fecit ADORNI:
Hoc amat, hoc tollit super astra Ligustica tellus
Ex genere exculti hocce viri, terræque marique
(Vera refers Clio) teloque libroque potẽtes.
Ecquis ADORNIADES Italùm quæ est clara propago
Nesciat? ast alia vt se habeant, expone Camœna.
Hæc soboles antiqua venit (sic fertur) ad oras
Propulsa Hesperiæ nostras has, Marte minoris,
Et Picentini sibi deligit oppida ciuis
Quæ èque chamo, èque rota validæ vocitantur in auræ
Temperie CHAMEROTA suo de nomine, dote
Prædita frugifero, Dominorum opulenta suorum
Munere, tum procerum studio, Heroumque superba.
Hinc, & ADORNIADES ditis petiere GRAVINÆ
Mœnia, quem coluere locum, nomenque dedere
E Picentina prima tellure profecti.
Hos ergo appellare licet cognomine vtroque,
Quos Mars, & Pallas venerans exornat ADORNOS,
Et CHAMEROTIADES. Tibi tantum hos Appula seruas.
Incolumes ò Iuno viros? te nonne DOMITI
Edite ab eximia Siren hac prole moratur,
Quem meum, vt hæc tua præmemorant monumẽta, volumen?
Hic viue; & suscepta tuo de lumina Phœbo
Pande alijs, tandem pario de marmore nostris.
Campanis melius condende hic dege sepulchris.

DOMITII CHAMEROTAE GRAVINENSIS THEOLOGI,

TRACTATVS

De septem Sacramentis nouæ Legis.



MAXIMAM habet vita spiritualis cum carnali proportionem. In carnali vita semel nascitur homo; in spirituali semel renascitur per baptismum; ideo *confiteor vnum baptisma*. Ianua igitur hominis in hāc vitam est generatio; regenerationis autem parata baptismus est, qui est ianua Sacramentorum. fit hominis generatio ex homine, & Sole; nam *Sol & homo generant hominem*; fit hominis regeneratio ex aqua, quæ vicem seminis, seu materiæ gerit, & ex spiritu sancto tanquā ex forma; *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, Ioan. cap. 3. Postquam natus est homo in mundum crescit, & in vita carnali roboratur; sic etiam & in vita spirituali, firmatur per confirmationem, quod est secundum Sacramentum; more Apostolorum in Christo renatorum, quibus Lucæ 24. Dictum est, *vos sedete hic in ciuitate, donec induamini spiritu ex alto*; quod in die Pentecostes factum est. at crescere non sat est, nisi con-

tinuò nutriatur homo; absumeretur enim nisi continuò instauraretur alimēto, sicut etiam & lucernæ lychnus absumitur nisi oleum infundatur; en in vita spirituali tertium Sacramentum, quod est Eucharistia; *verè cibus Angelorum factus cibus viatorum, non mittendus canibus*: quare *nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Ioan. cap. 6. infirmatur homo in vita carnali, nam non est quis tam firmis viribus, qui aliquando non cadat, quare paranda sunt illi pharmaca, & medicinalis potus; sic & in spirituali cùm non sit homo qui non peccet, & septies cadat iustus in die, paratur ei medicina quarti Sacramenti, pœnitentia Sacramentalis. idcirco dixit Christus Dominus medicis suis Sacerdotibus, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Sæpe etiam in carnali vita reliquiæ nonnullæ remanent infirmitatis; vnde quintum constituitur Sacramentum extremæ Vnctionis, quo *vngebantur infirmi, & benè habebant*, Marc. 6. At quoniam radix omnium malorum est concupiscentia, præcipuè carnis, hæc erat resecanda per sextum Sacramentum, quod est matrimonium; qui enim continere non potest, nubat in Domino; *melius enim est nubere quàm vri; secundum indulgentiam dico, non secundum imperium*, ait Paulus 1. Cor. 7. Deniq; quoniam in carnali vita nemo ex se morbum expellit, nemo seipsum medetur, ex seipso nascitur nemo, sed aliquo extrinseco agente opus est; idcirco septimum constituitur ordinis Sacramentum, quo Sacerdotes simplices baptismo regenerant, confirmant Episcopi soli, omnes absoluunt, purgant, nutriunt, & matrimonio coniungūt; vnde *sic nos existimet homo vt Christi ministros, & dispensatores ministeriorum Dei*, ait Paulus 1. Cor. 4. ò Sacrosancta septem Sacramenta, septem quasi vincula, & alligatura salutis. Horum igitur Sacramentorum materiam omnibus quidem perutilem, sed maximè Sacerdotibus necessariam, & præcipuè curatis, in lucem damus. Dicemus autem primo de Sacramentis in communi, deinde sigillatim de singulis. in communi verò quinq; sunt exponenda; definitio, necessitas, eff ctus, causa, & Sacramentorum numerus. Videndi sunt theologi in 4. d. 1. Marf. in 4. summ. q. 1. ar. 1. Halens. par. 4. q. 1. membr. 1. Can. 1. par. relect. de Sacramentis.



TRACTATVS PRIMVS DE SACRAMENTIS IN GENERE.



De natura, et definitione Sacramenti. Caput Primum.



RIMVM dubium. Quid est Sacramentum?

℞. Sacramentum est *sensibile signū interioris gratiæ sanctificantis animam, & est eiusdem causa, ad Dei cultum à Christo Domino institutum.* Sacramētum autem quòd spectat ad nomen, tripliciter sumitur. Primo quoad eius etymologiam, Varro l. 4. de lingua latina, deducit à *sacro*, quod propriè Sacramentum ab antiquis dicebatur *iusiurandum*; Cap. qui Sacramentum. 22. q. 4. quod Sacramentum, erat pecunia deposita penes Pontificem, vel in templo à duobus contenden-

tendentibus, vt qui litem amitteret, pecunia sua priuaretur. Deinde significat sacrum mysterium, vel arcanum, seu rem secretam. Tob. 12. *Sacramentum Regis abscondere, bonum est*. idest consilium,& secretum. & Paulus ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*, idest secretum. Postremo significat sensibilia signa gratiæ sanctificantis animam.qua significatione patres, & Concilia Sacramenti nomen vsurparunt; & nos in præsenti sic sumimus. quod enim maius mysterium quàm vt per aquam anima sanctificetur in baptismo? Sacramentum igitur hac postrema significatione sumptũ,sic definitur à Magistro, & alijs in 4. d. 1. & breuius ab August. c. sacrificium. de consecr.d.2.*Sacramentum est signum rei sacræ*.*Signum* pro genere ponitur; quia omne Sacramentum est signum;non contra. & hoc signum est sensibile aliquo quinque sensuum. & est etiam effectiuum; quodlibet enim illorum efficit gratiam saltem instrumentaliter; quia principaliter solus Deus creat gratiam.D.Tho.& omnes 22.q.11. art.8. & ideo ipse solus potest instituere Sacramentum. Conc. Trid. sess 7. Can.8. quomodo verò Sacramenta legis verè, & propriè sint causa gratiæ, dicemus infra. Dicitur deinde esse signum *rei sacræ*, ad differentiam signorum alia significantium; vt sunt signa Zodiaci. Nau.cap. 22. num. 1. Esse autem Sacramentum signum, probatur primò ex Scripturis;de matrimonio,ad Ephes.5.*Sacramentum hoc magnum est,ego autem dico in Christo,& Ecclesia*. De baptismo, ad Rom. 6. *Consepulti estis per baptismum*; idest baptismus est signum passionis. de Eucharistia, 1.Cor.10. *Hoc facite in meam commemorationem*. de Circuncisione, ad Rom. 4. *Et signum accepit circuncisionis*. & Gen. 17. *Circuncidetis carnem, vt sit signum*. Secundo, Sacramenta esse signa visibilia,dicitur ab August. frequenter ep.45.& l. contra Faustum 1. 13. 14.16. & in Ps.77.ep.89.ad Hilar.ep.5. ad Marcell.l.2.contra literas Petil.cap.104.& de ver.religione cap.17.& contra aduersarios legis & prophet. cap. 9. & de Catechis.rud.cap.16.Bern.ser.1.de Cœna Domini. Basil.hom. 13. de exhort. ad baptis. Nyssen. ser. de baptis.Dionys.de Ecclesiastica hierarchia c.1.& 6.Cyprianus,& Tertullianus sæpe vocant Sacramenta signa. Tertio,Sacramenta dicuntur signa, quia sunt signa nostræ professionis. Basil.de baptismo. Quod autem signum sit, est notandum: signum ab August. l. 2. de

doctr.

doctr. Christiana sic describi; *signum est quod præter speciem quam ingerit sensibus nostris, facit aliquid aliud in cognitionem venire*; vt fumus est signum ignis. Signorum autem multa sunt genera; aliud enim est naturale, quod scilicet naturaliter facit in cognitionem venire alicuius rei; sic ploratus est signum doloris. Aliud est ex institutione hominis, vel Dei. Dei, vt agnus paschalis. Hominis, vt ramus est signum vini venalis. Item; aliud signum est speculatiuum, aliud practicum. speculatiuum, vt creaturæ sunt signa Dei; *inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt à creatura mundi intellecta perspiciuntur*. sic etiam voces sunt signa passionum animæ. Practicum est, quod efficit id quod significat; vt illa verba Christi, Ioan. 11. *Lazare veni foras*. rursus, Signorum aliud est intelligibile, aliud sensibile; intelligibile, vt omnis effectus est signum suæ causæ; vt eclypsis Lunæ est effectus interpositionis terræ inter ipsam, & Solem. Sensibile, est quod sensu percipi potest. Signorum item, aliud est rememoratiuum, aliud demonstratiuum, aliud pronosticum; rememoratiuum, est quod alicui datur vt alicuius præteriti recordetur, vt cum quis ligat digitum filo. Demonstratiuum est, quod indicat aliquid præsens, vt fumus ignem. Pronosticum est signum futuri. His positis, dico; Sacramentum est signum non naturale significans ex sua natura; sed ex institutione; non quidem hominis, sed Christi Domini. Non est signum speculatiuum, vt sit de obiecto speculabili tantum, non autem practico; sed est practicum quia significat rem, quæ semper fit, nisi ponatur obex. Sacramentum igitur est [*signum*] pro genere. [*rei sacræ,*] pro differentia. & per rem sacram intelligimus gratiam Dei sacram, & sanctificantem; quod quodlibet Sacramentum nouæ legis significat & producit, ratione ipsius operis applicati, vt infra dicemus; idest confert gratiam ex opere operato, vt dicunt theologi; id est non ratione ipsius recipientis, vel administrantis, sed ipsius operis. Additur item [*rei sacræ*] idest gratiæ sanctificantis, quam principaliter Sacramenta significant. res enim hæc sacra tria significat: primum, est gratia iustificans; & respectu huius, Sacramentum dicitur signum demonstratiuum, demonstrat enim id quod in nobis per Christi passionem efficitur, idest gratia. secundum quod significat sunt mysteria Christi, præsertim passionis; & respectu huius, dicitur signum

rememoratiuum, tertium significatum est, futura gloria; & sic dicitur signum pronosticum. hæc omnia continentur in illa antiphona Sacramenti Eucharistiæ sanctissimæ; *ò sacrum Conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius* [*est signum rememoratiuum*] *mens impletur gratia*, [*est demonstratiuum*] *& futura gloria nobis pignus datur; sic est signum pronosticum*. additur in definitione, Sacramentum esse signum, [*ad Dei cultum*] est enim ad Dei cultum institutum. Christus enim Dominus venit in mundum ad duo præcipuè. primò ad sanandum hominem. *Magnus de cœlo descendit medicus, quia magnus in terris iacebat ægrotus*. secundò ad docendum viam salutis, & consequendi vitam æternam; & propterea Christus fuit medicus, & doctor, vnde adhibuit remedia medici, & doctoris. remedia medici adhibuit, quando instituit medicinam ad sanandum peccata. quatenus fuit doctor, reliquit modum, & præcepta quibus coleremus Deum, & cæremonias. sed optimo artificio fecit, vt vna & eadem res esset medicina, & cæremonia. sed dices, quomodo colitur Deus per Sacramentum? ℞. Dum accedimus ad Sacramenta, recognoscimus Deum Saluatorem, & Christum mediatorem, vt infirmi sumendo potionem à Deo ordinatam, confitemur illum esse Verbum salutis. est igitur Sacramentum ad Dei cultum institutum. idest, cæremonia quædam assumpta in cultum Diuinum. Vnde si esset signum sensibile, & non sacratum per religionem, non esset Sacramentum. August. lib. 14. contra Faustum cap. 11. confirmatur; quia peccata contra Sacramenta sunt sacrilegia. Deinde, Sacramentum est quo profitemur fidem internam. Præterea, quia Sacramenta habent vim sanctificandi ex passione Christi; & passio Christi fuit Hostia sacra. præterea, August. l. 10. ciu. cap. 5. & habetur de consecr. d. 2. Can. Sacrificium. Sacramentum est sacrum signum. & est illi essentiale vt sit religiosum, & ad Dei cultum; quia alioquin sequeretur esse innumera Sacramenta, vt serpens æneus, quia significabat Christum, manna, quia significabat Eucharistiam. Addit verò Cano cur hæc duo non fuerint Sacramenta? quia (inquit) per se primò faciebant effectum corporalem, serpens enim æneus curabat morsus serpentum. & manna edentes saturabat, & omnem saporem habebat. Præterea verba Christi Magdalenæ Lucæ 7. *remittuntur tibi peccata tua*, non erant

Sacra-

Sacramenta, quia non erant ritus. Præterea cum datus est Spiritus sanctus per insufflationem, & linguæ igneæ, non erant Sacramentum, (ait Sotus) quia flatus, & linguæ habent analogiam naturalem, non Sacramentalem. Dices; hoc idem esse de aqua baptismi: R. Ratio est, quia duo sunt, vnum ex parte Dei significantis, & vnum ex parte nostri testificando fidem in Deum; in illis signis erat primum, non secundum. Denique multa sunt huiusmodi, crux, imago, transitus maris rubri. & hic est consensus omnium theologorum. Denique additur in definitione [*à Christo Domino institutum*] vt intelligas, Christum fuisse institutorem omnium Sacramentorum; vt habetur in Concilio Trident. sess. 7. Sacramentum igitur dicitur quasi sacrum, eo quòd sensibilis res applicetur exteriùs, & interùs causet gratiam.

Secundum dubium. Quomodo Sacramenta nouæ legis sint verè, & propriè causa gratiæ?

R. Et dico primò. Sacramenta nouæ legis sunt verè, & propriè causa gratiæ, sed secundaria, & instrumentaria causa; quia primaria est Deus, *gratiam, & gloriam dabit Dominus*, Psal. 83. probatur ex Ioan. cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei, quod enim natum est ex carne, caro est; & quod ex spiritu, spiritus est.* vbi ly [*ex*] nota est efficientiæ, vt arbor ex terra nascitur, lux ex Sole. quarò hoc [*ex*] vel est nota efficientiæ, vel non; si primum, cùm efficiat tam aqua, quàm Spiritus sanctus, vtrobique significat efficientiam. si secundum, ergo negabit efficientiam Spiritui sancto. Secundus locus est Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Christus hic duas salutis causas proponit, fidem, & baptismum; idque eodem tenore verborum. quare vanè tribuitur efficientia gratiæ fidei à Caluino, & alijs hæreticis, & non baptismo; quia Christus salutem promittit sub duplici conditione, fidei scilicet habendæ, & suscipiendi baptismi; at impletio conditionis est vera causa cur promissio sit efficax. Caluinus calumniatur sic: quia, postea repetendo negatiuè quod affirmatiuè prædixerat, solius fidei meminit, dicens; *qui verò non crediderit condemnabitur.* Sed calumnia nulla est: & suppono fidem esse necessariam ante baptismum; ita habetur Act. 8. vbi dicit Eunuchus Philippo; *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* respondit Philippus,

lippus, *si credis, nihil*. Dominus ergo duas causas salutis præmiserat, fidem, & baptismum; & quoniam harum causarum ea est conditio, vt vna sit prior, altera posterior; ideo quando loquebatur affirmatiuè, vtramque debuit explicare; cum negatiuè: sufficit negare priorem causam; quia ea non posita, neque ponitur secunda. Tertius locus est Act. 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Caluinus ait; idest in signum acceptæ remissionis. Contra; quia hoc est deprauare vim verborum; quia in omni idiomate hic loquẽdi modus significat causalitatem. secundo, quia Petrus subiecit, *& accipietis donũ Spiritus sancti*. Quartus locus est Pauli ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. Ly [*per*] significat causalitatem. probatur, quia sic etiam loquitur Scriptura de sanguine Christi ad Rom. 3. Ephes. 1. Coloss. 1. Quintus locus est Ezechiel. 36. de baptismo, *effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. & Zachar. 13. *in die illa erit fons patens domui Iacob in ablutionem peccatorum*. De Eucharistia etiam habetur, Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. ac si diceret, qui sumpserit hoc pharmacum, sanabitur. & ibidem; *qui manducat me, & ipse viuet propter me*. De chrismate Act. 6. & 9. *Tunc imponebant manus super ipsos, & accipiebant Spiritum sanctum*. De ordine, 2. ad Timot. 1. *admoneo te vt resuscites, gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum*. & 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum manuum impositione*. De pœnitentia, Matth. 16. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis*. ac si diceret Rex iudici; quando sententiam tuleris, ego ratam habebo. Illa sententia erit causa. Idem sentiunt omnes patres, & concilia; Concilium Constantiense sess. 8. Can. 45. Mileuit. Can. 2. Laodicẽse Can. 48. Viennense Clement. de summa Trinit. & fide Cathol. C. maiorum. C. fideles. Lateranense sub Innoc. 4. Vrbanus de consecr. d. 5. C. omnes fideles. Concilium Florent. & Trident. sess. 7. Ratio esse potest; quia alioquin omnes formæ Sacramentorum ferè essent falsæ. Secundo, quia hoc differunt noua à veteribus Sacramentis. Tertio, quia instrumentum est id per quod agens producit effectum.

Dico secundo: Sacramenta Mosaicæ legis solũ significabãt gra-

gratiam; non erant causa; & in hoc est præcipua differentia inter Sacramenta noua, & vetera. Probatur primo, ad Rom. 3. *Ex operibus legis non iustificantur coram Deo. Iustitiam autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes.* Secundo, ad Galat. 3. negat Paulus vllum fuisse iustificatum ex circuncisione; sed fuit (ait) signaculum iustitiæ; quod nūquam dicit de baptismo, quod 1. ad Corint. 1. dicit abluisse Corinthios, iustificasse, sanctificasse. Tertio, ad Hebr. 7. *reprobatio fit præcedentis mandati* (scilicet veteris testamenti) *propter eius infirmitatem.* & mox: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* & de nouo testamento ait; *introductio verò nouæ spei est, per quam proximamus ad Deum.* Quarto, 2. Corint. 3. *Idoneos fecit nos ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu; litera enim occidit, spiritus viuificat. Quòd si* (inquit) *ministratio mortis literis deformata lapidibus fuit in gloria, quomodo non magis ministratio spiritus?* Vbi nota, quòd ex Moysis vocatur mortis ministratio, quia dabat cognitionem peccati, non tamen peccato medebatur. Quinto, Ezechiel. 20. *Ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent, & pollui eos in muneribus suis, cum offerent omne quod aperit vuluam propter delicta sua, & scient quia ego Dominus.* Hieronymus ait, quòd ante idololatriam vituli aurei in deserto, Dominus dederat decalogi præcepta, & in illis posuerat præcipuam firmitatem suæ legis, sed post idololatriam, eam onerauit innumeris cæremonijs, & sacrificijs, quæ præcepta non erant mala, sed nec bona: non mala; quia à Deo, & in Deum tendebant, nec bona, quia non erant propter se expetenda vt salutaria; sed quia fuerunt data ad coercendam idololatriam. Idem quod de Sacramentis dicitur Mosaicæ legis, dicendum est de baptismo Ioannis, quod quidem non conferebat gratiam, sed erat figura baptismi Christi. Confirmatur ex concil. Trid. sess. 7. *si quis dixerit Baptismum Ioannis eandem vim habere cum Baptismo Christi, anathema sit.* Quòd si dices, Baptismū Ioannis fuisse de cœlo. Resp. ex Tertull. l. de Baptismo, quem sequitur August. l. 5. de Baptism. cap. 9. & 10. fuisse partim de cœlo, partim de terra: De cœlo, secundum suam institutionem, quia ex Dei mandato. Erat item de terra; primo, quoad effectum, quia non plus sanctificabat, quàm terra, secundo, quoad ritum, quia tantum adhibebat aquam

quæ est de terra, non nomen Trinitatis, vt formam. Idcirco dicit Dominus Act. 1. *Ioannes quidem baptizauit aqua. vos autem baptizamini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Dices, si baptisma Ioannis fuit ex diuino mandato, quare non sanctificabat? Resp. Etiam Deus in lege veteri Sacramenta mandauerat, & tamen non sanctificabant; quia Deus mandauerat tantum, vt esset præparatorium, & non sanctificatorium illud baptisma.

Dico tertio. Licèt Sacramenta Moysis non fuerint causa gratiæ, tamen qui sub lege Moysis vixerant, & legis Sacramentis vtebantur, non carebant gratia; vt patet de Abraham Gen. 15. *Qui credidit, & reputatum est ei ad iustitiam.* Item, de Noë, Gen. 6. & 7. & de Tobia cap. 9. & de Iob cap. 1. & de Hieremia cap. 1. & de Zacharia, & Elisabeth, & Simeone, Luc. 1. & 2. Confirmatur; quia Deus sæpe in lege veteri peccatoribus, & impijs quando ingemuerint, promittit gratiam, & remissionem peccatorum; vt patet in Ezechiele 3. 18. 33. Hieremiæ cap. 18. & alibi. Notandum est igitur, quòd iustitiæ, & gratiæ veterum patrum causa fuit fides in Deum, & in venturum Messiam. Fides si informis, inchoatè; si formata, complete. Quòd iustificabantur ex fide, probatur; quia Paulus ex professo id dicit sæpe, ad Rom. 3. 4. & 5. ad Galat. per totam epistolam. ad Hebr. 10. 11. & 12. Quòd fide formata iustificabantur complete, probatur; sed prius Nota primo, Ad completam iustitiam veterum patrum non sufficiebat sola fides, sed Deus requirebat etiam charitatem, Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Et proximum tuum sicut te ipsum.* & in his duobus præceptis charitatis in Deum, & proximum, totam legem, & prophetas pependisse. Secundo requirebat Deus spem in Deum, & in Messiam; cuius rei testimonia passim sunt in prophetis, 1. Paralip. 10. Psalm. 51. & 77. Sapient. 2. Isa. 31. Abac. 2. Tertio requirebat pœnitentiam commissorum delictorum, Leuit. 5. 2. Paralip. 6. Hierem. 8. Thren. 2. Ezechiel. 18. & 35. Quarto requirebat obedientiam mandatorum, & obseruantiam operum sanctorum. Deuteronom. 2. *Custodite, & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis, vt viuatis.* Deut. 4. Leuit. 18. 19. 20. 2. Paralip. 7. Prou. 2. & 7. Eccles. 15. Ezechiel. 44. Malach. 2. & in toto Deuteronomio. Nota secundo Fides fine chari-

charitate erat informis, ideſt mortua; ſed cum charitate erat viua. Probatur ex analogia formæ, & materiæ in naturalibus; nam iuſtitia conſtabat fide, & charitate; ſed charitas eſt poſterior, & perfectior fide, ergo charitas eſt forma. Probatur minor, 1. Cor. 2. *maior horum eſt charitas.* & 1. Cor. 12. poſtquam Paulus numerauit multa dona Spiritus ſancti, & fidem, ſubdit; *excellentiorem viam demoſtro*; & demonſtrat de charitate. & Matth. 22. dicit charitatis præceptum eſſe maximum. Probatur ſecundo; quia ſcripturæ vocant fidem mortuam ſine charitate. Iacobi 2. 1. Corint. 13. *ſi habuero fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Nota tertio, Fides quæ erat cauſa iuſtificationis patrum, variè concurrebat ad iuſtificationem; tripliciter enim poterat ſe habere: Primo, vt eſſet ſola ſine charitate, & pœnitentia; & hæc nec erat ipſa iuſtitia, nec cauſa ſufficiens ad iuſtitiam. Probatur, quia Dominus multos damnat non propter fidei carentiam, ſed propter carentiam bonorum operum, vt Dauid cui comminatus eſt mortem, 2. Reg. 12. & per Gad, propter ſuperbiam in populo numerando 2. Reg. 14. & Saul propter defectum obedientiæ, 1. Reg. 15. & Heli propter irreuerentiam 1. Reg. 3. & Abſalon propter impietatem in patrem. Qui omnes habebant fidem. 1. confirmatur, 1. Cor. 10. *quia eandem eſcam mandacabant, ſed non in omnibus beneplacitum eſt Deo*; quia quidam perierunt propter idololatriam, quidam ob fornicationem, quidam propter concupiſcentiam, alij propter murmurationem; & tamen non nominatur hic fidei defectus. Secundo, poterat ſe habere fides, vt formata charitate, & tunc erat iuſtitia, & cauſa ſufficiens ad augendam iuſtitiam propter bona opera. Tertio, poterat eſſe vt fides haberet pœnitentiam ſine charitate, & tunc non erat iuſtitia, ſed cauſa ſufficiens diſpoſitiua ad iuſtitiam; quia per fidem vt per fundamentum, & primam radicem vniebantur inchoatè Iſraelitæ cum Chriſto, vt membra cum capite; vnde erat, vt ex capite acciperent influxum meritorum, ideſt quia per merita Chriſti conferebatur illis iuſtitia, & charitas. & ſic debet intelligi Paulus quando dicit: patres veteres fuiſſe iuſtificatos per fidem. Nunc Dico quarto, Licèt Sacramenta Moyſis non conferrent gratiam, tamen fides non erat cauſa gratiæ ſine Sacramentis cum erant poſſibilia. Probatur primo, Deus non promittit

vitam in lege veteri, nec sanctitatem nisi obseruantibus suam legem; sed quædam pars diuinæ legis continebat cæremonias, sacrificia, & Sacramenta; ergo etiam cadebat promissio sanctitatis in eis, qui sumebant Sacramenta. Probatur minor, Exod. 19. *si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta.* Leuit. 18. *mandata mea faciens homo, viuet in eis*; Ezech. 20. *dedi eis præcepta mea, quæ faciens homo, viuet in eis.* Deut. 26. *custodias omnia præcepta, & faciat te Deus populum sanctum Dei tui.* Obijcies, quia multi sancti exposuerunt hæc præcepta, non de sanctitate, sed de affluentia bonorum terrenorum, vel de quadam iustitia carnis. Resp. Quòd quamuis frequentiùs Deus alliciat populum suum ad legis obseruantiam promissione terrenorum, tamen sub his bonis adumbrabantur bona æterna, quæ etiam aliquando promittebantur expressè: nam dicit Deus Abrahæ, Gen. 15. *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* & Isaia 64. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* quæ verba citantur à Paulo 1. Corint. 2. & exponuntur de bonis æternis. & Psal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo.* Idest in cælis. & Psalm. 24. *quis ascendet in montem Domini?* Prouerb. 11. *fructus iusti lignum vitæ, Semen iustorum saluabitur.* Sapient. 5. *iusti autem in perpetuum viuent.* & apud Dominum quædam legalia Sacramenta pollicentur remissionem peccatorum. ergo iustificatio non fit sine Sacramentis, & promittit ijsdem verbis, quibus promittit remissionem peccatorum in lege noua; Leuit. 4. vbi proponit sacrificium hirci pro peccato principis; *rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccatis eius, & dimittuntur ei.* & Leuitic. 4. iubet sacrificium capitis pro peccato ignorantiæ: *rogabitque pro eo Sacerdos, & dimittentur ei.* & Iob, iubetur sacrificium agnæ pro malè iurare, & addit eadem verba. & de sacrificio arietis. & Leu. 6. 14. 19. & Num. 15. repetuntur eadem verba. & August. passim docet, circuncisione fuisse deletum peccatum originale, sicut nunc Baptismate. tract. 30. in Ioan. & l. 2. de peccato origin. cap. 30. 31. & 32. & l. 16. ciu. cap. 27. & l. 3. contra Iulianum, cap. 11. l. 4. de Baptis. cap. 24. Basil. ser. de baptis. cap. 2. Greg. l. 4. mor. cap. 2. Beda in Luc. 2. Nunc denique

Dico quinto; Conferre gratiam ex opere operato esse priuile-

uilegium sacramentorum nouæ legis, & sapienter, & catholicè sanxit Concil. Trident. sess. 7. Can. 8. explicatur: Opus externum (in quo consistit substantia Sacramenti) duplicem habet habitudinem; vnam ad suscipientis fidem, affectum, & interiorem dispositionem, & secundum hanc habitudinem, dicitur habere valorem ex opere operante, vel operantis. dicitur (ex opere operantis,) idest, ex actu interno ipsius sumentis Sacramentum. dicitur etiam (ex opere operante,) quia hæc est differentia inter actum internum, & externum, quia internus sic est actus operatus ab agente, vt sit etiam operans actũ externum. Secunda habitudo est non ad actum internum, sed ad diuinam institutionem, & promissionem; & ex hac posteriori habitudine habet alterum valorem ex opere operato; idest, quia valor iste non nascitur ex virtute interni actus, sed ex virtute talis actus externi. Item nota; Sacramenta veteris legis ex opere operato non habuisse vllum valorem respectu gratiæ, sed solum ex opere operante. Idest, tanta gratia conferebatur sumenti Sacramenta Mosaica, quanta erat interna affectio sumentis. sed in Sacramentis nouis est duplex fructus; idest gratia duplicata: vna nascitur ex opere operante, idest ex mensura internæ dispositionis; altera ex opere operato, idest quod præter priorem, confertur à Deo gratia noua, quæ debetur illi actui externo. Præter igitur gratiam communem, Sacramenta nouæ legis conferunt etiam gratiam peculiarem, scilicet Sacramentalem. est opinio D. Thom. 3. par. q. 62. & in 4. d. 1. q. 1. art. 4. q. 5. Halens. 4. p. q. 5. m. 4. art. 2. §. 1. Bonau. in 4. d. 1. art. 1. q. 6. Riccar. 16. art. 4. q. 4. & est communis omnium. Gratia communis vocatur à Theologis ea gratia, quæ includit primo gratiam iustificantem positam in essentia animæ: secundo, virtutes theologicas, vel infusas ex suo genere. tertio, dona Spiritus sancti, quæ semper sunt connexa cum gratia iustificante secundum probabiliorem sententiam; at peculiaris effectus gratiæ Sacramentalis propriè respicit naturæ corruptelam. & est communis opinio. explicatur: nos indigemus gratia propter tria: primo, vt peccata quæ actu habemus, deleantur. secundo, vt benè operemur, tum peccata fugiendo, tum legem Dei seruando. tertio, ad medendum naturæ corruptæ per peccata præterita; quæ corruptio est ignorantia naturalis intellectus, & natu-

ralis fragilitas, quæ est in voluntate, & naturalis concupiscentia partis sensitiuæ, & magna pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Gratia communis datur propter duo priora; Sacramentalis, propter tertium; quia gratia non affert nobis ita consumatas virtutes, vt deleat, vel tollat naturæ vulnera: ex quo fit, vt ex Augustino l. de bono perseuer. capit. 2. semper sit opus noua gratia; sicut ad videndum semper est opus noua luce. & sicuti aliud est pellere morbum, aliud corpus post morbū corroborare, sic postquam gratia communis deleuit morbos, gratia Sacramentalis corroborat, & nouum auxilium affert. Dictum est hactenus Sacramenta nouæ legis esse verè & propriè causam gratiæ; nunc est dicendum quomodo causent gratiam. ideo sit

Tertium dubium. De modo causalitatis Sacramentorum, in quo sunt aliqua certa, aliqua controuersa.

Primum est certum, duo esse in mundo genera causarum; quædam enim sunt causæ physicæ, & naturales; quædam sunt morales; & ambæ sunt verè causæ; quia his positis, ex earum vi aliud sequitur; quod est proprium causæ, verbi gratia, si quis fodiat, sequitur merces. Causa physica est, quæ actiuo influxu suo, & reali impressione exeunte ab ea, attingit rei productionem. Causa moralis est, quæ nullum habet realem, & actiuum influxum in rei productionem, sed mouet tantum intellectum, & voluntatem alicuius ad aliquid agendum; vt fossio est causa mercedis, quia obligat intellectum domini vineæ, & mouet dominum ad dandā mercedem, & hic modus duplex esse potest: vnus per modum tantum obiecti propositi, & apprehensi, quomodo moraliter mouet consiliarius eum, qui consilium petit; & sic qui precatur mouet alium, & filius matrem. alius modus, fit sub ratione obligationis, & debiti; quæ motio apparet in contractibus, & conuentionibs, vt de fossione diximus.

Secundum est certum; Sacramenta Euangelica esse causas gratiæ saltem moraliter; quamuis non omnes vtantur hoc vocabulo, ratio est; quia scripturæ, & patres compellunt nos tribuere Sacramentis aliquam causalitatem; ergo cogimur dare saltem minimam actiuitatem, scilicet moralem.

Tertium certum est; quòd si Sacramenta Euangelica non solum sint causæ morales, sed etiam physicæ, quòd hanc causalitatem

litatem non habent ex sua natura, sed ex diuina virtute. Vt de qui volunt loqui castigatius, non debent dicere, sunt causæ physicæ: sed causant gratiam more causarum physicarum. At verò tria sunt controuersia.

Primum controuertitur. Cùm constet Sacramenta euangelica esse causas saltem morales, & cùm hæ multis modis possint operari, quæritur quomodo operentur, cum dicitur causare ex opere operato? Prima opinio est Guglielmi Paris. in tract. de Sacramentis, cap. de baptis. & de ordine: vbi non agnoscit aliam causalitatem in opere operato, nisi nudam impetrationem; ita vt Sacramenti administratio non sit aliud, quàm quædam precatio, quæ ex pacto infallibiliter exauditur. Fundamentum est, quia Act. 8. Apostoli collaturi Samaritis Sacramentum chrismatis, orarunt pro eis. Sic etiam Act. 13. qui ordinarunt Paulum, & Barnabam Episcopos, orarunt pro eis. quem ritum seruauerunt etiam Apostoli omnes in ordinandis. Sed hæc opinio ab omnibus reijcitur; Primo, quia non omnes formæ Sacramentorum sunt deprecatoriæ, vt *Ego te absoluo. Accipe Spiritum sanctum*. Ex quo colligitur, quod orationes factæ ab Apostolis in Sacramentis, pertinebant potius ad solemnitatem, & cæremoniam Sacramentorum, quàm ad essentiam. Secundo, quia sancti Patres dicunt, vim sanctificandi non esse in inuocatione ministri, sed in aquæ virtute, quæ operatur etiam ministro non orante. Tertio, quia hæc operatio multum derogat dignitati Sacramentorum. Vnde, non sine causa in institutione Sacramentorum nouorum nunquam dicitur quod dicebatur in antiquis, *& rogabit pro eo Sacerdos*, ad significandum Sacramenta nouæ legis efficere per modum auctoritatis, non per modum suffragij.

Secunda opinio est Altissiodorensis l. 4. summæ, cap. de Sacram. nouæ legis in communi. ait, Sacramenta euangelica non esse causas effectiuas, nec naturaliter quidem, sed materialiter; vt in pyxide continetur medicina materialiter. Hæc opinio repugnat Euangelio, quod exprimit vim effectiuam, & instrumentariam Sacramentorum, non materialem, vt *Saluos fecit nos Baptisma*: sic, *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, & *Emundans eos lauacro aquæ*.

Tertia opinio refertur ab Henrico quodlib. 4. quæst. vlt. & à

D. Tho. in 4. p. q. 1. ar. 4. q. 1. & 2. & in 3. p. q. 62. art. 1. quòd causa gratiæ non sunt Sacramenta, sed diuina ordinatio tantum, quòd posito Sacramento, diuina virtus assistat ad gratiam efficiendam. Sacramentum verò solum est tanquam signum excitans Deum ad gratiam efficiendam. Et ponunt exemplum anuli Regis, & baculi Episcopi. Fundamentum est auctoritas Bernardi serm. de cœna Domini, *sicut inuestitur canonicus per librum, ita nos per Sacramentum*; Sed illa insignia non sunt causæ, ergo, &c.

Quarta opinio est Henrici, qui postquam confutauit præcedentem opinionem, dixit: quòd Sacramenta Moysis, & Euangelica, non differunt in esse causa gratiæ; sed nostra ideo dici causam gratiæ; quia continent causam gratiæ; vel realiter vt Eucharestia: vel virtualiter, quia Baptismus in sua virtute, continet sanguinem Christi; sicut etiam humanitas Christi continebat diuinitatem, & ex illius vi operabatur; sic etiam de Baptismo. Sed contra hunc dico ex Scoto in 4. dist. 1. quæst. 5. quia Henr. confutat tertiam opinionem, & in eandem incidit. quia certum est, Deum esse præsentem omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, & nullo alio modo nisi per nouum, & peculiarem effectum; sed per Henricum in Sacramentis nouis non est aliqua ipsorum causalitas determinans Deum ad peculiarem præsentiam ibi propter peculiarem effectum; ergo est solum præsens Sacramentis ex sua voluntate, & ex pacto, seu ordinatione. at hoc dicebat tertia opinio. Dico ergo contra has duas opiniones tribus rationibus theologorum: prima est D. Thomæ, qui dicit, quòd secundum hanc opinionem Sacramenta Euangelica non excederent rationem signi; at scripturæ, & patres affirmant esse veras causas; ergo illud non sufficit. Obijcies, quia posset dicere Sacramenta esse verè signa, sed practica, idest causatiua: quia sigillum, vel anulus Regis, est verè causa cur mihi detur pecunia ab œconomo. Resp. Dupliciter signum est practicum; vno modo cum est practicum respectu alterius, quia significat aliquid ab alio fieri, vel fieri debere; & sic se habet anulus Regis. altero modo est practicum respectu sui facientis; vt si ego mea voce mouerem parietem, illud esset practicum respectu sui mouentis. Tertia, & quarta opinio faciunt signum practicum primo modo, cùm nullam

tribuant

tribuant Sacramento causalitatem;at scripturæ,& patres,contendunt Sacramentum esse practicum secundo modo; quia dicunt in aqua esse quandam virtutem. Secunda ratio, quia tunc sequeretur,non differre nostra Sacramenta à veteribus;quia etiam posito Sacramento vetere,tanquam anulo regio, dabatur pecunia,idest gratia. Declaro: quia Sacramentum Masaicum erat signum gratiæ practicum primo modo, quia significabat fidem facientem gratum. Tertia ratio ex D. Tho. in 4. sent.si concurreret Sacramentum solum,vt anulus, sequeretur solum esse causam per accidens;quare non deberet poni à sanctis patribus hæc causalitas,quia ea quæ sunt per accidens debent omitti. Distingue tamen,quòd causa gratiæ est tum fides, tum diuina virtus. Hæc vtraque potest dupliciter considerari; primo absolutè, & secundum suam naturam, & sic verum est quòd sunt causa per accidens Sacramenta;& sic debet exponi D.Thomas. Secundo,non absolutè,sed respectiuè ad pactum,& ordinationem Dei statuentis ex pacto non dare gratiam sine Sacramentis;& tunc benè dicit Scotus, quòd Sacramentum est causa per se gratiæ;& sic etiam anulus concurrit per se,licèt vt conditio sine qua non.

Quinta opinio est communis,duce Scoto in 4.d.1.q.5.quem sequitur Durand.ibid.q.4.Gabriel q. 1. & Okan ibid. Aureol. apud Capreol.q.2.Marsil.q.2.ar.3.Bonauen.1.q.4.dicunt duo: Primum, Sacramentū Euangelicum esse verè,& per se causam gratiæ.Secundo,quòd ista causalitas dupliciter potest intelligi:Primo,vt sit causa,sicut dispositio est causa necessitans, sed ex sola diuinæ virtutis assistentia ex pacto.Secundo,vt Sacramentum se habet ad gratiam causaliter,eo modo quo effectus, aliquis prior se habet causaliter ad effectum posteriorem per se ordinatus aliqua lege ad illum.

Sexta opinio est Melchior Cani in relect. de Sacramentis in genere,4.par.qui dicit duo: Primo, præter causas physicas distinguit alia duo genera causarum: Primum genus est causarum moralium,& sunt illæ,quæ liberè mouent aliquid, vt patet exemplo consulentis,& precantis,& offerentis pretium.Secundum genus,in quo dicit esse causas, vel rationes motiuas, & ponit quatuor exempla:Primum filij,quē mater amat, quia ipsum genuit.Secundum pulchræ puellæ,quæ amatur, quia est

pulchra. Tertium est Diui Thomæ Apostoli, qui in Christum credidit, quia vidit. Quartum est exemplum Abrahæ, qui suo facto in filij immolatione mouit Deum vt Abrahæ benediceret. Dicit secundo, Sacramenta esse causas gratiæ, non motiuas, sed morales; quia Christus statuit nobis suum meritum applicare per Sacramenta, vt per carnales: & hoc modo fuerunt etiam causæ morales humanitas, & sanguis Christi ad humanam redemptionem. Hæc opinio est inintelligibilis; quia hæc distinctio causarum moralium, & motiuarum, non subsistit; nam triplex potest fingi differentia; Prima, quòd causa moralis sit, quæ moueat per aliquem actum elicitum. Motiua verò quæ moueat seipsa sine alio actu, & operatione. Hæc differentia non valet; quia sequeretur Abrahamum non fuisse causam moralem; sed fuit, quia fecit aliquam operationem, scilicet immolationem filij. Secunda differentia, quòd causa moralis sit, quæ non est ipsa quæ mouet, sed continet causam motiuam: & sic Sacramenta dicerentur moralis causa, quia continent sanguinem Christi. non valet, quia falsò dixisset Canus, Sacramenta esse causam, vt sanguis Christi; quia sanguis Christi non continet sanguinem, sed est ipsa causa, & per se, & non hoc modo; ergo & ille qui consulit, mouet per se, & tunc vocatur causa moralis. Tertia differentia, quòd causa motiua sit veluti conditio sine qua non; & moralis sit causa, per quam: non valet, quia sicut causarum physicarum quædam sunt causæ per quas, quædam sine quibus non; ita etiam de moralibus. relinquatur igitur hæc opinio. & sit hæc conclusio: Sacramenta Euangelica sunt causæ morales per quas gratiæ, & non vt conditiones, sine quibus non. Hæc conclusio conuenit cum quinta opinione. probatur primo: quia Patres, & scripturæ tribuunt Sacramentis efficaciam, & virtutem operandi, quæ non sunt conditiones; quia conditio non habet virtutem, & efficaciam. Secundo, quia modus loquendi de Sacramentis in patribus, & scriptura, competit propriè instrumentis, vt instrumenta non sunt conditiones. Tertio, quia scripturæ iisdem loquendi modis vtuntur de sanguine Christi, & Sacramentis; at sanguis Christi est causa per quam, ergo &c. Quarto, quia tunc Euangelica Sacramenta nō differrent à mosaicis; quia in his causa per quam, erat fides; Sacramentum vero erat conditio; at Sacramenta nostra iustificant ex opere opera-

operato; ergo aliquid aliud superaddunt, & non sunt tantum conditio.

Secundum quod controuertitur est: An causare ex opere operato competat aliquo modo Sacramentis Mosaicis. Prima opinio est Magistri in 4. dist. 1. vbi dicit nullum Sacramentum Moysis fuisse causam gratiæ, neque etiam ex opere operante, excepta circuncisione, cui tribuitur hoc, quòd remittebat peccatum originale, sed non dabat gratiam. Contra hunc sentiunt omnes Theologi: Primo, quia remissio peccati non fit sine gratia, iuxta illud: *iustificati per gratiam*. Secundo, quia cùm peccatum sit malum priuatiuum, non potest tolli nisi per positiuum quid, idest ponendo aliquid, scilicet gratiam.

Secunda opinio est Hugonis de S. Victore l. 1. de Sacramentis. par. 11. cap. 5. distinguit duplex opus operatum; vnum per se, & est cum Sacramentum per se, & immediatè ordinatur ad gratiam conferendam; & hoc tantum tribuit Sacramentis nouæ legis; alterum per accidens, idest quando Sacramentum nō per se primò, & directè ad gratiam ordinatur, sed ad fidem profitendam; & per hanc causat gratiam. & dicit Hugo quòd Sacramenta veteris legis omnia causabant gratiam non solum ex opere operante, sed etiam ex opere operato secundo modo. Contra hanc omnes Theologi insurgunt; quia si sic gratiam causassent, non essent dicenda iusticia carnis, sed iustitia spiritus. hæ duæ opiniones sunt extremæ.

Tertia opinio media dicit, circuncisionem solam contulisse gratiam ad effectus priuatiuos, non ad positiuos; idest, ad abolendum peccatum, sed non ad faciendum hominem iustum positiuè, & ad reprimendas concupiscentias. & hæc opinio loquitur indistinctè de opere operante, & operato; refertur à D. Tho. in 4. dist. in 1. q. 1. art. 5. q. 2. & 3. par. q. 62. art. vlt. & q. 70. art. 4. & à Bonau. Confutatur; quia peccatum non potest aboleri nisi per gratiam informantem, quæ si est in anima, facit hominem gratum Deo.

Quarta opinio est Bonau. vbi dicit circuncisionem solam ex omnibus Sacramentis Mosaicis contulisse gratiam ex opere operato, ... è ad ef... ... ctus priuatiuos, sed semi... lenè ad effectus positiuos, idest ad stabiliendum in bono contra omnes concupiscentias. est etiam D. Tho. in 4. sed eam in 3. par. q. 62. retractat, & meritò; quia minima quæuis charitas, vel gra-

tia plus diligit Deum, quàm quæuis concupiscentia qualibet concupiscibilia.

Quinta opinio est Scoti in 4. dist. 1. q. 6. & q. 2. art. 2. Durandi ibid. q. 5. Halensis 4. par. q. 4. m. 5. art. 1. & q. 3. m. 4. artic. 1. Riccardi in 4. distin. 1. art. 3. q. 4. dicunt hi, duplex fuisse genus Sacramentorum Moysis, quædam æquiuocè, & largè, & hæc non conferebant ex opere operato, vt erant cæremoniæ. Secundo erant Sacramenta vera, & erat tantum circuncisio; & contulisse gratiam plenam ad effectus priuatiuos, & positiuos. Probatur primo, quia Deus pepigit cum Abraham de gratia danda huic operi externo, quod est circuncisio; ergo operabatur ex opere operato. Secundo, quia circuncisio ordinabatur ex seipsa ad delendum peccatum originale; at hoc non poterat deleri fine gratia; ergo ex se ordinabatur ad gratiam. Tertio, puer qui circuncidebatur, non iustificabatur ex opere operante; ergo ex opere operato. probatur antecedens; quia vel iustificabatur ex fide propria, sed hac carebat puer; vel in fide Sacerdotum, & hoc non; quia sicut nunc valet Baptismus Hæreticorum, ita etiam tunc circuncisio Sacerdotum Hæreticorum. Vel in fide Synagogæ, quæ tunc erat vera Ecclesia; & hoc non; Primo, quia sequeretur quòd mereri alteri primam gratiam, esset alterius quàm Christi, qui habet gratiam capitalem; & hoc alteri non conceditur. Secundo, quia sequeretur magnam copiam gratiæ collatam fuisse in circuncisione, & maiorem quàm nunc in Baptismo. Probatur, quia fides Synagogæ collecta tota simul, profectò merebatur magnam gratiam, & maiorem quàm nunc fortasse in Baptismo; quia possunt esse maiora merita.

Sexta opinio est D. Tho. quòd nullum Sacramentum conferebat gratiam ex opere operato, sed omnia (nullo excepto) ex opere operante. Verum quinta opinio Scoti partim potest conciliari cum sexta, partim est confutanda. Potest conciliari, quia (vt ait Capreolus in 4. dist. 1. q. 2. ar. 3.) dupliciter intelligi potest opus operatum: vno modo largè, vt sit id causare ex opere operato, quod est conditio necessaria sine qua non operaretur, & hoc modo sumpserunt Scotus, & reliqui, opus operatum; scilicet quòd circuncisio erat conditio necessaria; & sic etiam sexta opinio concedit. Alio modo propriè, quòd solum competat causæ, per quam ad dandam mensuram separatam

ratam gratiæ ab illa gratia, quæ dabatur ex fide, quomodo dicunt causare nostra Sacramenta; vt exponunt D.Tho. in 4.dist. 1.art.5.quæstiuncula 1.Halens.4.par.q.4.m.5.art.1.& q. 3.m. 4.art.1.Alber.in 4.dist.1.art.8. & 19. & alij. Idque vno ex tribus modis; vel per modum dispositionis; vel per modum effectus prioris, & posterioris; vel per modum sanguinis Christi applicati Sacramentis nostris; idest, quia Christus suo sanguine fuso meruit Sacramentis, vt illis deberetur simpliciter quędam gratiæ mensura distincta à gratia fidei; & si hoc modo sumatur opus operatum, falsum est vllum Sacramentum Moysis fuisse causam gratiæ. Probatur primo, quia vniuersaliter dixit Ioannes Baptista Ioan.1. *lex per Moysen data est, gratia per Iesum Christum*. Vnde quicquid se tenet ex parte legis, vacuum est à gratia: vt verò se tenet ex parte Christi, idest ex parte fidei in Christum, tunc non est vacuum gratia. sic ad Galat. 3. ad Hebr. 7.& 9.& 1.Pet.3. Secundo, quia scripturæ particulariter loquuntur de circuncisione, & eam spoliant gratia. & Paulus ad Galat. 5. ex professo auocat Galatas à circuncisione, quia hæc non iustificat, sed fides. sic etiam Rom.4. & Col. 2. & Ad argumenta quintæ opinionis Respon. ad primum, concedo fuisse pactionem Dei, sed hæc pactio fuit, vt circuncisio esset conditio. Confirmatur; quia in Leuit. de sacrificijs etiam habentur eadem verba, quæ de circuncisione; & tunc illa sacrificia non conferebant gratiam ex opere operato. Ad secundum Respon. quòd ideo promittebatur gratia. Ad tertium Respon. quòd saluabantur fide Ecclesiæ, & synagogæ. Ad primum absurdum Respon. quòd mereri gratiam alteri ex condigno, est capitis; at mereri ex congruo infallibiliter, est etiam non capitis; quia D.Thom.1.2.q.104.art.6.dicit, iustos posse mereri gratiam peccatoribus ex congruo. Dixi (infallibiliter,) quia erat pactum diuinum. Ad secundum absurdum Respon. quòd Deus determinauit quendam gradum fidei Synagogæ, quem applicabat infantibus.

Tertiũ quod controuertitur est. An physica efficiẽtia cõcedẽdà sit Sacramẽtis ad iustificationem? Hic sunt duæ opiniones: Prima est communis omnium Theologorum, quos supra citaui; qui dicunt Sacramenta non habere aliquam qualitatem, qua producant iustificationem, sed tantum esse causam in genere morali. Bonauentura dubiè loquitur in hac re, qui refert

vtranque

vtranque opinionem,& relinquit rem dubiam; sed magis pendet in hanc, quòd non causent physicè. Scotus etiam habet quędam verba, in quibus videtur dubitare; quia exponens causalitatem Sacramentorum nostrorum, comparat quibusdam exemplis partim moralibus, partim physicis. moralibus, vt exemplum de merito, & præmio; Physicis, vt exemplum de motu, & termino, & dispositione cum forma, & instrumento cum opere artificiato; quæ quidem physicè concurrunt. sed tamen Scotus putabat hæc tria exempla concurrere quidem physicè, non per aliquam qualitatem qua attingant effectum; sed per solam naturalem coordinationem; & non quòd hæc habeant quandam qualitatem, & actiuitatem impressam.

Secunda opinio est D. Thomæ, qui sentit sacramenta Euangelica esse causas non solum morales, sed etiam physicas; & physicas, non per solam illam ordinationem Scoti, sed per quandam qualitatem supernaturalem infusam à Spiritusancto Sacramentis ad efficiendam physicè gratiam. Eandem qualitatem dicit esse infusam à Spiritusancto humanitate Christi ad facienda miracula.

Sed contra hanc sententiam D. Thomæ circa efficientiam physicam, sunt tres præcipuæ difficultates: Prima nascitur ex ipso D. Thoma, qui cùm solus introduxerit in Ecclesia hanc efficientiam physicam, non tamen adeo latè illam posuit, vt non possit alium sensum pati. ita vt Caietanus quæst. 62. art. 4. in tertiam partem, & Sotus in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. & 4. negent D. Thomam posuisse hanc qualitatem supernaturalem in humanitate Christi, & Sacramentis; sed dicunt primo, quòd D. Thomas in Sacramentis, & humanitate, ponit quandam efficientiam realem, veram, physicam, & instrumentariam; sed hoc non esse qualitatem, sed nudam Dei deputationem talium instrumentorum ad talia opera. Secundo dicunt, quòd ista Dei ordinatio à D. Thoma variè appellatur; aliquando idoneitas, aptitudo, vel potentia huius rei potius quàm illius. vt, ad regenerandum est maior idoneitas in aqua, quàm in oleo. aliquando vocat esse effectiuum instrumentaliter: aliquando vsum passiuum instrumentorum; idest, hoc quod est adhiberi instrumentum, vel vti passiuè; idest, quòd hoc instrumentum subiaceat diuino vsui; & iste vsus duplex est: vnus vniuersalis in prima Sacramentorum institutione, quando in-

stituit Baptisma in aqua, tunc cœpit vti. alter vsus est in ipsa applicatione materiæ Sacramentalis ad subiectum, quæ applicatio quia fit per ministrum Christi, censetur fieri per Christum. aliquando vocat motum instrumenti, sed non quemlibet motum, sed motum virtuosum, vel artificiosum; quia potest instrumentum moueri, vel simpliciter, vt ab ignaro artis; vel artificiosè, & virtuosè; vt cum mouetur ab artifice. concurrit autem instrumentum per motum artificiosum, non per quemlibet motum: exemplum est de citharædo mouente citharam, & de alio nesciente sonum. sic aqua dupliciter potest applicari; vel simpliciter, & sic non habet vim; vel sub quibusdam verbis notis, & tunc incipit hic motus esse virtuosus. Dicunt tertio, quòd posita hac opinione, potest D. Thomas conciliari sibi, quamuis videatur sibi repugnans; nam quia iste vsus instrumenti non est quilibet motus, sed motus virtuosus; & quia motus simplex differt à se ipso vt virtuoso formaliter; ideo D. Tho. ponit in Sacramento tum motum quendam, tum quandam virtutem. & contra; quia motus simplex à se ipso virtuoso non differt realiter, ideo D. Thomas aliquando dicit Sacramenta non concurrere nisi tantum per motum, idest per istam rem, quæ est motus virtuosus. Probant hanc esse opinionem D. Thomæ. Primo, quia D. Tho. 3. par. q. 62. art. 4. probat Sacramento debere inesse quandam virtutem ex eo quòd est instrumentum Dei ex ratione communi, scilicet, quòd sit instrumentum. & D. Thomas 3. par. q. 62. art. 1. definit in communi instrumentum non concurrere nisi per motum artificis; ergo cum loquebatur de virtute, intelligebat tantum istum motum virtuosum ita ordinatum ab artifice. Secundo, D. Thomas 3. par. q. 62. art. 4. ad primum, & ar. 1. in corpore, dicit virtus Spiritualis est in Sacramentis inquantum ordinatur à Deo ad effectũ Sacramenti. Tertiò, in 3. par. q. 62. art. 4. ad primum, eo modo (inquit) virtus Spiritualis exit à Spiritusancto in aquam, quomodo à mẽte proferentis vocem exit in vocem quædam virtus Spiritualis, quæ attingit mentem; sed mẽs (ait Caietanus) nihil imprimit voci nisi tantum motum, & illud est ens rationis, scilicet significationis; sic etiam in Sacramentis. Quarto, frequenter apud D. Thomam habetur hæc differentia inter instrumentum coniunctũ, & separatum; quòd separato debet imprimi quædam virtus, quæ manet cessante

motore

motore, vt in proiectis; sed in coniuncto sufficit imprimere motum sine virtute. Sic Sacramenta comparantur cum Christo vt instrumenta coniuncta, quia sunt coniuncta cum ministro, per quem Christus baptizat. nunc contra hanc Soti, & Caietani opinionem, sit hæc

Conclusio. Certum est in D. Thoma imprimi à Spiritu sancto aliquid reale Sacramento, per quod attingat physicè, & actiuè gratiam. est Capreoli in 4. distin. 1. q. 1. Paludani ibid. & ita intellexere D. Tho. Henr. quodl. 4. q. vlt. Durand. Aureol. & omnes nominales. Probatur primo, quia in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quæstiuncula 1. & 3. par. q. 62. art. 4. in corpore, recitat D. Thomas opinionem dicentem, Sacramentum esse causam gratiæ ex solo Dei pacto; & confutat; quia hæc opinio non excedit rationem signi; at Sacramentum est causa gratiæ instrumentaria per quandam virtutem, qua inducit, & attingit effectum gratuitum, quamuis hæc virtus sit incompleta in esse naturæ. Secundo, in 3. par. q. 2. art. 3. ad secundum, dicit: hanc virtutem quæ est in Sacramentis, esse quodam accidens; & dicit, hoc accidens dum causat gratiam non migrare de subiecto in subiectum; quia gratia non exit à Sacramento vt aliquid, quod in Sacramento erat, & mox transit ad aliud, sed vt causa. Tertio, 3. par. q. 62. art. 1. decernit D. Thomas Sacramentum esse instrumentum Dei. artic. 2. dicit, esse instrumentum ad causandam gratiam Sacramentalem. art. 3. dicit esse instrumentum continens gratiam, non vt vas Aquam, sed vt Sol lumen. ar. 4. petit, vtrũ ad hoc vt sit instrumẽtum sit opus ponere virtutem causatiuam vt in subiecto; & respondit, quòd sic. quæ virtus dicit esse vt motum quendam. Hoc igitur reale quod ponit D. Thomas in Sacramento, est qualitas, vel potentia actiua; nam in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quæstiuncula 2. dicit, virtutem quæ est in Sacramento, non esse ordinationem diuinam, quia ordo est relatio; at hæc virtus est principium motus, non respectus. Ibidem ait, virtutem causatiuam esse completè in particulari agente; sed in instrumento esse rem aliquam medi am inter puram potentiam, & purum actum; & se habere vt motum, & sicuti colorum intentiones in medio. Vnde ad argumenta Caietani

Ad primum Respon. Verum est Sacramenta causare gratiam per motum Spiritus sancti, sed hic motus non est loca-

lis

lis, sed est alteratio, qua producitur qualitas in Sacramento. & q.27. de Veritate ar.4. ad quartum, dicit hanc virtutem vocari motum, quia habet suum esse in fieri.

Ad secundum Respondetur, duplicem esse ordinationem: vnam non operatiuam, id est ens rationis; & de hac non loquitur D. Thomas. alia est operatoria quæ imprimit virtutem ad quam rem ordinat, vt, *ordinatione tua perseuerat dies*: & de hac loquitur D. Thomas. Ad tertium Respondetur: non solum hoc argumentum nobis non nocere, sed etiam fauere. probatur, quia in 3. p. q. 62. ar. 1. 3. & 4. ait D. Thomas, sacramentum non solum esse signum, vt est vox, sed etiam esse causam. & explicans quo modo possit Sacramentum corporeum attingere animam, reprobat, & explicat exemplo vocis, argumento ab analogia signi, ad analogiam causæ; quia sicut vox cùm sit res corporea potest mouere intellectum significando; sic Sacramentum potest mouere animam causaliter. Vnde in conclusione in qua applicat exemplum exemplato, concludit sic: Sacramentum non habet vim significandi, sed causandi. & in 4. d. 1. q. 1. art. 4. quæstiuncula 2. ad quartum, repetit hoc idem exemplum vocis, & dicit: quòd non est mirum si potest Deus imprimere vim causandi Sacramento corporeo, nam etiam imprimit anima vim productiuam semini, & intellectus voci. Ad quartum Respondetur, ibi esse duo absurda: Primum, quòd Sacramentum sit instrumentum coniunctum, quod soli humanitati Christi à sanctis conceditur. Secundum, quòd negat instrumento coniuncto imprimi virtutem, sed separato. Dico ergo, quod neutri instrumento virtus imprimitur secundum alios. secundum alios vtrique.

Secunda difficultas contra opinionem D. Thomæ nascitur ex patribus, qui nullam qualitatem physicam agnoscunt in Sacramentis, vel miraculis ab humanitate Christi proficientibus; sed dicunt Sacramenta solum operari circa corpus, Deum, verò ex pacto infundere gratiam. Hieronymus in Isai. 4. ex verbo Ioannis dicentis *ego vos baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto*; ait: *discimur quo homo tantum aquā tribuit, Deus autem Spiritum sanctum, quo & sordes abluuntur, & sanguinis peccata purgantur*. sic etiam in Matth. 16. dicit; *quomodo leprosum Sacerdos Mosaycus mundum, vel immundum facit; sic Euangelicus Sacerdos alligat, vel soluit*. Augusti-

nus l. 15. Trinit. cap. 26. dicit; *nullus discipulorum Christi dat Spiritum sanctum, orabant quippe vt venirent in eos quibus manus imponebant.* & l. 83. 99. q. 53. *quadam* (inquit) *Deus facit per alios, quaedam per se sine media causa, vt animas illuminare, & sanctificare.* Ambrosius l. 10. epist. 84. ad Demetriadem: dicit, in Sacramentis esse duo, formam visibilem, & estrinsecam; & hanc dicit fieri à ministro; & effectum sacramentalem in anima, & hunc dicit fieri à Deo. Cyprianus in ser. de stella, & magis, dicit: *Spiritus sanctus aquis, & sanguini superfertur, quod facit occisio baptizante Spiritu sancto, hoc & mersio operatur.* Vnde dicit idem operari occisionem martyris, & mersionem baptismi; at occisio operatur moraliter, non physicè. Nyssenus in ser. de baptismo, per multa verba dicit, effectum interiorem fieri à Deo, aquam verò solum adhiberi ad significandum effectum. & ibidem subijcit, aliud esse abluere corpus, aliud animam; aqua corpus abluit, & corpori affert benedictionem; at solus Spiritus abluit animam. August. in Ioannem tract. 8. dicit, ideo seuerè respondisse matri in nuptijs Canae Galileae, vt ostenderet ad opera miraculosa non concurrere humanitatem quam acceperat à matre. Ambrosius l. 5. in Lucam cap. 3. *liberare* (inquit) *à Damone & homines possunt; sed in verbo Dei: sed resurrectionem mortuorum impetrare, solius diuinae potestatis est.* Sic haec

Conclusio: etiam si in Sacramentis, & in facientibus miracculis, dicamus esse physicam causalitatem, hoc est scripturae consentaneum, & patribus; quę cum de Christi humanitate faciente miracula loquuntur, verbis physicis vtuntur: Luc. 6. *omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes:* & cap. 8. Christus tactus ab Emoroissa, ait; *noui virtutem de me exisse.* & patres, & concilia passim prædicant Christi humanitatem esse organum Dei, & instrumétum, quod est proprium causae physicae. ita Cyrillus in epistola ad Monachos Ægypti, quae approbatur in Concilio Ephesino, item pro recta fide ad Theodosium, & de recta fide ad Reginas. & Paulus Emyssenus hom. 14. quę etiã approbatur in Concilio Ephesino. & Athanasius de incarnatione Verbi. Damascenus lib. 3. cap. 18. & 19. Theodoretus in dialogo immutab. Clemens Alexandr. in paraen. ad gent. Eusebius demonst. euang. l. 4. cap. 13. & id de fide decreuit Concilium Constant. 6. act. 10. & sunt alij innume-

innumeri patres. tamen etiam si hoc dicamus, dicimus etiam efficientiam hanc physicam sic esse consentaneam patribus, vt contraria sententia nec sit hæretica, nec temeraria, excepta forte Christi humanitate; quia de ista ita dogmatice loquuntur, & clarè concilia, vt non audeam contrarium affirmare. non est hæretica, quia licèt euasiones contra sententias patrũ sint duriores, non tamen sunt euidenter falsæ, nec aliquo decreto Ecclesiæ condemnatæ. non est temeraria; primo, quia defenditur à maiore parte doctorum. secundo, quia patrum testimonia quæ superiùs allegaui, quæ non negant aliquam virtutem supernaturalem à Deo immitti Sacramentis, negant tamen naturalem virtutem.

Tertia difficultas nascitur ex ratione; nam videtur repugnare lumini naturali hæc physica causalitas in Sacramentis. Prima ratio nascitur, quia est inintelligibilis hæc species huius nouę qualitatis. Probatur primo, ista virtus sacramentalis, vel miraculorum, vel est ens fluens, vel permanens: si permanens, est contra D. Thomam 22. q. 178. art. 1. vbi dicit non esse permanentem; & probatur, quia hæc virtus in Sacramentis imprimitur dum Sacramentum est in vsu, quod est transiens, non permanens. Si est transiens, contra, ens transiens nihil aliud est, quàm ipsa operatio; at in Sacramentis duplex operatio esse potest: prima externa, idest ipsa ablutio; & constat hanc esse ineptam per se ad gratiæ productionem, quia est corporalis: alia est operatio, scilicet productio formæ; at hæc non est in Sacramento sed in homine in quo producitur; quia productio quæ est motus, non distinguitur à termino qui est productus. Respondetur, quòd Sacramento concurrente cum Deo duplex est operatio, & duplex operatum interuenit: vna operatio est solius Dei imprimentis virtutem transeuntem Sacramento; quæ operatio si sumatur vt exit à Deo, est in prædicamento actionis; si vt recipitur in Sacramento, est in passione; si specificetur ex termino, est in qualitate; quia est alteratio, quæ imprimitur in Sacramento. & hæc prima operatio distinguitur à gratia realiter, & subiectiuè. Secunda operatio est ipsa productio gratiæ, & hæc non est solius Dei, sed etiam Sacramenti; & hæc est in homine, non in Sacramento; quia est gratia in fieri. & de hac operatione procedit argumentum. Secunda ratio nascitur ex subiecto in quo recipitur, nam ista qua-

litas vt sit proportionata effectui spirituali, debet esse incorporea; sed qualitas spiritualis non potest inhærere in subiecto corporeo, vt est Sacramentum, ergo &c. probatur minor; quia si hoc esset, oporteret spirituale fieri diuisibile vt coextenderetur subiecto diuisibili; at hoc est absurdum. Respondit Paludanus, quòd hæc virtus ideo potest in corpore subiectari, quia licèt sit virtus spiritualis terminatiuè, idest, quia terminatur in rem spiritualem; non tamẽ secundum suam formam est corporalis. neque mirum si corporale agat in spirituale, nam etiam phantasma agit in intellectum, & in speciem intelligibilem. Hæc Responsio est falsa; quia virtus hæc ponitur in Sacramento ad ipsum eleuandum, & proportionandum effectus gratuitos; sed hæc improportio non fundatur in ratione talis vel talis corporei simpliciter; vnde si virtus est corporea, manet eadem improportio. ad exemplum de phantasmate, dico; quòd si phantasma datur, nego phantasma quicquam agere; anima enim per imaginationem imaginatur obiectum medio phantasmate; & deinde eadem anima per intellectum agentem elicit speciem intelligibilem similem ei quod per phantasma est imaginata. vnde est naturalis ordo inter imaginationem, & intellectum; & inter speciem intelligibilem; & phantasma. Respondit Capreolus hanc virtutem esse spiritualem, & incorpoream, tum terminatiuè, tum essentialiter. quamuis (inquit) magis propriè dicamus cum D. Thoma de Verit. q. 27. art. 4. ad 5. hanc virtutem non esse ens corporeum, neque incorporeum, sed tendere siue esse ad ens incorporeum; quia ratio corporei, & incorporei competit entibus completis, entia verò incompleta potius sunt ad ens, quàm entia. & addit, hanc virtutem subiectari in Sacramento corporeo, ita vt tota sit in toto, & tota in qualibet parte. & nomine Sacramenti, non intelligitur sola materia, sed materia in vsu, vtpotè ablutio; ita vt ablutio sit subiectum huius virtutis; sic etiam prolatio verborum. & hæc responsio est vera.

Tertia ratio nascitur ex mensura, quæ mensuratur duratio actionis sacramentalis. & est argumentum Scoti, Durandi, & Aureol. hæc actio physica vel mensuratur tempore, vel instanti; idest aut est actio diuisibilis, aut indiuisibilis; non primum, quia acquisitio gratiæ quæ est ipsa actio sacramentalis, nõ potest fieri diuisibiliter; nam omnis successio in acquisitione formæ na-

mæ nascitur vel ex parte subiecti per quod successiuè forma perficitur;at anima est indiuisibilis.vel ex partibus gradualibus formæ ; sed hoc non potest esse ; quia oporteret in principio prolationis verborum acquiri vnum gradum gratiæ,& cōsequenter alium & alium,& hoc est falsum; quia gratia tota simul acquiritur. Vel propter expulsionem contrarij;neque hoc potest esse; Primo,quia non semper Sacramenta supponũt peccatum contrarium gratiæ,vt Eucharistia. Secundo, quia hoc contrarium, siquod est,peccatum est; sed peccatum cùm sit priuatiuum, expellitur in instanti per positionam contrarij:hinc fit,actionem non esse diuisibilem. neque potest esse indiuisibilis, & instantanea ; quia vel illud instans est intrinsecum motui,vel instans vltimum,vel extrinsecum motui.non potest mensurari Primo ; quia sequeretur ante prolationē absolutā verborũ gratiam conferri.non secundo;quia cùm sacramenta consistant in motu,non desinunt per vltimum sui, sed p primum non sui esse.si tertio,sequeretur Sacramentum tunc agere physicè,cum non est. Pro responsione est prima opinio, q toto tempore motus, scilicet ablutionis , vel prolationis, imprimitur virtus in Sacramento,& operari in animam.hæc Responsio non potest defendi,quia hæc virtus vel toto tempore agit, vel non; si non, ergo frustra fuit hæc virtus impressa primis partibus motus desinentibus per aliarum successionem antequam veniatur ad effectum , & vsum virtutis; si agit toto tempore,tunc sequeretur gratiam acquiri diuisibiliter, quod est falsum:& patet in Eucharistiæ transubstantiatione,quæ fieri debet instantaneè. Secunda Responsio , quòd hæc operatio Sacramentalis fit in vltima parte motus. hæc Responsio, non est bona,nam si fit in motu quamuis minimo,semper est diuisibilis. Tertia Responsio est Capreoli,quòd mensuratur aliquo indiuisibili intrinseco vltimæ syllabæ,& formæ; quod proportionaliter est intelligendum de vltima parte motus,quæ est in materia. Hæc Responsio est vera quatuor requisitis. Primum, vt Deus ex omnibus literis necessarijs ad formam,deligat vltimam. Secundum,vt ex prolatione istius vltimæ literæ, Deus secernat , & designet vltimum minimum naturale. Tertium, vt in hoc vltimo minimo naturali Deus designet vnum indiuisibile intrinsecum , in quo conferat hanc virtutem quæ agat Sacramentaliter;quod instans debet esse ita propè finem

nem minimi naturalis, vt quicquid post ipsam reliquum est, vel non possit naturaliter abrumpi impresso iam tanto impetu organis vocem proferentibus; vel si possit abrumpi, sit ita modicum ex diuino iudicio, vt parum pro nihilo reputetur; nec si omittatur præiudicet integritati formæ. nam ex 3. par. q.60.art.7. prolatio verborum circa finem, non est in indiuisibili, sed habet latitudinem. Quartum est, vt eodem instanti intrinseco temporis simul Deus & imprimat virtutem Sacramento, & ipsa virtus impressa eodem instanti producat gratiam in homine, & non sint duo instantia, sed vnum altero sit prius natura, vt eodem instanti temporis quo Deus solem creauit, eodem sol illuminauit. Sed contra hanc tertiam Responsionem, obijcit Scotus; si virtus imprimitur vni mutato esse, sequitur vnam literam tantum esse Sacramentum; quia vna litera tantum est causa gratiæ. quòd si dicas hoc indiuisibile vltimum, idest propè finem, facere vel causare ex vi præcedentium dictionum, vt vltima gutta cauat lapidem ex vi præcedentium guttarum, non valet; quia gutta vltima ideo operatur virtute præcedentium guttarum, quia hæ relinquerunt in lapide dispositionem ad excauationem: sed secus hic, quia literæ præcedentes iam desierant esse omnino, nec adiuuant vltimam literam. Respondetur, vltima litera, vel vltimum indiuisibile huius literæ causat gratiam non sola, sed ex virtute præcedentium literarum, non vt relinquentium vltimam dispositionem realem, sed vt integrantium formam sacramentalem, quæ non potest integrari nisi à dictionibus sibi inuicem succedentibus, vnde nisi proferatur litera in vltima, non fit Sacramentum. Quarta ratio oritur ex parte suscipientium Sacramenta; quia est dogma fidei, eos qui ad baptismum accedunt, posse accedere fictè, idest cùm obice, & tunc non accipere gratiam; sed si resipiscat, tunc baptismus operatur. Illa igitur fictio potest recedere post annum accepti baptismi, & tunc baptismus operatur; at baptismus recessit, ergo meritoriè, non physicè operatur. Confirmatur ex Durando, quia constat in Ecclesia posse matrimonium contrahi inter absentes per procuratores; tunc procurator agit cum matrona, qua consentiente fit matrimonium; hoc matrimonium fit ratum hic, quomodo potest hoc Sacramentum extendere gratiam ad eum qui est in hispania? Respondetur; de baptismo dico, quòd in fictis defendi potest quòd baptismus

tismus postquam desijt esse, est causa gratiæ, vel solum moraliter, id est quia Deus recordatur hunc esse baptizatum, ideo causat gratiam; vel physicè, non secundum se totum, sed secundum aliquid sui, & hoc potest esse vel dispositio interna necessaria adulto; vel (ex D. Thoma in 4.d.1.q.1.ar.4.& d.4.q.3.ar.2.quæstiuncula 2.& Capr.) remanet saltem character, qui tanquam instrumētum diuinæ virtutis sublato obice operatur gratiam. De matrimonio dico cum Capreolo, & Paludano, non esse absurdum si absens absenti gratiam cōferat. Quinta ratio sumitur ex genere productionis quę competit gratię, nam gratia qua productione producitur? vel de potentia subiecti, vel creatione; neutrum, ergo &c. non est eductio de potentia subiecti, quia oporteret educi de potentia naturali subiecti; at subiectum habet solam potentiam obedientialem ad gratiam, & oporteret educi per actum naturalem; at iste actus est supernaturalis, & per dispositionem, & agens naturale, vt disponens & agens, est supernaturale. Neque est creatio; primo, quia si gratia crearetur, sequeretur cum quis peccat mortaliter, gratiam annihilari; quia sicut exitio eductorum de potentia est reditio in potentiam vnde exierant, ita desitio est reditio in nihil; at gratia non annihilatur, quia Deus ex Augustino l.83.99.q.21. nihil annihilat. Omissis opinionibus, Respondit D. Thomas in 4.d.1.q.1.ar.4. quæstiuncula 1. Gratiam propriè non educi, neque propriè creari, sed dicit gratiam produci per influentiam Christi Sacramento concurrente. Erit igitur productio gratię, nec propriè eductio, nec propriè creatio; sed est vel eminenter eductio, vel diminutè creatio. Probatur, quia eductioni sunt tria substantialia requisita; Primum ex parte termini, scilicet vt sit inexistens, non subsistens; id est, quòd in fieri & in esse pendeat à subiecto ex quo fit, quòd si possibile esset vt ignis produceret formā ignis in vacuo, tunc esset creatio, nō eductio; quia non haberet hoc substantiale requisitum. Secundū ex parte subiecti, sic vt subiectū sit naturaliter perfectibile, per tale perfectiuum, saltem ex parte ex qua fit; quòd si materia cœli differret specie à materia inferiorum, & si possibile esset ignem producere calorem in materia cœli, non esset eductio. Tertium ex parte agentis, vt id quod educitur, non requirat ex suo genere ens infinitum, quia eductio est opus naturæ; at natura facit proportionem inter agens, & patiens. Hæc tria desunt omnia

cum

tum materiæ primæ, vnde verè creatur; tum substantijs completis incorruptibilibus, vt cœlis, & Angelis. ex ijsdem rebus requisitis desunt aliqua tum animæ rationali, tum gratiæ; animę quidem desunt primū, & tertium, vnde simpliciter est creatio. gratiæ verò deest tantum tertium, & inchoatè secundum, tertium quidem, quia requirit agens supernaturale; secundum, quia est inchoata, & imperfecta capacitas. Vnde participat gratia de creatione, & de eductione, primum, & secundum; de creatione, tertium. quare puto hanc esse D. Thomæ opinionem dicentis, produci per influentiam. & hactenus de definitione Sacramenti.

15. Quartum dubium. An definitio assignata vniuocè conueniat Sacramentis veteris, & nouæ legis. Sotus ait vniuocè conuenire; differunt enim noua & vetera Sacramenta solum in ratione signi perfecti, & imperfecti. confirmat, nam si qua esset æquiuocatio, vel analogia, sumi posset ex ratione causæ; Sacramenta enim noua sunt causa, at non antiqua; at hoc non sufficit æquiuocationi, est enim passio consequens. Secunda sententia est Magistri in 4. d. 1. & ib. d. D. Thomæ q. 2. æquiuocè dici; quia esse causam, & non esse, differunt specie. præterea conueniunt in nomine Sacramenti æquiuocè, quia nihil prædicatur vniuocè de conditione, & causa; at antica erant conditiones, noua sunt causæ. Ad rationem Soti dicitur, esse causam non posse esse passionem; licèt enim aliquę proprietates indiuiduātes non varient speciem, tamen quando consequuntur totam speciem, debent fluere ab eadem essentia; & si diuersæ sunt proprietates, indicant diuersam essentiam. esse causam sequitur omnia Sacramenta noua.

Quintum dubium. Quænam sunt in quolibet Sacramento?

Respond. In quolibet Sacramento sunt quinque: Materia, forma, minister cum debita intentione, suscipiens cum intentione, & effectus. explico: in quolibet inueniuntur verba, & res; res dicuntur materia; verba autem, forma. constat autem Sacramentum ex materia, & forma; quia effectus debet assimilari causæ. Christus causa Sacramentorum erat Verbum æternum in carne sensibili, & sic redemit nos; ideo Sacramenta sūt Verbum in materia sensibili. minister debet esse; idest qui confert Sacramentum, vbi enim non est minister, non potest esse Sacramentum. Verum est, quòd aliquando potest esse idem minister,

nister,& suscipiens,vt cum Sacerdos celebrat; & iste minister debet habere debitam intentionem conferendi Sacramentum,& faciendi,quod facit Ecclesia. Satis est autem intentio virtualis; id est accedat animo administrandi Sacramentum, licet postea obliuiscatur. Suscipiens debet esse debitus, aliter non esset Sacramentum; puta si baptizatur lapis. Item debet esse intentio suscipiendi Sacramentum, aliàs non suscipit Sacramentum. effectus Sacramenti sunt duo; alter est generalis omnium Sacramentorum, idest gratia prima,& gratia secunda; idest gratia iustificans; & gratia sacramentalis, de qua re supra dictum est in dubio præcedente; nam Sacramenta dant gratiam non habenti,& habenti augent. alter effectus est particularis trium Sacramentorum,Baptismi,Confirmationis,& Ordinis; idest character; idest quædam qualitas,quæ est potestas animæ impressa indelebiliter. Character ordinis est potestas exercendi actus spirituales. Character baptismi est potestas suscipiendi Sacramenta. Character confirmationis est potestas resistendi tentationibus externis. Si quid trium priorum deficit;non perficitur Sacramentum, vt decreuit Cōcilium Florentinum in vnione Armenorum,& est communis doctorum sententia, ita D.Thomas 3.par.q.68.ar.6. nunc de singulis his quinque in quolibet Sacramento requisitis est dicendum; nam de quolibet in quolibet Sacramento dicemus. dicamus nunc, quando accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, an hoc verbum sit ita determinatum, vt non liceat quicquam immutare. Ideo sit.

Sextum dubium. An hoc verbum sit determinatum.

Respondetur verba Sacramentalia sunt ita determinata, vt non liceat Ecclesiæ substantialiter variare, cùm enim dicantur Sacramenta à Christo Domino instituta, & idcirco sit determinatio de iure diuino,ex Conc.Trid.Sess.7.can.1.non materialiter,sed formaliter,scilicet quoad sensum, Ecclesia etiam determinat verba præcisa, & non variat. Probatur primo,nam si Deus determinauit cæremonias veteris legis, debuit etiam determinare cæremonias substantiales nouæ legis; Euangelium enim eximit nos ab imperfectionibus legis antiquæ,(venit namque Christus Dominus adimplere,non soluere legem.) esse verò Sacramēta determinata à Deo,est perfectio;ergo &c. Secundo si Christus determinauit materias, ergo & formas.

Duo verò sunt præcipuè in Sacramentis; vnum est esse signum practicum, quod est formale, & est de iure diuino; quia significatur tale significatiuum ex obiecto; sed obiectum est res, & effectus sacramentalis, qui nõ potest tribui nisi soli Deo. alterũ est quasi materiale, id est conflatum sensibile ex elemento, & verbo. nunc dico, non repugnare Deum statuto effectu, dare libertatem Ecclesiæ eligendi verba, & materiam, sed de facto duo non constant, & vnum constat; primum, non constat fuisse illam varietatem formarum, seu verborum; quia non refertur in aliquo authentico decreto Ecclesiæ. Secundum, non constat fuisse varietatem hanc approbatam; quia variari, & errari potuit in aliquo Ecclesia nesciente, & non probante Ecclesia Romana. Vnum, quod constat est: Ecclesiam Romanam à tempore immemorabili conseruasse easdem formas. Vnde tutius dicendum est, eidem Ecclesiæ Romanæ tanquam magistræ, cui Spiritus sanctus assistit, formas fuisse traditas à Christo, & idcirco iure diuino determinatas, quare non posse variari.

Septimum dubium. An qualibet variatio formarum irritet Sacramentum.

Respon. Quoad mutationem verborum, quæ sunt forma Sacramenti, notandum est ex D. Thoma 3. par. q. 60. art. 8. illam posse considerari tripliciter, vel ex parte ministri, vel ex parte significationis verborum, vel ex parte vtriusque. Ex parte ministri sit prima regula. Si quis addendo, vel minuendo verba formæ, intendat alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus circa Sacramentum, quod tunc administratur, non perficit Sacramentum; quia is non intendit facere, quod facit Ecclesia. minister enim non concurrit ad veritatem Sacramenti, nisi vt instrumentum voluntarium Christi, & Ecclesiæ, quare si sua voluntate se subtrahit ab Ecclesia, non est minister. vt si hæreticus neque in genere, neque in specie habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: vel si in genere intendat veram Ecclesiam, sed in specie intendit falsam. tamẽ cum tanto odio ad veram Ecclesiam, vt eam positiuè excludat à sua intentione, etiam si veram esse sciret. ratio est, quia intentio potest aberrare à fine dupliciter; Primò propter odium finis. Secundo propter odium alicuius annexi tali fini. & sic hæreticus potest dupliciter ab Ecclesia recedere.

Secunda regula. Si minister mutauerit intentionem post in-

cepta

cepta verba formæ, & reliqua sine debita intentione proferat, non esset Sacramentum. Vt si quis intentione baptizandi, vt solet Ecclesia, diceret, ego te: postea mutata intentione subiungeret, baptizo; non esset verus baptismus. Si autem illico pœnitentia ductus, is priorem integraret intentionem, quam habebat à principio, & continuaret, esset Sacramentum; quia toto tempore prolationis formæ, adfuit legitima intentio, vt docet Sotus in 4. dist. 1. q. 1. art. 8.

Tertia regula. Ministri qui mutant formam aliquando peccant, aliquando non. Circa formas enim Sacramentorum possunt considerari tria. Primum id, quod est essentiale. Secundum, id quod est accidentale. Tertium id, quod circunstat formam, vt cæremoniæ. Circa primum, si minister de industria mutauit, substantialia formæ, aut ex notabili, & culpabili negligentia, est peccatum mortale. Si ex negligentia modica, aut præcipitata prolatione, est peccatum veniale. Si ex repentina auersione mentis, nullum est peccatum. Circa secundum si fit ex contemptu, est peccatum mortale; quamuis non sit improbabile aliquem contemptum ex leuitate materiæ non esse mortale. Si citra contemptum, numquam est mortale. Si alicuius gentis idioma ineptū est in proferendis aliquibus literis, non est opus laborare in proferendis illis diligenter. Si variatio formæ fit in synonyma alterius linguæ sine causa, est veniale. Si ob aliquam rationabilem causam, nullum est peccatum. Circa tertium, si minister omiserit, vel deprauauerit illa, poterit esse mortale. Primo si mutauerit ea, quæ valde sunt finitima formæ. Secundo si omittatur in sacrificio magna pars cæremoniarum principalium. Tertio si quis inter baptizandū solenniter omittat catechismum, & exorcismum. Quarto si Episcopus omittat cæremonias inter ordinandum, in reliquis ferè est veniale.

Ex parte significationis verborum potest accidere mutatio sex modis: Permutatione, additione, detractione, corruptione, interruptione inter aliqua verba, & alia, & transpositione. Primo notandum est, hanc formæ mutationem dupliciter considerari; vel enim est essentialis, vel accidentalis; essentialis est, quæ penitus euertit sensum; vt ego te verbero. Accidentalis est, quæ tollit debitam integritatem; tamen tot, & talia, & tali modo posita verba realia, quæ iuxta moralem hominum consuetudinem sententiam reddant eandem, non tollunt sensum: ac

vt si quis dicat, ego te baptizo in nomine Patre, Filius, & Spirito sancto, tenet baptismus ex accommodatione vsus ecclesiæ; vt decernitur de consecr. can. retulerunt, dist. 4. vbi licet variatio sit talis, vt ex vi verborum nullus sit sensus, valet tamen baptismus. & est casus decisus ibid. à Zacharia de baptismo in nomine Patrias, & Filia, & Spiritus sancta. Theologi autem dubitarunt de ratione huius decreti; sed respondent manere sententiam verborum non ex vi verborum, sed ex accommodatione vsus.

Secundo circa additionem, si addantur verba, sed impertinentia, etiam si sit hæresis, sed impertinens, si sensus formę maneat, perficitur Sacramentum; vt si quis dicat, ego te baptizo manibus meis; vel si Nestorianus diceret, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beata Virgo non fuit θεοτόκος, sed Christοτόκος. vel si quis dicat; in nomine Patris omnipotentis, & Filij eius vnigeniti, & Spiritus sancti paracliti, erit verum Sacramentum; dummodo non proferat minister cum animo inducendi ritum nouum; quia putat illam esse formam substantialem; nam sic mutaretur forma essentialiter, & nihil conficeret: hæc est opinio D. Thomæ 3. par. q. 60. art. 8. vbi distinguit duplicem mutationem; vnam ex parte significationis, & hanc dicit mutare si sit accidentalis: alteram ex parte ministri intendentis inducere nouum ritum, & hanc indistincte ponit irritare. secundo in 4. d. 3. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. ait, omnem additionem tenere esse vel ex parte additi, & non irritat, nisi quando repugnat cum substantia Sacramenti: vel ex parte addentis, & tunc semper vitiatur Sacramentum, si intendat inducere nouum ritum. ratio est, quia ad vim Sacramenti requiritur, vt minister intendat facere illud Sacramentum quod facit Ecclesia. sed si volo variare substantialiter formam Sacramenti, substantialiter vario effectum Ecclesiæ. Paludanus sentit contrarium in 4. d. 3. q. 1. art. 3. vbi ait, quòd nisi mutatio sit substantialis, non variatur Sacramentum. Probat ex vsu Ecclesiæ græcæ, quæ habet duos ritus diuersos; vnum, baptizetur Christi seruus in nomine Patris &c. quia putant ministrum nihil conferre, & intendit inducere hunc ritum; & hic baptismus in Concilio Florentino non reijcitur. Secundus ritus est; putant non confici Sacramentum Eucharistiæ nisi in fermentato; & intendunt inducere hunc ritum. Respondet Sotus,

Græcos

Græcos ideò conficere Sacramentum, quia hic ritus toleratur ab Ecclesia Romana. sed addendum est, græcos oportere esse ita affectos saltem virtualiter, vt sint parati relinquere, si Ecclesia Romana nollet permittere. Præterea, non intendunt græci inducere ritum tanquam necessarium, sed vti suo ritu, vt bono. quòd si putarent esse necessarium, & substantialem, nihil illis conferret tolerantia Ecclesiæ Romanæ, quia non conficerent. Item, si quis minister addat in forma, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & Beatæ Virginis, distinguendum est; nam inuocatio Beatæ Virginis, vel additur quasi operetur aliquid in baptismo, sicut inuocatio sanctissimæ Trinitatis, & sic non valet baptismus; quia talis sensus ab Ecclesia non recipitur; quia est contrarius fidei. si autem adderetur causa tantum deuotionis, tunc esset verum Sacramentum. Si quis item dicat, ego te baptizo in nomine Patris maioris, Filij minoris, &c. vel quid simile, non esset baptismus, quia illa additio mutaret sensum: nec quicquam refert vtrum additio fiat in principio formæ, an in medio, an in fine. D. Tho. q. 60. art. 3. Tertio mutatur forma detractione, seu diminutione, vt si aliquod verbum formæ omittatur; si illud non est de essentia formæ, fit Sacramentum, vt te baptizo, nam subintelligitur ego. quòd si verbum illud, quod omittitur subintelligi non potest, nullum est Sacramentum. Quarto mutatur corruptione verborum, & hæc siue consultò fiat, siue ex ignorantia, siue vitio linguæ, si significatio formæ maneat, tenet Sacramentum; at si variatio de industria proferatur, vt si dicat: me te baptizat, quia contemnit vsum Ecclesiæ, adhuc tamen valet Sacramentum, sed peccat mortaliter. Sed dices, D. Thomas 3. par. quæst. 60. art. 7. ad tertium ait; quando profertur forma corrupta sine peccato, valet Sacramentum. Si verò de industria profertur corrupta, non valet. Respon. duas esse expositiones. Prima est Soti, quòd D. Thomas loquatur secundum præsumptionem; id est si Ecclesia sciret hunc corrupisse de industria, iudicaret esse irritum Sacramentum; quia iudicaret, eum non habuisse veram intentionem. Secunda expositio est, quòd D. Thomas dicit intelligendum esse eo modo, quo se exposuit art. 8. vbi ait: additionem accidentalem corrumpere, & irritare, quando profertur ab hæretico intendente inducere nouum ritum. secus verò si negligenter, & ex contemptu fiat. Quinto interruptione,

seu interpositione mutatur, quando interpositio erit tanta, vt intentio pronunciantis interrumpatur, tollitur veritas Sacramenti. Si autem fit cum modica pausa, non tollitur, Vbi nota; interruptionem posse accidere aut per simplicem pausationē, seu cessationem; vt si quis postquam dixerit in nomine patris, tanquam pausam faceret; & sequentia verba non connectentur cum prioribus in vnam orationem, tunc non esset Sacramentum. si autem esset pauca morula, vt propter tussim, vel aliud accidens tempus interpellaret, esset Sacramentum. Similiter si interponeretur peregrinum verbum; vt si postquā dixit, ego te baptizo in nomine Patris, dicat ministro porrige aquam, vel aliquid simile; & postea reliqua verba adiungeret; esset verum Sacramentum. Secus si longam insereret orationem Sot. in 4. dist. 1. q. 1. art. 8. Sexto & vltimò mutari potest forma, transpositione, & est idem loquendi modus cum superiore. Si enim ita transponantur verba, vt maneat sensus formæ, perficitur Sacramentum; secus si tollitur sensus. Denique ex dictis collige sequentes regulas, quibus iudicare possis quando mutatio Sacramēti impediat. Prima regula. Dummodo sensus formæ relinquatur, quomodocunque fiat mutatio, vel additio, vel detractio, vel corruptio, vel interruptio, vel transpositio, vel in hac, vel in illa lingua, maneant significantia, & Sacramentum tenet; licèt peccet minister; manente enim substantia formæ, siue ex vi verborum, siue ex accommodatione vsus, nihil potest irritare Sacramentum dummodo sint salua omnia annexa formæ. ratio est, quia ad Sacramentum tria requiruntur ex Concilio Florentino in vnione Armenorum, materia, forma, intentio ministri; licèt ergo desint aliquæ perfectiones, nihil refert. Dixi, nihil irritare; quia Sacramentum est signum. Sufficit ergo remanere significationem; vt si dico, ego te baptizat, variatur sola vox. Vnde August. tract. 80. in Ioan. ait; attendendam esse potius virtutem, quàm sonum. Est igitur Secunda regula, quæ spectanda est ex significatione verborum, tum ex errore grammatices, tum ex accommodatione vsus Ecclesiæ; si manet sensus, perficitur Sacramentum. Tertia regula corrupta forma substantialiter, nihil sufficit ad Sacramentum validandum non sufficit sanctitas ministri, non leuis & inculpabilis negligentia, aut obliuio, non si scienter incidat in formam Arrianam. non naturalis balbuties.

ties, vt si dicat, ego te tattizo. non festinatio etiam in periculo mortis. non denique sanctitas suscipientis. ratio est, quia forma dat esse rei. Quarta regula, quando est dubium an ritè collatum sit Sacramentum reiterabile, est sub conditione iterandum cap. 2. de baptis. & eius effect. debet autem esse dubium probabile, non scrupulus.

Ex parte vtriusque, quando scilicet & ex parte ministri, & ex parte formæ fit variatio, sit hæc regula. Si proferat minister aliquid, quod sit contra formam, non conficit Sacramentum. Confirmatur ex Conc. Nicæno can. 19. volente baptizatos ex discipulis Samosatæni esse rebaptizandos. eadem de causa Gregorius, Magister de consecr. dist. 4. can. Si verò baptizatos à cataphrygibus volunt rebaptizari. & Concil. Laodicense can. 8. & Arelatense relatum de consecr. dist. 4. can. de Arrianis, decreuerunt, vt interrogarentur, qua forma essent baptizati. ex his possumus inferre conciliationem Patrum, quorum aliqui dicunt Arrianos esse rebaptizandos, alij negant. Hactenus de tribus necessarijs in vnoquoque Sacramento, dictum est de duobus primis materia, & forma, quæ tanquam de iure diuino determinata (vt dictum est supra, dubio 6.) non sunt mutanda: dicamus nunc de tertio, id est de Ministro.

De Ministro Sacramentorum. Caput II.

PRIMVM dubium. An ministri hæretici, & peccatores verè conficiant Sacramenta. Respon. fuisse hæresim ortam ab Agrippino Episcopo Carthaginense, quòd Sacramentum Baptismi collatum ab hæretico esset nullum, & ab eo coactum fuit Concilium Carthaginése, in quo fuit determinata hæc hæresis: post Agripinum surrexit Cyprianus martyr, qui subscripsit Agrippino, & fuit etiam suo tempore coactum Concilium Carthaginense, in quo idem determinatum est. & recitatur hoc Concilium à Cypriano in epist. 1. ad Iulian. lib. 1. epist. 6. & 12. vt patet apud Augustinum lib. 1. de hæres. ad Quoduultd, & fusius in l. contra Donatist. Surrexit postea Donatus, qui addidit etiam peccatores Catholicos non valide baptizare,

ptizare, si sint manifesti peccatores. ita August. lib. 2. contra epist. Parm. cap. 10. & lib. 1. contra epist. Petil. cap. 2. & lib. 3. cap. 20. 28. 29. 30. & 35. Sed contra hos certa fide tenendum est, non requiri fidem in Ministro, vt statutum est à Concilio Florent. & Trident. Sess. 7. cap. 4. & ab alijs. & probatur primo, quia ministri hæretici, & peccatores non agunt virtute propria, sed virtute Dei; hoc autem intellige secundum se; nam ex accidenti propter alium defectum, esset inualidum Sacramentum; vt si quis presbyter non approbatus ministraret pænitentiam extra casum necessitatis extremæ, nullum esset Sacramentum; quia non habet iurisdictionem. Secundo Deus non minus voluit esse prouisum actionibus supernaturalibus, quam naturalibus; sed propter peccata hominum Deus non aufert potestates operatrices in naturalibus, nec hominibus, nec rebus creatis in vsum hominum; ergo nec debet propter peccata hominum auferre potentias operatiuas supernaturaliter. Tertio Sacramenta nõ fuerunt instituta in bonum ministrum, sed Ecclesiæ; quare etiam si minister sit odiosus Deo, non debet pati Ecclesia Dei, quæ est dilecta Deo. Quarto propter peccata Deus non aufert potestatem iurisdictionis; ergo neque potestatem characteris circa valorem Sacramentorum. probatur consequentia, quia par damnum esset ex priuatione vtriusque. probatur antecedens ex Matth. 23. super cathedram Moysis sederunt scribæ, & pharisei, omnia quæcunque dixerint vobis seruate, & facite; secundum autem opera eorum nolite facere. & 1. Petri 2. obedite præpositis vestris non solum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis. Quinto si penderet potestas Sacramenta administrandi ex bonitate vel malitia ministrorum, sequeretur Ecclesiam esse Babylonem; quia non possumus esse certi an minister sit in peccato, nec ne; an sint hæretici ministri, nec ne. ex quo sequeretur nos dubios esse posse an simus baptizati. imo dubitaremus de Episcopis, & ipso capite Ecclesiæ. & hæ sunt rationes. Probatur nunc auctoritate patrum. 1. ex Augustino lib. 2. contra epist. Parm. cap. 10. & lib. 1. contra epist. Petil. cap. 2. & lib. 3. cap. 20. Hæretici, & peccatores vel non baptizant quia mali, vel quia mali manifestè. non primum, quia etiam occulti peccatores mali sunt. non secundum quia cur? an quia Spiritus sanctus fugit malos manifestos? contra; quia etiam non manifestos fugit; quia occulti ficti

sunt,

sunt, & fictum effugiet spiritus sapientiæ. ergo efficacia Sacramentorum nō pendet à ministri qualitate, sed à Spiritu sancto. Confirmatur ex eodem lib.2. contra epist. Parmeniani cap.11. & lib.2. contra Crescentium Grammaticū c.20. sequeretur omnes debere optare potius baptizari à malis occultis, quàm à bonis manifestis; quia in bonis manifestis optatur Baptismus ex ministri qualitate, vt dicebant; at in malis occultis dicebant baptizari ab Angelo, vel à Christo. Secundo probatur ex eodē lib.2. contra epist. Parm. c.11. & lib.3. contra liter. Petil. c.15. & lib.4. de Baptis. contra Donatist. c.11. & l.4. contra Cresc. c.20. tam (inquit) est à Deo per hominē veritas doctrinæ, quàm veritas Sacramentorum; sed veritas doctrinæ non corrumpitur prauitate Doctorum, ergo nec veritas Sacramentorum. Probatur minor ex Matt.23. Quæcūque dixerint vobis seruate, & facite; secundum opera eorum nolite facere. Confirmatur, quia Paulus in Act. c.17. citat carmina profana, In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt. & dicit esse verum illorum Poetarum testimonium; ergo Poetarum malitia non præiudicabat veritati. Tertio ex eodem Aug. l.2. contra lit. Petil. c.27.61. & l.2. cōtra Cresc. c.34.35.36. Si prauitas morū obesset veritati Sacramentorum, sequeretur faciendum esse schisma; scilicet nos debere separari à nostris Episcopis malis; at Christus Dominus prohibet fieri schisma, imo docet malos debere esse in Ecclesia; Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Confirmatur ex Paulo 1. Cor. 1. vbi damnat eos qui dicebant, Ego sum Apollo, ego Cephæ, ego Christi. diuisus est Christus? Quarto ex eodē lib. contra Donatistas c.8. & l.6. c.25. Ecclesia vna est, & Sacramenta nō sunt nisi Ecclesiæ, quia sunt quædā dotes sponsæ à sponso; sed vbicunque sunt hæc Sacramenta, semper ibi est Ecclesia, & Sacramenta vera, quia ibi adest Christus. Quinto ex eodem l.3. contra Donatist. c.10. & l.4. c.20. Christus est lux, & lux non maculatur sordibus, sed semper illuminat, sic Christus non maculatur ministris, sed illuminat. Sexto ex eodem l.1. contra Donat. de Bapt. c.7.18. & 19. & l.2. c.1.2. & 8. & l.5. à c.1. ad 4. ab ipsis Apostolis accepimus hæreticos validè baptizare. quod etiam fatebantur Agrippinus, & Cyprianus, & Concilium vtrunque Carthag. & Donatus; nempe hanc traditionem fuisse, quòd si aliquando Doctores (vt Cyprianus) contra senserint, fuit ante determinationem Eccle-

F siæ.

siæ. sed nunc id fuit decretum in Concilio plenario. sunt verba Augustini.

Secundum dubium. An bonus minister ratione gratiæ sacramentalis, & characteris, maiorem gratiam conferat in Sacramenti administratione? Resp. Omnes conueniunt, quòd effectus Sacramenti est æqualis omnibus ex opere operato. Secundo conueniunt, quòd circunstantes, & qui orant pro eo, possunt impetrare motionem suscipienti Sacramenta, vt disponatur ad maiorem gratiam. Discrepant autem, an eo nihil agente, possit minister, vel alij impetrare maiorem gratiam ei. Sotus, Caietanus, & Gabriel affirmant. Thomistæ negant. & hæc est vera. probatur ex cap. si inter bonos. de consecr. d. 4. & ex Aug. quia alias præmium non responderet meritis. Item, quia effectus Sacramenti non impetratur oratione Ecclesiæ, vel ministri, sed ex merito passionis Christi. Virtus operatur in Sacramento, vt ait D. Th. 3. p. q. 64. art. 1. ad 2. vbi dicit bonum ministrum impetrare a Deo aliquid annexum; idest alia dona, non autem gratiam sacramentalem.

Tertium dubium. An ministri administrantes Sacramenta in peccato mortali, semper peccent? Resp. Scripturas condemnare de peccato mortali ministros Leuiticos, & Mosaycos, si accedebant ad sacramenta legalia cũ immunditia legali; ergo multò magis nunc. antecedens probatur ex Exod. 19. Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. & Exod. 30. Lauabunt Aaron, & filij eius manus suas, & pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij: lauabunt se aqua, quando accessuri sunt ad altare vt ministrarẽt, & offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriãtur. & Leuit. 21. prohibet ne Sacerdotes accedant non sanctis, & polluant nomen Domini. & subditur, Ego Dominus; quod est signum præcepti in Scriptura. & Leuit. 22. Omnis homo qui accesserit in quo est immunditia, peribit coram Domino; ego Dominus. Isa. 1. Dominus abominatur sacrificia propter peccata offerentium. Pro responsione igitur distinguẽdum est primo, vel minister est consecratus, vel non. Secundo vel ministrat solenniter, vel non, vel in extrema necessitate, vel extra illam. His positis dico primo, si minister consecratus solenniter administrat Sacramentũ in peccato mortali, committit peccatum (de genere suo) mortale dicit D. Tho. 3. p. q. 64. art. 6. Gabriel dist. 15. art. 3. dubio 2.

Nauar.

Nauar.c.1.§.Sacerdos,num.15.de pœnit.d.6.probatur ex c.necesse.c.Sacramenta.& c.omnia.1.q.1.& c.quęsitũ.de temp.ord. Admonitum est (inquit) vt Sacerdotes qui sunt in crimine sub interminatione diuini iudicij obtestandi;& in testimonium suæ damnationis, in susceptis etiam Ordinibus non ministrent. & sic ista verba obligant ad mortale. Probat D.Thomas hos ministros peccare duplici ratione. Prima ex proportione ministri ad principale agens,qui est Deus. Sacerdos est minister Dei, & Ecclesiæ,in quibus est summa sanctitas; ergo vt congruãt debet esse sanctus,alioqui fit iniuria Deo,& Ecclesiæ.Secundo probat ex actione quam facit, quæ est de genere consecratorum. Dixi supra (de genere suo) nam ex imperfectione tactus, non erit mortale. hæc autẽ imperfectio potest attendi ex parte obiecti, vt si quis in peccato contrectaret vasa sacra. Item, licèt contrectaret Sacramenta,non tamen actione perfecta;vt docet Caietanus super art.6. qui etiam addit,quòd quò maior est culpa in qua versetur talis,eò magis peccat;vt apostata magis quàm hæreticus. Item ex parte Sacramenti, maius peccatum esset Eucharistiam ministrare,quàm alia; ratione irreuerentiæ, quæ contra Christum exhibetur. Dico secundo ministri non consecrati, & etiam consecrati in extrema necessitate ministrantes Sacramentum non solenniter in peccato mortali, non peccant mortaliter. ita D.Tho.3.p.q.64.art.6.Caiet.ibidem. Nau.c.25. num. 12.quod tamen in solo Baptismo accidere potest. Durandus,Capreolus,Riccardus,& alij;quicquid dicat Adrian.q.6.de Baptis.& Palud.q.2. ratio est, quia tunc minister peccator hoc secundo modo sumptus, non agit vt instrumentum Dei, sed ex se præuentus aliqua gratia.

Quartum dubium. An Sacramentum collatum à ministro existente in peccato mortali, sit validum? Differt hoc dubium à primo,quòd ibi dicitur de hæretico,& publico peccatore.hic simpliciter de omni peccatore. Vuiglesf,& Ioannes negant,qui putant omnẽ potestatem (etiam temporalem) omitti per peccatũ mortale. Sed damnatur hic error in Conc.Constan.sess.8. & 15.& à Trid.sess.7.c.12. Si ergo obseruant essentialia,verum conferunt Sacramentum; aliàs omnia confunderentur contra bonum Ecclesiæ, & contra Politiam. ratio est, quia minister non propria, sed Dei virtute operatur in Sacramentis, vt ait Diuus Thomas supra citatus. & habetur cap. non est aqua. de

consecrat. d.4. & can. nonne sodomitæ. 1. quæst. 1.

Quintum dubium. An qui in peccato mortali exercent aliquem sacrũ actum semper peccent mortaliter nisi habeant contritionem. Resp. primo, quòd exercere actum Ordinum minorũ in peccato mortali, non est peccatum mortale; excusat enim leuitas materiæ, vt docet Sotus d.24.q.1.art.1. esset tamẽ veniale graue illos solenniter sic indignè exerceri. Secundo exercere actus Ordinum maiorum sine solennitate modo dicto non esset mortale, si absit contemptus: ita D.Thom.3.p.q.64.art.3. Nau. c.25.num.72.& c.1.§.Sacerdos, nũm.13.de pœnit.d.6. quare si quis in peccato mortali canit Epistolã sine manipulo, non peccat mortaliter, vt ait Nauarr. ratio est ex D.Thoma 3.p.q.64. art.6. vt peccet, requiritur vt exerceat actum Ordinis tãquam minister Ecclesiæ. Tertio solenniter cantare Epistolã, vel Euangelium in peccato mortali, est peccatum mortale; probatur ex c. quęsitum, de temp.ord. Ita Nauar. supra citatus. Hinc infertur primo, quòd consecrare ecclesias, virgines, Chrisma, oleum, & huiusmodi in peccato mortali, idest sine contritione, est peccatum mortale, vt notat Ledesma, 24.d.3.q.21.dub.6. quia hi sunt actus Ordinis. Secundo infertur, quòd recitare horas Canonicas, docere Theologiam, exercere actus iurisdictionis in peccato mortali, non est peccatum mortale, ratione dicta. ita docent Ledesma, & Nau.§.Sacerdos.12.q.12.& Caiet. verbo contritio. Quarto prædicare verbum Dei (secundum se) non est peccatum mortale, ratione dicta; quia non est actus Ordini annexus; nam multi non ordinati ab antiquo prædicarunt, & nunc etiam concionantur. ita Caiet. verbo prædicator. ita etiam Sotus d.1.q.5. art.6. Dixi (secundum se) nam ratione scandali si publicus peccator prædicaret, peccaret mortaliter; similiter ratione contemptus, vt ait Caiet. & Sotus concedit. Peccatori enim dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas? & assumis testamentum meum per os tuum? Si videbas furem, currebas cum eo; & cum adulteris portionem tuã ponebas. ps.49. Et Paulus ad Rom.2. Qui prædicas non furandum, furaris? Et sic est exponenda doctrina Caietani 3.p.q.64.art.6. qui cõcludunt officium concionandi esse actũ iurisditionis, non Ordinis. Dices officium prædicandi esse annexum Episcopatui, & ex Conc. Trid. c.1. de præcepto diuino mandatum est omnibus quibus cura animarum cõmissa est, prædicare, &c. & ex Paulo ad Eph.4. qui de Christo

dixit,

dixit, quòd dedit quosdã Apostolos, alios Pastores, & Doctores, vbi notant interpretes, Paulũ coniunxisse Pastores, & Doctores; & Apostolis successere Episcopi, quorum præcipuum munus Apostolicum est prædicare Euangelium ex Trident. sess. 25. c. 4. Resp. omnia intelligi non ratione Ordinis, sed iurisditionis. Quinto tangere res sacras in peccato, etiam Eucharistiam sine solennitate, non est peccatum mortale; quia non est formaliter administrare Sacramentum; vt qui auferret de terra Sacramentum. ita D. Th. 3. p. q. 64. ar. 6. Nau. c. 25. nu. 72. Caiet. supra ar. 6. Imo tangere Eucharistiam non est prohibitũ iure diuino laicis, nam in primitiua Ecclesia dabant Eucharistiam.

Sextum dubium. Quid de laicis? an peccent sumendo Sacramenta à ministris, quos sciunt esse peccatores? tractatur hæc quæstio in 4. d. 5. Resp. & primum distinguo. minister malus dupliciter intelligitur; vel quia tantum peccator est; vel quia est peccator præcisus ab Ecclesia, vt est excommunicatus. Secundo iste præcisus duplex est; vnus toleratus ab Ecclesia; alius nõ toleratus. non toleratorum quinque sunt genera. Primum, quia sunt excommunicati nominatim; & ad hos reducendi sunt illi qui publicè sunt condemnati de crimine, cui de iure est annexa excõmunicatio, vt de hæresi. Secundum est eorum, qui sunt notorij percussores clericorum. Tertium est degradatorum in perpetuum publica sentẽtia. Quartum suspensorum per publicam sententiam. Quintum irregularium publica sententia, vel condemnatorum de aliquo crimine, cui de iure annexa est irregularitas, vt de homicidio. reliqui omnes dicũtur præcisi tolerati. Tertio malus minister dupliciter potest se habere erga suscipientem Sacramenta. Primo vel quia paratus est ad ministrandum; idest, quia tenentur ex officio ministrare Sacramenta, vt sunt Curati, vel quia expectant pœnitentes. Secundo, quando non est paratus, sed à pœnitentibus inducitur minister, & tunc suscipiẽtes vel sunt in extrema necessitate, vel non. His positis, resp. primo à ministro peccatore non præciso ab Ecclesia, nunquam est peccatum suscipere Sacramentum. quod verum est, primo etiam si ille non sit meus Prelatus, vel Parochus, sed à me electus ex vi Iubilæi. Secundo verum est etiam si non sint in necessitate, dummodo minister sit paratus; probatur ex c. sciscitantibus. 15. q. 8. probatur, quia is non cooperatur peccato alterius; quia ille potest se disponere ad contritionem, & est communis

munis sententia. Imo addunt Doctores, quòd si iste peccator est doctior,& magis aptus,ex consilio debemus illũ præeligere. Sed Scotus ait,quòd cæteris paribus præeligendus esset ille,cui ex officio incumbit.Sotus verò putat id fieri posse non sine aliquo peccato;quia eligens est causa vt de nouo peccet. Vtrũque videtur probabile. Tertio verũ est,quòd à quocunque ministro peccatore quomodocunque se habeat,licet petere, & suscipere Sacramẽta in extrema necessitate. D.Th.d.5.q.2:ar.2.quæst.1. ad 1.Riccar.d.5.art.3.q.4.Palud.q.2. Adrian.q.3.de Baptismo. Syluest.verbo Baptismus, 3.q.4. probatur ex c.si qua fortè. 24. q.1.hoc autem nõ solum de Baptismo,sed etiam de Pœnitentia intelligendum est, vt suo loco dicemus; ex Concil.Trid.sess.14. c.7. necessitas autem hæc est limitanda; cum scilicet vrget periculum necessitatis,& non est aliud;& cum non tantum est necessitas præcepti,sed etiã mortis; & vt sit necessitas Baptismi, & Pœnitentiæ, non aliorum Sacramentorum. In quibus necessitatibus non est necesse vt qui inducit,vel inuitat,credat illum conterendum esse antequam conferat; quia etiam si sciam eum non conterendum, possum petere. Quarto verum est, inducere non paratum ad Sacramenta ministranda (ex suo genere) est peccatum mortale; quia quamuis non sim causa peccati mortalis, tamen materialiter sum causa. Excipe tamen cum hic peccator est Parochus,vel Prælatus suscipientis Sacramentum; quia tunc nullus peccat petendo ius sibi debitum. Dixi (ex suo genere)nam si culpa ministri contrarium contingat,non debet minister ex hac culpa reportare hoc commodum,vt non possit cogi.Quinto verũ est,quòd cùm conferre quodlibet Sacramentum, & in primis Baptismum cum solennitate semper sit peccatum mortale ministro existente in peccato mortali;si vrgẽte necessitate,vel articulo mortis,oporteat Sacerdotẽ non baptizare nisi cum solennitate, tunc debet prætermitti Sacerdos, & inuitari laicus vt baptizet sine solennitate. Si autem non opus est baptizare solenniter,tunc est præferendus Sacerdos, qui tũc temporis in articulo mortis, etiam si Sacerdos sit in peccato mortali, baptizat tamen sine nouo peccato; quia tunc non cogitur conteri; nam si in tam breui spatio temporis, dum quis moritur vellemus illum cogere ad contritionem,periclitaretur salus morientis; cùm contritio tot circunstantias includat. De peccatore autem præciso ab Ecclesia,sed tolerato,respond.

secundo

secundo ab hoc parato ad Sacramenta conferenda, licet cuilibet quælibet Sacramenta etiam non necessaria petere; quia Conc. Constansiense, & Basiliense (approbante Martino V. in bulla) voluerunt vt ab excommunicatis etiam, sed toleratis, possimus petere omnia Sacramenta. A non parato non licet petere, nisi in supradictis illis casibus necessitatis. quæ si sit necessitas Baptismi, non peccat Sacerdos præcisus baptizans in articulo mortis si non conteratur; quia cùm Baptismi sit summa necessitas, credere debemus, Deum non compellere ministrum ad contritionem; ne (vt dictum est supra) in tam breui temporis spatio periclitetur baptizandi salus. Et etiam, quia cum in extrema necessitate baptizat, non facit hunc actum vt minister Ecclesiæ, & Sacerdos, quia tunc est commune etiam laico. In administrandis autem alijs Sacramentis, præsertim Pœnitentia, etiam si articulus mortis immineat, tenetur côteri. hæc est enim differentia inter ministrum peccatorē præcisum, & non præcisum. & ratio est, quia est minor necessitas Pœnitentiæ, quàm Baptismi. De peccatore præciso non tolerato resp. tertio extra casum necessitatis non licere Sacramenta suscipere, siue ille sit paratus, siue non. 24.q.1.c.penult.& vltimo. quia esset contra obedientiā. & hoc voluit D.Th.3.p.q.64.ar.6.ad 2. Sunt autem præcisi non tolerati, nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, denunciati, degradati, & notorij percussores clericorum, qui non tolerantur. Potest autem quicunque habet paruulum baptizandum, offerre sine peccato huic præciso non tolerato, dummodo non sit alius qui possit habere hæc tria, scilicet mentem sanam ad intētionem, linguam integram ad proferenda verba, & manum solutam ad porrigendum aquam. ratio est, quia hic est articulus summæ necessitatis. Idem dicendum de adulto posito in pari necessitate. probatur ex August. 24.q.1.can.si quem. & ratio est, quia videtur Ecclesia non velle ligare hunc in casu tantæ necessitatis; imo si adultus hic non sit certus de sua contritione, habet etiā ius petendi ex opere operato, vt inquit Scotus. Adde quòd in articulo mortis si sit necessitas Baptismi, non tenetur hæreticus hic præcisus conteri, dummodo non baptizet solenniter; quia videtur Ecclesia non voluisse hunc ligare in tanta necessitate. Reliqua Sacramenta si accipiantur à præciso non tolerato, dantur, & accipiuntur cū peccato mortali; quia reliquorum Sacramentorum est minor necessitas.

necessitas. Silu. verbo Cõfessor. q. 1. §. 20. Sot. in 4. d. 18. q. 4. ar. 4. excipiunt confessionem, quæ proximè accedit ad necessitatem Baptismi. Si præcisus non toleratus sit Catholicus, dummodo conteratur antequam absoluat, non peccat neque ipse, neque accipiens; quia non præsumitur Ecclesia eum obligare in tali necessitate. Si sit hæreticus, aiunt Sylu. & Sotus non licere ab eo petere Sacramentum Confessionis; tum quia non potest pœnitens esse certus de eius intentione; tum etiam quia præsumendum est Ecclesiam nolle dispensare cum hæreticis. & in tali casu (dicunt) ita se debet gerere pœnitens, ac si nemo esset. Beatus autem Thomas in 4. d. 18. q. 18. quæstiuncula 4. & Caiet. verbo absolutio, nullum eximunt præcisum in articulo mortis, dummodo sit Sacerdos. si quis hanc sententiam sequeretur, non condemnarem.

Septimum dubium. An ad Sacramenti valorem requiratur intentio ministri? Resp. esse de Fide requiri intentionem. vt statuit Conc. Trid. sess. 7. c. 11. Sed obijcies primo ex Aug. tract. 5. in Ioan. vbi dicit esse validum Baptismum collatum ab ebrio; ebrius autem non habet intentionem. Secundo, quia Baptismus collatus iocosè, & mimicè est etiã validus; at iste qui iocatur, intendit suam delectationem; ergo nõn requiritur intentio. probatur maior, quia ex Ruffino l. 1. historiarũ Ecclesiast. c. 14. Athanasius cum adhuc esset puer, in littore maris iocabatur cum pueris, & finxit se Episcopum, & more Episcopali quosdã baptizauit. Alexander Episcopus illius ciuitatis interrogatis pueris, dubitauit an Baptismus esset validus, & definitum est fuisse validum; ergo non requiritur intentio in ministro. Ad primum resp. Augustinum ibi non dicere Baptismum collatum ab ebrio valere, sed ab ebrioso. Ad secundum resp. D. Augustinus fuit in hac re valdè anxius; nam l. 7. de Bapt. cõtra Donat. c. 53. & refertur de consecr. d. 4. can. solet. ponit hanc quæstionem. & demum dicit se dubitare. quòd si quando contingeret, deberet ieiunijs, & orationibus populi à Deo reuelationem obtinere. tamen Hugo, quem sequuntur Theologi, dicit duo; quòd si quando tanta fuit iocositas, vt Baptismum sustulerit, non debet expectari reuelatio, sed rebaptizari sub conditione. c. de quibus. de Baptismo, & eius effect. ex Innocent. Dicunt secundo, quòd rarò potest dubitari de ista iocositate, vt opus sit rebaptizari, quia dant hanc regulam: duplex est iocus, vnus cadens in sub-

stantiam

ſtantiam Sacramenti, id eſt actum externum quem facit, nullo modo ſubordinat Eccleſiæ, ſed tantum ſuæ intentioni iocoſæ; & tunc tollitur Sacramenti ſubſtantia, & eſt baptizandus abſolutè. Alius eſt iocus cadens in aliquid conſequens ad Sacramentum; id eſt iſtum actum externum ſubordinat intentioni Eccleſiæ, tamen hunc ipſum actum externum vt Eccleſiæ ſubordinatum, ſubordinat in iocum ſuum; id eſt quia vult Eccleſiam deridere; hæc iocoſitas facit Sacramentum validum. Sed dubium eſt, an hæc ſecunda iocoſitas ſicut non tollit Sacramentum cum eſt in miniſtro, tolletur ne cum eſt in ſuſcipiente? reſpondet D. Thomas, quòd valet quoad characterem.

Octauum dubium. Qualis debet eſſe iſta intentio miniſtri? Reſp. primo, miniſter debet habere intentionem eligendi actionem externam; verbigratia in Baptiſmo debet eligere actionem abluendi, alioquin non eſſet actio humana, vnde nec ſacramentalis: hæc tamen intentio non ſufficit; quia debet diſtingui ab alijs actionibus purè corporalibus, quod fit per aliam intentionem. Secundo requiritur, & ſufficit vt illa quæ in confuſo Sacramenta ſignificant, ſeu effectum ſpiritualem Sacramenti. quare ſufficit vt intendat facere quod facit Chriſtus, ſaltem in confuſo, id enim quatrupliciter fieri poteſt. primo ſi determinatè id intendat facere quoties erit adminiſtraturus Sacramentum. ſecundo ſi intendat facere quod facit Eccleſia. tertio ſi intendit facere quod faciunt Chriſti fideles. quarto ſi intendit facere quod vidit fieri ab Epiſcopo, vel alio miniſtro. & vnum ex his ſufficit. argumentum ſumitur ex c. Spiritus ſanctus. 1. q. 1. vbi Baptiſmus paruulorum (de quo dictũ eſt ſupra dubio ſeptimo, ad ſecundum) decernitur validus, quia intendebant facere quod fecit Epiſcopus. Hinc ſequitur, ꝙ ſi infidelis baptizaret, verè intendens facere quod facit Eccleſia, eſſet verus Baptiſmus, propterea Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. Chriſti. dicit, requiri ſaltem intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Secundo ſequitur, ꝙ non requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia Romana; nam etiã hæreticus verè baptizat, ſi intendat facere quod fecit Chriſtus, & quod facit vera Eccleſia. Tertio principaliter dico, ꝙ hæc intentio faciendi quod facit Eccleſia eſt triplex, actualis, habitualis, & virtualis. actualis eſt actus elicitus, & præſens, quo conſideramus, & volumus id quod agimus. habitualis eſt habitus inclinans agentem ad talem actum obeundum per mo-

dum naturæ, vt presbyter qui consueuit baptizare, si baptizet nihil cogitans, tamen ex habitu solet incedere, quòd vult baptizare. virtualis est aliquid medium inter actum, & habitum; minus actu, maius habitu. & habetur quando membra mouentur ad actum externum ex virtute sibi impressa ab aliquo actu præcedente nō interrupto contraria intentione, vt vocor ad baptizandum; ego dum vocor, intendo; sed inter eundum, diuertor; & baptizo sine vlla intentione actuali, tamen cum intentione virtuali. De hac re tractant Theologi in 4. Scot. in 4. d. 6. Riccard. d. 16. ar. 1. q. 2. Caiet. 1. 2. q. 8. ar. vlt. & 3. p. q. 64. ar. 8. Thomistæ cum D. Tho. in 4. d. 15. q. 4. ar. 2. quæstiuncula 3. & 4. sit igitur hæc regula; Intentio actualis est sufficiens, sed nō est necessaria. Virtualis est sufficiens, sed nō necessaria. Habitualis neque sufficiens, neque necessaria. Actualis est perfectior, nō tamen loquor de intētione faciendi quod facit Ecclesia, sed de actualitate illa, quæ secum trahit affectum, & pietatem, & hæc nō est necessaria; quia non semper est necesse habere affectum illum, & pietatem. Habitualis non est sufficiens; quia habitualis intentio non specificat actum, nec per illum habitum meremur, aut demeremur; nec est necessaria; quia sequeretur nouum Sacerdotem non baptizare. Virtualis non est necessaria; quia possumus habere actualem tunc; tamen est sufficiens, vt patet. Quòd si dicat D. Th. 3. p. q. 64. ar. 8. sufficere habitualem, respondent Caiet. & Sot. improprie loquutum fuisse, & posuisse habitualem pro virtuali, ponit enim exemplum intentionis virtualis.

Nonum dubium. Hæc prædicta intentio virtualis quantum durare potest? Resp. intentio virtualis tripliciter potest perseuerare. Primo, quando actus interior vel continuatur, vel frequenter iteratur. Vnde D. Th. in 4. sent. ait, q; si in recitandis horis canonicis fiat nimia euagatio mentis, non satisfit præcepto, etiam si in principio habuerimus intentionem de attendendo. vnde dicit, q; vt maneat virtus primæ intentionis, debemus frequenter iterare. quod intelligendum est, dum aduertimus; quia si non aduertimus, non imputatur ad peccatum. si verò aduertimus, debemus redire ad primam intentionem. Secundo, quando continuamus, vel frequenter iteramus actum exteriorem, obiectum actus interioris, quamuis non iterato actu interiori; v. g. Iudex venit ad tribunal vt ius dicat; sedet, obliuiscitur intentionis, decidit; etiam si fuisset per annum in tribunali, tamen

virtute

virtute illius intentionis decidit. Tertio durare potest intentio virtualis, quando nec continuatur, nec iteratur actus interior, nec exterior, sed continuatur aliquid, quod per se refertur ad actum interiorem, vel exteriorē. exemplum est Caietani; Iudex venit in tribunal vt dicat ius; sedet in tribunali, & nullū actum facit pertinens ad ius; tamen quia sedet, perseuerat virtualiter in illa intentione, etiam si post negotiationem trium horarum sine alia intentione ius dicat. His positis, sit prima regula; Intentio actualis, & virtualis interrumpitur vel pœnitentia, vel voluntaria cessatione ab incœpto ob negotium, quòd non referatur ad incœptū, & non interueniat intentio redeundi ad priorem intentionem absoluto hoc negotio; tunc post aliquod tempus reuocanda est intentio si redeam ad opus. D.Th. 1.2.q.20. art.4. Secunda regula, cum cessatur à negotio inchoato, sed cum animo redeundi paulo post ad perficiendum opus inchoatum, tunc quodlibet trium prædictorum resumatur, redit virtus prioris intentionis, & extenditur ad qualificandum illud opus. Quòd iterum resumatur quodlibet trium prædictorum modorum, probatur primo in moralibus; quia S. Antoninus dicit, Si quis habeat intentionem aliquo die faciendi centum eleemosynas, si deinde inter hos dies multa peragat negotia, quamuis nō cogitet in aliquibus eleemosynis, tamen manet virtus primæ intentionis. Secundo ratione alicuius status; nam (vt idē dicit) religiosi vt faciant omnes actus suos meritorios à regula præscriptos, sufficit quòd cum primum ingressi sunt religionem, habuerint charitatem, quia se, suosq; actus Deo consecrarunt. Tertio probatur ex sacramentalibus actibus; multos enim nouimus Sacerdotes, qui quotidie celebrant sine renouatione intentionis; qui possunt adiuuari per hanc regulam. nam (vt ait Sotus) sufficit ad robur horum Sacramentorum, vt quòd quando fuerunt ordinati, implicitè habuerint propositum faciendi quod facit Ecclesia. dixi [implicitè] propter aliquos rudes, qui ignorant hanc formam intentionis. qui modus est, si dicat, Volo fieri minister Ecclesiæ, & Sacerdos. Sufficit etiam, vt deinde consuescant Sacramenta ministrare, & intendant frequentare Sacramentorum ministrationem; nam si quis diceret, Ego hodie tantum volo celebrare, vel baptizare, opus esset postea renouare intentionem. Et hæc de materia, forma, & ministro in genere. De suscipiente hic nihil dicendum est; dicemus enim

in singulis Sacramentis. De effectu, partim dictum est supra cap. 1. dub. 2. idest de gratia, partim dicemus infra, capite 3. cum de charactere agemus.

De necessitate Sacramentorum.

Caput III.



DVBIVM vnicum. Breuiter hic solum quærimus, An Sacramenta nouæ legis sint necessaria ad salutem? Resp. primo absolute, idest respectu diuinæ potentiæ, non esse necessaria; non est enim potentia Dei alligata Sacramentis. Idcirco Christus Dominus Ioan. 8. auctoritate absoluta, non Sacramentorum vi absoluit mulierem in adulterio comprehensam; Nemo te condemnauit? nec ego te condemnabo, vade, & iam amplius noli peccare. Sic etiam & Lucæ 7. remittuntur tibi peccata tua, dixit Iesus Magdalenæ. Cum igitur antequam Sacramenta nouæ legis fuerint instituta, multi fuerint iustificati, patet non fuisse hoc modo necessaria Sacramenta nouæ legis; quia neque hoc modo necessaria fuit incarnatio Verbi, ex August. lib. 1. de Trin. cap. 10. Secundo, si stante statu innocentiæ Deus fuisset incarnatus, simpliciter decuissent aliqua Sacramenta, vt ait Alens. saltem tria fuissent; Matrimonium, quod est symbolum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ? quod si peccatorum hominum matrimonium sanctificatur significatione tanti mysterij, quare matrimonium innocentium hominum fuisset hoc priuilegio fraudatum? Secundum Sacramentum fuisset Eucharistia, tum propter vim amoris ostensam in eo Sacramento, quæ tunc etiam decuisset; tum propter tanti operis admirabilitatem; tum propter symbolum vnionis mysticæ inter animam, & Christum in Ecclesia triumphante. Tertium Sacramentum forte fuisset Baptismus, vel aliquid Baptismo proportionale; quia Baptismo Christo incorporamur vt membra capiti, vt ex capite possimus accipere redundantiam bonorum. Tertio dico conueniens fuisse ad salutem nostram Sacramenta instituere. & ideo ex quadam suppositione esse necessaria; quia sic decreuit Deus nobis Sacramenta conferre. probatur ex communi Doctorum sententia, & congruentijs.

gruentijs. Prima sumitur ex natura hominis, cuius est, vt per visibilia ad inuisibilia perueniat, Deus enim qui suauiter omnia disponit, naturis rerum se accommodare solet. D.Th.3.p.q.6. ar.1.Magist.d.1. Secunda sumitur ex statu, & conditione hominis post peccatum, remansit enim affectus ad sensibilia. ideo in his Deus posuit remedia. Bonau.d.1.q.2.Scot.d.1.q.2.Guglielmus Paris. & alij.

De effectu Sacramentorum. Caput IIII.



PRIMVM dubium. An omnia Sacramenta nouæ legis causent gratiam.

Resp. Cùm duplex sit effectus Sacramentorum, gratia scilicet, & character; dicẽdum est, omnia Sacramenta nouæ legis causare gratiam. & est de fide. probatur ex Conc. Trid. sess.6.cap.7. & ex Concil. Florent. in vnione Armenorum. & ex communi consensu Doctorum, & Patrum. Omnia autem Sacramenta nouæ legis causant gratiam ex opere operato, idest ratione sui, non ratione operantis. probatur ex Conc. Trid. sess.7.cap.6.& 8. & ex Conc. Florent. supra citato. Gratia igitur est primus Sacramentorum effectus, modus verò quo gratiam causant, dictus est supra cap.1.dubio 3. Dicamus igitur de alio effectu, idest de charactere.

Secundum dubium. De essentia characteris, & eius effectibus.

Est de fide imprimi characterem in Sacramentis nouæ legis. Probatur primò ex c. maiores de Baptis. & eius effectu. Secundò ex Conc. Flor. & Trid. sess. 7.c.9. & communi Patrum, & Doctorum sententia. Tertiò probatur ratione; quia decuit vt Christi milites signarentur, atque à reliquis signo aliquo distinguerentur. Idcircò de charactere Baptismi loquendo frequenter Augustinus, sumpta analogia ex militari cingulo, dicit, Christum etiã suos milites charactere, idest spirituali insignio insignire; quem dicit in anima insigi, permanere, nec posse omitti, vel iterari. Hinc sequitur esse temerariã Durandi opinionem, qui in 4.d.4. q.1.dicit non esse ens reale, sed rationis, idest esse id quod resultat ex deputatione Fidelium ad sacras functiones per Dei electionem; exemplo monetæ, quæ ex Principis lege nunc magis,

nunc

nunc minus valet. Quam Durandi opinionē benè confutat Caietanus 3.p.q.63.ar.2. est enim contra communem Theologorum sententiam, & repugnare videtur Patribus,& Concilijs; qui dicunt characterem infigi in anima. & ex sua ratione sequeretur in omni Sacramento esse characterem; quia omne Sacramētum nos deputat ad aliquas sacras functiones. Quid igitur est character? Omissis opinionibus dico, characterem esse qualitatem quandam. sic aiunt Concilium Trid. sess.6.cap.7.& Florent.cum dicunt esse signum quodā spirituale indelebile. Certum est ergo esse quandam spiritualem qualitatem. sed vanum est certā sibi speciem qualitatis assignare; quia cùm habeat similitudinem cū qualitate moraliter, videndum est ad quam spectet,& cui magis assimiletur ex proprietate. Notandi sunt igitur eius effectus. Primus est, animam Deo consecrare, sicut consecratur templū. ex quo sequitur, ꝙ Dæmones ex eo arcentur, nec habent potestatem. Secundus faciliùs exauditur oratio. Tertius excitatur deuotio faciliùs. Quartus fit immunis ita vt cum in aliquod inciderit delictum, nō possit capi à Dæmone sine Dei dispensatione. & ex hac proprietate sequuntur aliæ. Prima est, ꝙ per illud homo transit in ius Dei, 2.Cor.6. Vos estis templum Dei. Secunda, per illud Christo assimilamur, eiusq; membra efficimur, vt distinguamur ab alijs. Tertia disponit ad alia Sacramenta suscipienda, vel ministranda. vt enim in aula Regis non datur portio nisi habentibus aulicorum signum, sic qui carent Baptismi charactere, non potest suscipere alia Sacramenta. His positis, dico cum Riccardo in 4.d.5.ar.2.q.1.ad 2. ꝙ licèt sit probabile characterem esse in secunda specie qualitatis, tamen probabilius est esse extra prædicamenta; est enim qualitas spiritualis eminens, in nulla qualitatis specie per se; sed habet similitudinem cum qualitate naturali; & propterea quatenus infunditur indelebiliter, est per modum habitus. Est dispositio quatenus disponit ad gratiam, & ad alias res sacras, & sic conuenit cum prima specie qualitatis. quatenus verò est quædam potentia ad sacra, habet similitudinem cum secunda. quatenus est quædam spiritualis animæ configuratio, ratione cuius est signum extrinsecum, habet similitudinem cum quarta specie. Neque id mirum, quia perfectiones in inferioribus, sunt in superioribus modo eminentiore, & magis vnitæ; quia quæ diuisa sunt in inferioribus, sunt coniuncta in superioribus. & quia character est ens supernaturale,

non debet restringi ad certam quandam speciem, sed debet concludere multas species. Comprehendit igitur primam speciem qualitatis quatenus est dispositio ad gratiam. comprehendit secundam quatenus est quædam virtus ad nouos prædictos effectus. & quartam speciem, quia character est quædam figura spiritualis, qua Christo configuramur tanquam summo Sacerdoti. & hæc opinio Riccardi videtur mihi bona; non enim prædicamenta sunt diuisa contradictoriè. quare addi potest prædicamentum supernaturalium. Dicamus nunc de subiecto characteris.

Tertium dubium. In quo subiecto sit character.

Resp. Variæ sunt in hac re opiniones. Durandus in 4. d. 1. q. 1. dicit, non esse quærendum subiectum in charactere, quia est deputatio sola per respectũ rationis. sed esto sit character aliquid reale, dicit, subiectum eius non esse animam, sed organa corporalia, scilicet manum, & linguam; quia in intellectu, & voluntate non ponuntur nisi habitus, qui possunt iuuare vel ad inuestigandum verum, vel ad appetendũ bonum; sed character ad neutrum est ponendus in anima, sed tantum ponitur ad operandum opus nouum; ergo debet poni in potentia executiua huius operis, quę est manus, & lingua. Hæc opinio non est bona; non enim character vel in corpore, vel in alia potentia corporea potest poni; nam est constans Theologorum opinio characterem permanere in anima separata; ita vt si quis baptizatus, vel ordinatus resurgat, non sit opus denuò baptizari, vel ordinari. sed in anima separata non remanent potentiæ organicæ. Ad argumentum Durandi resp. quòd non ponimus characterem in anima intellectiua, eo ꝙ debeat concurrere ad volitionem, vel intellectionem, sed quia character est indelebilis, ideo debet poni in subiecto perpetuo, idest in anima. D. Th. ponit characterem in intellectu, 3. p. q. 63. ar. 1. & 5. Scotus in 4. d. 6. q. vlt. dicit esse in voluntate. Albertus in 4. d. 6. quæstiuncula 9. art. 4. & Alens. 4. p. d. 8. m. 8. ar. 1. §. 1. dicunt esse in imagine creata Trinitatis. Albertus ait, imaginem hãc præcipuè esse in intellectu, tamen dicit ordinem ad memoriam, & voluntatem; ad memoriam, tãquam ad id sine quo nihil intelligimus; ad voluntatem, quoniam ipsa iubet, & habet imperium. & consequenter est character præcipuè in intellectu, tamen dicit ordinem ad memoriam, & voluntatem. Alensis, & Bonauẽtura dicunt subiectari in tribus animæ potentijs. & quamuis vnius accidentis vnicum sit subiectum, tamen

hæ

hæ tres potentiæ quatenus conflant vnum quid, sunt etiã vnum, & vnam conflant imaginem. Denique multi multa dicunt. Nos cum Marsilio dicimus cõsistere characterem in essentia animæ; quia Concilia ponunt characterem indelebiliter in anima; ergo in essentia. Secundo character vt character non videtur habere aliquam operationem, nec esse ad operandum, ergo non in potentijs, sed in essentia animæ. Tertio character est figura qua configuramur Christo; ergo in essentia, non in potentia.

Quartum dubium. An in Christo sit character?

Resp. esse duas opiniones. Prima dicit, in Christo non esse characterem vel Baptismi, vel Chrismatis, sed Sacerdotij. non Baptismi, quia est character regenerationis adoptiuæ. nõ Chrismatis, quia supponit augumentum roboris in subiecto debili; at habet characterem Sacerdotij, tum quia Christus Sacerdos est, & eos consecrat, & in omnibus actibus sacerdotalibus Christus cooperatur. Secunda opinio dicit, in Christo non esse characterem, sed esse infinitam potentiam suppositi diuini, qui est character increatus. Hanc secundam sententiam Alensis in 4. p. q.8.m.8.ar.1.§.11. & D.Tho.in 4.d.4.q.1.ar.3, quæstiuncula 5. approbant vt magis veram, licèt priorem non damnent.

Quintum dubium. An per omnia Sacramenta nouæ legis imprimatur character?

Resp. negatiuè; quia non omnia Sacramenta ordinantur directè ad diuinum cultum. ideo tantum tria imprimunt characterem, Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Est conclusio de fide. Magister, & alij multas adducunt rationes; sed præcipua hæc est. Tripliciter potest Sacramentum pertinere ad cultum Christianæ religionis; primo vt est quædam actio qua colitur Deus, & sic omnia Sacramenta pertinent ad cultum Dei. Secundo vt consecrat cultores Dei consecratione liberante à peccato, & sic pertinet ad cultum diuinum, & est commune omnibus Sacramentis. Tertio pertinet Sacramẽtum ad cultum diuinum prout affert nouam potestatem directè ordinatam ad actionem diuini cultus, idest ad Sacramenta accipienda, & danda, & sic non pertinet ad cultũ diuinum. Pœnitentia, quæ est resurrectio ex casu, casus autem fuit non à potestate præhabita, sed à gratia præhabita; idest cecidimus à gratia, non à charactere; quare resurgimus ad gratiam per Pœnitentiam, non ad characterem. neque Eucharistia, quia hæc est finis omnium Sacramentorum, & totius

& totius diuini cultus. finis autem non affert potestatem aliò ordinatam, neque Vnctio extrema, quia hoc cum sit sacramentum è vita exeuntium, frustra afferret potestatem nouam ad nouas functiones. neque Matrimonium, quia hoc dat quidem potestatem corporum in vsum maritalem, & sic non pertinet vt sic ad cultum diuinum. Pertinet ergo Baptismus, qui dat potestatem validè recipiendi sacramenta; quia sacramenta collata non baptizatis sunt inualida. Pertinet Chrisma, quia dat potentiam pugnandi ex officio contra publicos Ecclesię hostes. Pertinet Ordo, quia affert potentiam administratiuam sacramentorum.

De causa Sacramentorum. Caput V.



Ico primo, definitum est à Concilio Trident. sess. 7. can. 1. septem tantum esse sacramenta, & ibidem definitur fuisse à Christo instituta. Idem definitur à Concil. Florentino, & est communis opinio Doctorum, & est de fide. de facto igitur nulli communicauit Christus Dominus hanc potestatem sacramenti instituendi cum eiusdem potestatis exercitio; idest si fuit communicata, non exercuit; ratio est, ne detur confusio ex duplici capite primario, & secundario. Dico secundo, de facto, neque vlli fuit communicata hæc potestas, etiam sine exercitio; nam de fide est nullum habuisse potestatem maiorem Petro, sed Petro non fuit communicata potestas excellentiæ, vt esset auctor sacramentorum; Petrus enim, & Apostoli vocantur dispensatores, 1. ad Cor. 4. Dico tertio, ad Sacramenti effectus Deus concurrit, vt causa principalis, Christus, vt homo operatur effectiuè, & meritoriè, sed instrumentaliter, quatenus eius humanitas est instrumentum diuinitati coniunctum. ministri concurrunt, vt instrumentum separatum. Character concurrit moraliter, seu tanquam conditio sine qua non. Explico, & probo. Scripturæ principale agens est intellectus; Causa instrumentalis est manus; instrumentum separatum est calamus; admotio manus ad chartam est conditio sine qua non. Ita in Sacramentis, quòd Deus sit agens principale, probatur ex Dauide, qui in

Psalmo 83. dicit, gratiam, & gloriam dabit Dominus. & ex Concil. Florentino, & Trident. sess. 6. cap. 7. Sot. d. 1. q. 5. ar. 3. De Christo autem quòd concurrat instrumentaliter, vt homo, patet; quia vt Deus concurrit vt principaliter, & caput primarium, & habet auctoritatem instituendi sacramenta, quę dicitur auctoritas, quæ soli Deo conuenit. quatenus homo habet auctoritatem ministerialem principalem, quæ dicitur potestas excellentiæ, ad differentiam potestatis delegatæ imperfectæ, quæ nulli est communicata, quatenus ad sacramenta instituenda. Illa autem potestas excellentiæ consistit in quatuor. Primum vt meritum instituentis cooperetur in Sacramentis institutis. Secundum vt Sacramenta sanctificent in nomine eius. Tertium quòd ipse de facto constituerit. Quartum vt extra sacramenta possit æquè sanctificare sicut per illa; idest vt non habeat virtutem alligatam sacramento, vt ait D. Thomas 3. p. q. 64. ar. 3. talis potestas conueniebat Christo tum ob eius meritum, tum ratione vnionis cum Verbo, tum denique ob gratiam habitualem capitis. patet igitur, quòd cum dicitur Christus est causa instrumentalis effectus sacramentalis, intelligitur de instrumēto coniuncto diuinitati, & principali, seu excellentiæ, non de extrinseco. De ministro verò quòd concurrat, vt instrumentum, patet ex Concil. Flor. & Trid. sess. 7. cap. 11. cum dicunt requiri intentionem ministri. De modo autem quo concurrit minister, multi multa dicunt; sed opinio D. Thomæ 3. p. q. 64. ar. 1. est, quòd effectiuè instrumentaliter attingit effectum, quatenus eius actio est pars sacramenti, ad quam Deus ex pacto infallibiliter concurrit nisi ponatur obex, vt ait Conc. Trid. sess. 7. cap. 7. Explico; nam ministri actiones si considerantur materialiter, sunt ab eo physicæ. si autem formaliter, idest, vt aptæ ad causandum gratiam per influxum Dei, sunt ab eo, vt à particulari agente à charactere, vt à causa morali, vel conditione sine qua non; quia scilicet Deus non concurrit nisi cum eo, qui tali charactere sit insignitus ad illum effectum. est igitur character conditio sine qua non; sicut est schedula ad pecuniam habendam à numulario. gratia ergo sacramentalis elicitur in sacramento, vt in instrumento conflato ex vnione materiæ, & formæ à ministro informato charactere tanquam à causa effectiua instrumentali ad cuius actionem concurrit Deus ex pacto per instrumentum coniunctum, idest per Christi humanitatem.

quare

quare actio sacramentalis est idem cum motione diuina, & ministri appellatione; licet diuerso modo. & sicut character est causa moralis actionis instrumentalis ad quam ex pacto concurrit diuina motio; ita est causa gratiæ sacramentalis, minister autem est eius causa effectiua instrumentaliter, vt dictum est.

De numero Sacramentorum. Caput VI.



VBIVM vnicum. An sacramenta nouæ legis sint septem?

Resp. Sacramenta nouæ legis non sunt nisi septem. est de fide. scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium, & Pœnitentia. ex Conc. Flor. & Trid. sess. 7. can. 1. quarum tria Baptismus, Confirmatio, & Ordo iterari non possunt. reliqui sic. Congruitas sumitur à proportione ad vitam naturalem, quia hæc sunt instituta ad vitam spiritualem perficiendam. per Baptismum enim regeneramur, idest nascimur in vita spirituali, per Cõfirmationem crescimus, siue roboramur; per Eucharistiam nutrimur, & ad perfectum statum deducimur; per Pœnitentiam sanamur à morbis si quos forte contraximus post Baptismum, per Extremam Vnctionem ad fœlicem vitæ exitum confortamur. Et per hæc quinque, singulorum particularis vita perficitur, per alia verò duo sacramenta omnium bono consulitur in communi; ad propagationem quidem spiritualem, & spiritualium filiorum educationem, est ordo. ad propagationem vero carnalem, & filiorum educationem, est institutum Matrimoniũ. D. Thomas est videndus 3. p. q. 65. ar. 1. & Concilium Floren. supra citatum. Quare declarauit Conc. Trid. supra citatum, hæreticum esse dicere, plura, vel pauciora esse quàm septem sacramenta nouæ legis; vel aliquod illorum non esse propriè sacramentum; aut à sacramentis antiquæ legis non nisi cæremonijs differre; Trid. sess. 7. can. 2. aut nullum eorum aliqua ratione esse alio dignius; can. 3. aut non esse omnia necessaria, sed aliquod eorum superfluum, quamuis omnia singulis necessaria non sunt, can. 4. aut solum significare, & non continere gratiam, aut eam ritè accipientibus non semper ex opere operato con-

ferre, can. 5. 6. 7. 8. aut q Baptismus, Confirmatio, & Ordo non imprimant characterem in anima, & signum quodam indelebile, propter quod ea iterari non possunt, can. 9. aut ab omnibus Christianis administrari omnibus posse; can. 10. aut non requiri in conficiendis sacramentis intentionem saltem faciendi qd facit Ecclesia, can. 11. aut q peccato mortali ministri sacramenti confectio, aut collatio fiat nulla, can. 12. aut ritus Ecclesiæ omitti, vel mutari per quemlibet prælatum posse, can. 13. Nauar. cap. 22. num. 2.

Ordo autem essentialis sacramentorum est solum respectu Baptismi, qui est primus inter alia; nam est ianua sacramentorum, sine Baptismo enim non possunt suscipi alia sacramenta. Ordo verò est is, quo illa nos recensuimus. Ordine autem perfectionis. (simpliciter loquendo) Eucharistia est potissimum sacramentum, & primum; quia continet Christum sanctificatorem. Secundum est sacer Ordo, vt ait D. Thomas supra. Ordine necessitatis simpliciter primus est Baptismus. Sequitur Pœnitentia peccanti mortaliter post Baptismum. toti autem Ecclesiæ est necessarius Ordo. atq; hæc tria sunt simpliciter necessaria. reliqua non sunt necessaria simpliciter, sed vt commodius. D. Thomas est legendus 3. p. q. 65. ar. 3. & Conc. Trid. sess. 7. cap. 3.

In quolibet autem Sacramento hæc tria continentur, Sacramentum tantum, res tantum, res & Sacramentum simul. Sacramentum tantum sunt illa signa sensibilia, & verba quæ significant tantum, & non sunt res significatæ. Res tantum, est gratia, quæ significatur per illa signa, idest significata aliud non significantia. Res & Sacramentum simul, est res significans gratiam, & significata per verba, & signa sensibilia. In singulis autem Sacramentis res, & Sacramētum simul sic assignari potest; in tribus quæ imprimunt characterem, est ipse character, qui est quidem Sacramenti effectus propter gratiam. licèt enim secundum diuersas rationes gratia, & character se mutuò antecedāt, & consequantur, tamen simpliciter & per se, gratia est prior charactere prior pars probatur; quia gratia est aliquo modo prior. Primo respectu causæ, idest Sacramenti à quo vtrunque causatur; quia id ad quod per se primò Sacramentum ordinatur, est in Baptismo regenerare in filios Dei; Secundario autem Baptismus ordinatur, vt hos filios Dei deputet ad functiones cultus diuini, &

nini,& Christiani per sacramenta, quod fit per characterem, vnde character sequitur. Gratia etiam iustificans secundum se,& absolutè antecedit characterem; quia gratia in essentia animæ comparatur ad virtutes,& ad characterem, vt essentia ad proprias passiones; & ratio est, quia gratia dat quodam esse supernaturale, cui debentur potentiæ operatiuæ supernaturales, & deiformes. Secunda pars, quòd etiam character sit prior gratia, probatur; quia est quid imperfectum; & ita character cum sit imperfectum, est prior. & quamuis character sit ad operandum, tamen quia est etiam forma supernaturalis, & hæc forma est imperfecta, perficienda per gratiam, ideo præcedit gratiam. ideo D.Thomas 3.p. q.7.ar.10. dicit characterem esse quandam formam Christianismi inchoatam. Secūdò modo est prior ratione finis; quia character est posse agere ea, quę deputantur in cultum diuinum. gratia verò non est in posse, sed in bene posse, prius autem est posse, quàm bene posse: & posse ordinatur ad bene posse. In Eucharistia Corpus Christi sub speciebus contentum. In Pœnitentia est contritio. In Extrema Vnctione est sanitas corporalis. In Matrimonio est indissolubilitas, seu vinculum matrimonij.

Et hæc de Sacramentis in genere, nunc ad singula deueniamus.



TRACTA-

TRACTATVS SECVNDVS
De Baptiſmo.



GAMVS nunc de ſingulis Sacramentis in particulari. ex quibus Baptiſmus ſe ſe offert primus ordine naturæ, & neceſſitatis; Idcirco eſt ianua reliquorum. de quo Theologi cum Magiſtro in 4.d.3. vſque ad ſextam incluſiuè.& D.Tho.3.p.quæſt.66. vſq; ad 72. agit enim in 66. de ipſo baptiſmo in ſe. in 67. de miniſtro baptiſmi. in 68. de ſuſcipiente Baptiſmum.in 69.de effectibus Baptiſmi.in 70.de Circuncisione,quæ præceſſit Baptiſmum.in 71. de præparatorijs, quæ ſimul concurrunt ad Baptiſmum,& ſic non allegabo amplius hæc loca. Sed de hac re nonnulla tractabo.& primò de definitione, & eius natura. Secundò de materia. Tertiò de forma Baptiſmi. Quartò de miniſtro. Quintò de ſuſcipientibus. Sextò de effectibus. Septimò de Ceremonijs, & Ritibus eius. Octauò de neceſſitate.

Quid ſit Baptiſmus. Caput Primum.



APTISMVS multis nominibus vocatur in Scriptura. quia lauat, dicitur Baptiſmus. quia Baptiſmo fidem Chriſti profitemur, dicitur Sacramentum fidei. quia mentem illuminat,dicitur illuminatio. quia purgat,dicitur purgatio, quia vitia noſtra ſepelit,dicitur ſepultura. quia deniq; nos in Chriſto inſerit, plantatio dicitur.Chryſoſtomus in homilia quadam ad illuminandos.Nazan.in orat.in Sanctum Bapt. Clem.Alex.l.1.de pedag.cap.6.Damaſcen.l.4.cap.10.nūc de quid rei, ſunt ſexcentę

definitio-

definitiones;sed dabo vnam. Baptismus est Sacramentum ablutionis sub inuocatione Trinitatis. Sacramentum ponitur pro genere. vnde qui definientes Baptismū dimiserunt ly Sacramentum, malè fecerunt, reliquerunt enim proprium genus. reliqua ponuntur pro differentia. Dicitur Sacramētum ablutionis, non aqua, quia ablutio est materia proxima Baptismi; aqua est materia Baptismi sub præscripta forma. Est igitur hæc definitio completa, continet enim materiam, & formam Sacramenti. Addunt aliqui in definitione[ablutionis passiuæ]sic Nau.c.22. de Sacramento Baptismi, est Sacramentum aquæ naturalis, qua vnus ab alio in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti cum debita intentione abluitur.est enim de essentia Baptismi vt fiat ab alio; quia nemo seipsum baptizare potest. c.debitum. de Bapt. & si quis seipsum baptizat,non est Sacramentum. Additur deinde inuocatio Trinitatis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; quia est de necessitate Sacramenti. c.multi.de consecr. d.4. nam est forma Baptismi, vt dicemus infra de forma.

De materia Baptismi. *Caput II.*



PRIMVM dubium. Quotuplex est materia Baptismi?

Resp. materia Baptismi est duplex; quędā remota, idest aqua elementaris; quędā propinqua, idest ablutio facta in aqua. Hinc refellitur hæresis Seleucij, & Hermiæ, quam refert August.de hæres.cap.59. qui dicebant materiam Baptismi esse ignem; ex illo Matth. 3. & Luc. 3. Ego baptizo in aqua, ille baptizabit in Spiritu sancto, & igne. nam Spiritus sanctus ibi vocatur ignis, quia est charitas,& apparuit in linguis igneis.

Ignis vibrante lumine linguæ figuram detulit,
Verbis vt essent profluі, & charitate feruidi.

ita Hieronymus in Matth. 3.& Damasc.l.4.c.10. Vel dicendum est,ibi duplicem vitā hominis distingui;præsentem.s.qua baptizamur à Spiritu sancto; & futurā,qua baptizamur igne iudicij, *Quando soluet seclum in fauilla.* ita Hieron.ibid. Ambr.l.2.in Lucam cap.3. Damasc. supracitatus, & Hilar. can.2. in Matth.

Vel

Vel tertio dicendum est, ibi Spiritum sanctum vocari ignem, quia voluit Dominus significare vehementiam gratiæ Spiritus sancti, qua Apostoli futuri erant similes Prophetis, quibus sæpe visiones factæ sunt quondam in specie ignis: ita Chrysost. hom. 11. in Matth. 3. Vel denique per ignem ibi intelligitur doctrina; ita Basil. in exhort. ad Baptismum. Quare Catholica doctrina hæc est, aquam esse materiam Baptismi. hoc nobis annuerunt nonnullæ figuræ; illa videlicet Aegyptiorum, qui mersi fuerunt in mari rubro, Illa Naamanis, qui lotus est in Iordane. Et illa cœci nati, qui sanus factus est in natatoria Siloe. Patet primo ex scripturis. hoc promissum fuit Ezechieli 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. & Zachariæ 13. In die illa erit fons patens domui Iacob in ablutionem peccatorum. & patet Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. & Act. 8. Ecce aqua (ait Eunuchus) quis prohibet me baptizari? Act. 10. Nunquid aquam quis prohibere potest vt non baptizentur isti? ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. & 1. Cor. 6. Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Idcirco 1. Pet. 3. Baptismus comparatur diluuio. & 1. Cor. 10. comparatur mari rubro. Patet secundo ex Conc. Lateran. can. 1. & ex Triden. sess. 7. can. 2. & ex Patribus. ita Chrysost. hom. 24. in Ioan. August. l. 1. contra duas epist. Pelag. c. 13. Ambr. l. 1. de sacr. cap. 4. Basil. hom. 13. de exhort. ad baptis. Baptismus est peccati mors. Bed. Io. 3. Clem. Alex. l. 1. pedagog. c. 6. Damasc. l. 4. de Fide orthod. c. 10. Greg. l. 9. epist. ep. 39. Hieron. ep. 38. ad Oceanum. Lactant. l. 3. diuin. instit. c. 26. Cypria. de ablutione pedū. Nazian. in sanctum lauacrum. & Orig. ad Rom. 6. Tertio patet ratione; Primo, quia Baptismus est ablutio spiritualis, non relicta macula nec pœnæ quidem; nulla enim iniungitur pœna baptizato, quoniam illi tota passio Christi applicatur, vt ait Paulus ad Rom. 6. An non est satisfactoria passio Christi? at ablutioni est aptior aqua. Secundo, quia in Baptismo exercet Ecclesia suam fœcunditatē in suis filijs generandis Christo. Tertull. l. de Bapt. Ambr. l. 1. & 2. de Sacram. Chrysost. hom. 20. in Io. de aquis Geneseos 1. Tertio aqua temperat æstum caloris; & inter omnia Sacramenta Baptismus temperat tentationem carnis; nam omnes infideles habent magis effrænatam concupiscentiam, quàm

Christianus.

Chriſtianus. Quarto, aqua eſt diaphana, & ſuſceptiua radiorum Solis; Baptiſmus verò eſt ianua ſuſceptionis donorum, & gratiarum Dei, & omnium Sacramentorum. Quinto, aqua emollit res; Sacramentum baptiſmi emollit cor hominis, & facilè conuertit ad pœnitentiam, & lacrymas. Conſtat igitur aquam eſſe propriam baptiſmi materiam. Sed qualis aqua? fit

Secundum dubium. Qualis debet eſſe aqua baptiſmi?

Reſp. Materia baptiſmi eſt aqua elementaris ſubſtantialiter; & apta lauare. Dicitur *aqua elementaris, ſeu naturalis,* quia nulla artificialis eſt bona ad hoc Sacramentum. omnes in 4. diſtin. 3. & Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 2. & patet ratione; quia cum ſimpliciter profertur aliqua dictio, hoc ipſo ſupponit pro ſuo principali ſignificato; at quoniam in ſcripturis habetur abſolutè debere baptizari nos in aqua, ideo de naturali, & elementari aqua intelligendum eſt. Dico *elementarem aquam,* ideſt naturalem, & vſualem hanc, qua nos vtimur; nam elementarem puram quis vidit? quicquid ſit, puto eſſe probabilius vſualem ab elementari aqua non differre ſpecie; hanc autem elementarem, ſeu naturalem, vel vſualem aquam eſſe materiam, eſt de fide; Ioan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & alijs locis ſupra cit. & ita decreuit Concil. Florent. & Trid. ſeſſ. 2. cap. 2. de Baptiſm. & eſt communis ſententia Patrum, vt ſupra diximus. Dicitur *ſubſtantialiter.* Primo, ad excludendum humorem corporis, vel animalis, vel ſuccum herbarum, aquam ſtillatam, ceruiſiam, ptiſanam, vinum, oleum, &c. quæ non poſſunt eſſe materia baptiſmi; neque gelu, vel brodium, vel pruina, vel grando, vel nix, niſi liquefiat, vt poſſit fieri ablutio; quia variationes nullæ accidentales factæ vel arte, vel natura, ſiue in colore, ſiue in ſapore, ſiue in pondere, ſunt materia vera baptiſmi. De lixiuio, & aquis ſulphureis, & balneorum, eſt dubium; nam Palud. in 4. diſt. 3. q. 3. negat. Sot. in 4. diſt. 3. quæſt. vnica art. 4. concedit; niſi propter materiæ alterius admiſtionem aqua mutet ſpeciem. idem dicas ſi aquæ elementari aliquid aliud admiſceatur; vt ſal, vinum, oleum, &c. ſi enim eſt magna miſtio alterius ſubſtantiæ cum aqua ita vt aquæ ſpeciem, & nomen amittat, vt ſi multum vini infundatur in aqua, & in iure quando eſt nimium pinguedinis, & in lixiuio quando eſt multum cineris, & in balneo quando eſt multum ſulphuris, ita vt dicatur vinum dilutum, vel oleum

aquatum, &c.non est verus baptismus. quòd si modica fit mistio (vt si parum vini misceatur,vel cineris in lixiuio, vel terra in aqua turbida,vel salis, vel olei, &c. ita vt aquæ nomen & speciem retineat, vt possit dici aqua vinosa, turbida, salsa, oleosa, &c.) erit verus baptismus. Quòd autem aqua fit calida, vel frigida, vel tepida, nihil refert;vt definitur eodem Concil.Trid. & Florent. vt supra.idem est dicendum de aqua rubra,salsa,vel aliter affecta, aut alio colore alterata, dummodo nomen, & speciem aquæ retineat, vt dixi. ex his primo infertur; quamcumque variationem accidentium, vel magnam admistionem incompossibilis substantię cum substantia aquæ, tollere baptismum. Secundo, quando aqua fuit conuersa in aliam substantiam,vt in sputum, phlegma, &c. C. in quadam.de celebr.miss.vbi Innoc. 3. probat baptismum non posse fieri in sputo,quia aqua quæ exiuit de latere Christi,fuit vera aqua elementaris, non phlegma; & assignat ibi quatuor modos: Primus, quia potuit exire aqua illa quæ remanet in misto. Secundus, quia fuit miraculum. Tertius,per creationem, quia tunc ibi creauit aquam illam. Quartus, per resolutionem.quòd aliqua pars corporis resoluta sit in aquam, ex hac aqua fluente ex latere Christi fuisse baptizatum latronem in cruce affirmat Chrysostomus In orat.de suo reditu ex Asia Constantinopolim. ex his quatuor modis Innocentius nullam definit,itaque possumus tenere quemuis. Mihi placet tertius, vel quartus,adiuncto aliquo miraculo propter nimiam celeritatem,& hoc voluit fortasse D.Thom.3.p.q.66.artic.4.ad tertium. Tertio, apparet in resolutione excrementorum, vt lacrymis, sudoribus, lotijs. Quarto, in quibusdam aquis artificialibus, de quibus verò dubitari potest an sint aqua; vt ceruisia, ptisana, aqua distillata per ignem ex pane recente cocto per lambiccum. Item, in aquis quæ eliciuntur ex succis herbarum, & in aquis alchimicis; & hæc est opinio antiquorum Theologorum. Verum circa hoc quartum,est opinio recentiorum posse per elambiccum, vel alchimiam, vel per artificialem stillationem elici aquam veram elementarem, licèt admistam secundis qualitatibus; probatur, quia pluuia est apta baptismo, & tamen habet multas secundas qualitates. Ego dicerem, quòd vrgente necessitate, in his aquis baptizarem, sed rebaptizarem cum conditione adueniente aqua elementa-

mentari,& hanc regulam extenderem ad omnem aquam ſeparabilem ex miſtis, vt ex vino, luto, &c. quæ ſolet interdum artificio quodam ſeparari. Et adderem hanc regulam; quòd cum dubitatur an ſit vera aqua, dum res eſt dubia, non debet cum ea conferri baptiſmus; quòd ſiquis cum ea baptizauerit, & dubius etiam erit an ſit validus baptiſmus, eo caſu debet iterum cum conditione rebaptizare; vt, *ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine patris, &c.* Additur denique in definitione, *apta lauare*; ad excludenda miſta imperfecta meteorologica; vt grandinem, niuem, &c. quæ non curo an differant ſpecie nec ne ab aqua. Sed hoc vnum eſt, quod non ſunt apta lauare; at baptiſmus eſt ablutio, ergo &c. hinc patet, quòd ſi vapor qui incipit fieri pluuia ſit aliquo modo denſus vt poſſit lauare, eſt materia apta baptiſmo. Et hæc de materia remota baptiſmi, quæ eſt aqua elementaris. dicamus nunc de propinqua, quæ eſt ablutio facta in aqua. Sit igitur

Tertium dubium. De ſecundaria, & propinqua materia baptiſmi, ideſt de ablutione, & modo applicandi aquam in baptiſmo.

Tripliciter poteſt applicari aqua in baptiſmo; primo per immerſionem, quando maxima pars corporis eſt ſub aqua. ſecundo per effuſionem. tertio per aſperſionem. quorum trium modorum nullus eſt præciſè eſſentialis, quilibet eſt aptus; quia baptiſmus ſubijcit nos aquæ in figura ſepulturę Chriſti; & quilibet horum modorum ſufficit ad ſubijciendum corpus aquæ. Imo addunt Theologi, quòd ſiquis baptizando per immerſionem, vteretur verbo ſignificante aſperſionem, vel effuſionem, baptiſmus probabiliter teneret; vt ſi quis diceret, *ego te aſpergo, &c.* Dixi *probabiliter*; quia Sotus in 4. diſt. 3. quæſt. vnica. ar. 7. & omnes, ſentiunt eſſe probabilius tunc oportere ſub conditione rebaptizare; & baptizans peccat mortaliter; tum quia facit formam mendacem; tum etiam quia exponit baptiſmum periculo. Debet tamen quiſque in his modis ſeruare ritum Eccleſiæ ſuæ. communis tamen vſus eſt baptizare per immerſionem, quod eſt tutius. D. Thom. q. 66. art 7. & quia magis repræſentat effectũ baptiſmi quod eſt ſepelire nos in Chriſto; ſi ſecus fieret, eſſet peccatum veniale; & ſi cum ſcandalo, eſſet mortale. poſſet autem rectè fieri baptiſmus per modum aſperſionis, vel effuſionis, ex cauſa legitima, & rationabili; vt

si parum sit aquæ, vel necessitas vrgeat; vel si minister, vel baptizatus sint debiles, vel quia mors imminet; vel quia sit magna baptizandorum multitudo, vel quia sit adultus, vel ratione honestatis; & hac ratione nonnulli sentiunt Christum fuisse baptizatum per effusionem: non esset autem rationabilis causa si puer esset matri dilectus, neque si infans ploret.

Quartum dubium. An sine peccato possit omitti trina immersio?

Resp. Trinam immersionem non esse necessariam. Et ob id varijs temporibus modo vna, modo trina vsa est. nam aliquãdo cõtra Sabellianos qui negabant tres personas, tres mersiones præcepit Ecclesia. præcepit verò vnam contra Arrianos, quia ex tribus mersionibus eliciebãt tres Deitates. ideo in baptismo sólenni Sacerdos debet seruare ritũ Ecclesiæ matricis, vt ait Palud. dist. 3. q. 3. art. 2. Sot. d. 3. q. vnica. art. 8. Victor. q. 19. alioquin grauiter peccaret, non tamen mortaliter secundum Sotum, secluso scandalo; præsertim cùm in necessitate baptizaret infantulum, tunc enim nullus esset mergendi vsus, vt aiunt Sot. & Victor. tempore autem D. Thomæ erat magis in vsu immersio, ideo dicit esse communiorem vsum, vt notat Sotus. Decentissimum tamen est, vt baptismus trina mersione celebretur. Primo, vt respondeat materia formæ continenti nomina trium personarum. Secundo, quia baptismo consepelimur Christo, & sepultura Christi fuit triduana; quod si non fiat, baptismus est validus. de qua re dubitatum fuit olim inter patres, sed res fuit definita de consecr. dist. 4. Can: de Trina. quamuis enim sepultura Christi fuerit triduana, mors tamen fuit vna; & sicut per tres mersiones profitemur tres personas, ita per vnam mersionem profitemur vnam Deitatem. Quòd si baptismus fiat per tres mersiones, Sacramentum tamen nonnisi in tertia mersione completur; quia ex intentione ter mergendi, suspenditur valor in tertiam. Et etiam quia in tribus mersionibus profertur forma distinctim, & in tertia mersione cõpletur. Quòd siquis intendat tres mersiones secundum ritum suæ Ecclesiæ, & tamen totam formam proferat in prima mersione, iste ibi baptizat. ratio est, quia hic est debita materia & forma; solum obesse potest intentio. at cùm intentio ministri sit eadem cum Ecclesiæ intentione, & cùm Ecclesia intendat tres mersiones non de necessitate, sed de decentia, consequen-

ſequenter idem miniſter intendit. Quærit Caiet. 3.p.q.66. art. 8. ſi prima merſio eſt baptiſmus, an duæ ſequentes ſint partes baptiſmi? negat eſſe partes vel eſſentiales, vel integrales. ego puto eſſe integrantes.

Quintum dubium. An ſit neceſſe eodem momento, & puncto temporis, concurrere ſimul materiam baptiſmi cum prolatione verborum formæ?

Reſp. Non eſſe neceſſariam ſimultatem mathematicam, ſed moralem, paulo ante, vel poſt, more humano; Dummodo non intercedat loga mora; vt benè Scot. d.6.q.3. Riccard. d.3. art.4. q.1. Sot. d.3. q. vnica. art.8. Sylu. verbo Baptiſmus. 5. q.2. quare non eſt audienda gloſſ. in cap. detractio. 1. q. 1. quam ſequitur Caiet. quodl. 1. q. 16. quòd punctum mathematico more debeat intelligi; nam multa ſequerentur incommoda: at hoc vnum eſt verum, quòd ſi tanta ſit mora inter materiam, & formam, vt excedat ſimultatem moralem vſus humani, tunc non conficeretur Baptiſmus.

ſextum dubium. Hæc ablutio cui parti corporis eſt applicanda?

Reſp. Primo, Aquam debere tangere corpus hominis, adeo quòd ſiquis eſſet incluſus in corio, ligno, capſula, ſcrinio, ſacculo, vel panno, ita vt nihil aquæ ad eum perueniat, non ſit Baptiſmus; quia cum dicimus *ego te baptizo*, ſignificatur totum, vel pars totius. hinc confutatur à Soto dictum Paludani diſtin. 1. q. 1. qui dicit, quòd licèt aqua non tangat eum qui baptizatur, Deus ſupplet. Quòd ſi obijcias act. 2. & 4. fuiſſe ab Apoſtolis baptizata ferè tria, vel quatuor millia hominum vno die, quod fieri non poterat niſi aſperſione, quare veſtes aliquando ſolum tactas fuiſſe ab aqua probabile eſt: Reſpõdet Sotus, non temerè Apoſtolos baptizaſſe, ſed erant multi miniſtri, & multa vaſa, quæ tranſeuntes trinos, vel binos aſpergebant, ita vt aqua corpus ſingulorum tangeret. Secundo dico ex D. Tho. 3. p. q. 66. art. 7. ad tertium. ex neceſſitate præcepti ſaltem Eccleſiaſtici, & ex vſu, debet ablutio fieri in capite, ſi totum corpus commodè non poteſt immergi; quia in capite ſunt omnes ſenſus, vt ſignificetur purgatio totius hominis. probatur ex cap. poſtquam. de conſecr. d.4. & ratio eſſe poteſt, quia baptiſmus ordinatur ad delendum præſertim originale, quod totum hominem, & omnes ſenſus infecit. Vnde ſi ca-

si capilli tantum perfunderentur aqua, putat Sotus esse Baptismum; non tamen damnat eum qui sub conditione rebaptizaret, & hoc est tutius; ratio enim Thomistarum non placet, quòd capilli sint animati. Tertio dico, ablutionem in capite non esse de necessitate Sacramenti, quia satis est aliquam partem magnam corporis abluere. Dixi *magnam*, quia si abluatur digitus, manus, vel pes, (vt ijs qui in partu baptizantur contingit,) dubium esset Sacramentum; & tunc sub conditione rebaptizandum, vt ait D.Tho. 3.p.q.66.art. 11. ad quartum. Quòd si in necessitate id esset, puto cum Panorm. & Innoc. cap. debitum. de baptismo. quòd esset Baptismus. at si nascatur puer incolumis, debet iterum cum conditione baptizari; quia est opinio an sit Baptismus. Dices, an certa quantitas aquæ sit necessaria ad abluendum? Resp. cum Soto, supra; illam esse necessariam, quæ sufficit vt homo dicatur ablui. si autem tam paruæ, & exiles essent guttæ, vt reuera non censeretur ablutio, non esset Sacramentum. & si quando res esset dubia, iterandus esset Baptismus sub conditione, quod esset tutius. Dices, cùm ista materia aquæ non possit applicari baptizando sine periculo vitæ illius; quid agendum? Resp. si periculum vitæ potest vitari vnica mersione, fiat vna, etiam si sit contra ritum; & præterea tunc debet fieri mersio ita parua, vel etiam aspersio, quantum necesse videatur.

Septimum dubium. Ponunt Doctores hunc casum. Siquis puer esset in articulo mortis constitutus; & non esset copia aquæ, quia puteus altus est; siquis abijceret illum, & cum peruenerit ad aquam, dicat: *ego te baptizo &c.* an esset baptizatus? Panor. in cap. non opponat. de baptism. dicit esse verum Baptismum. Idem Maior in 4. distin. 4. q. 2. Victor. q. 19. Oppositum tenet Palud. d. 3. q. 1. Scot. d. 5. q. 5. Marsil. dist. 4. quæst. 1. quare ego puto non esse Baptismum, & ille esset homicida, & irregularis. ita Sylu. verbo Baptismus. 5. quæst. 1. Sot. d. 3. q. vnica. artic. 8. Vnde deberent omnia tentari per fitulam, panem infusum, vel mittatur puer per canistrum. si verò nullum remedium suppetat, non debet proijci; quia non sunt facienda mala, vt veniant bona. Imo nec si fieret Sacramentum, quia Baptismus est figura sepulturæ Christi; at iste puer consepelitur Christo, sed non resurgit cum Christo. quod verum est, si data opera fiat; nam si casu fiat, vt dum baptizatur puer vel rumpa-

rumpatur funis,vel è manibus labatur, tunc poteſt haberi ratum Baptiſmum; & putat Sotus eſſe validum, ſi dum in fonte mergitur, & moritur, antequam moriatur proferantur verba formæ.

Octauum dubium. An Baptiſmus iterari poſsit.

Reſp. negatiuè. *Confiteor vnum Baptiſma*. Probatur ex cap. ſiqui. 1.q.1.& cap. non ſicut. de conſecr. diſt.4. & cap. rebaptizare. item, ex Concil. Florent. & Trid. ſeſſ.7.can.9.de Sacramentis. & Catechiſ. Rom. imprimit enim characterem. ſic etiam docet D.Thom. quæſt.66.art.9.Sot.in 4.diſt.3.q. vnica art.9. & omnes. Baptiſmus enim nos configurat morti Chriſti quæ eſt vna. Item, quia proprius effectus Baptiſmi, eſt remiſsio peccati originalis, quod vnum eſt. Secundo dico, id eſſe de iure diuino. ita Scot. & Sot. Tertio dico, quòd tam rebaptizans, quàm rebaptizatus fit irregularis. cap.2. Apoſt. & cap. quibus. & cap. eos quos. de conſecr. d.4. dummodo non dubitetur an ſit baptizatus, tunc enim eſſet ſub conditione rebaptizandus; vt habetur in can.2. de baptiſm. & Sot. qui ait, ab irregularitate excuſari ignorantiam inuincibilem facti, non iuris. Quarto dico, qui rebaptizaret puerum domi baptizatum ſine ſolennitate, incurrit irregularitatem, etiam ſi baptizaret ſub conditione, & non adhibuit diligentiam vt ſciret an fuerit baptizatus. ita Sot. ſupra. & Victor. quæſt.36. Ledeſ.4.p. quæſt.7.art.5. dub.3.& Catechiſm. Rom. Probatur ex Innoc. & Nau. qui tandem ſententiam mutat; nam cap.27.num.246.in foro interiori idem tenet. cum igitur baptizatus eſt puer, ſatis eſt adhibere ritus qui defuerunt. cap. Chriſtus ſanctus. 1. quæſt.1.& ſic intelligitur gloſſ. quæ ibi dicit non eſſe iterandum baptiſmum, licèt non ſit perfectum. intelligitur, cum ſunt ſeruata eſſentialia; ſi enim ea ſeruata non ſunt, erit integrandum integrè. Imò licèt ſolenniter eſſet quis baptizatus, ſed aliquid defuit de materia debita, vel de forma, ſunt omnia iteranda. Ita Palud. d.6.q.4.& Sot. ſupra ar.9.

Nonum dubium. An ſint tria baptiſmata.

Reſp. Tria eſſe peccati remedia, quæ vocantur baptiſmata, baptiſmus fluminis, id eſt aquę baptiſmus. flaminis, quę dicitur pœnitentia; & Baptiſmus ſanguinis; qui dicitur martyrium. Sed horum trium, baptiſmus aquæ dicitur ſimpliciter Sacramentum. reliqua non ſunt Sacramenta, ſed dicuntur Baptiſmi; quia

quia supplent eius vicem, nec tamen sufficiunt ad salutem, nisi quando includunt Baptismum aquę in voluntate; quod dicitur Baptismum in voto, seu desiderio. qui ergo cupit baptizari, & dolet de peccato, & sic moritur; item, qui martyrium patitur cum eodem desiderio, salutem consequitur virtute passionis Christi. Hæc verò tria baptismata si comparentur inter se in ratione Sacramenti, Baptismus aquæ præstat cæteris, qui est verè Sacramentum; cæteri non. si comparentur inter se in eo quòd sunt instrumenta passionis Christi, & Spiritus sancti, primum locum obtinet martyrium; secundum, Baptismus flaminis; tertium, Baptismus aquæ. per primum enim copiosiùs confertur gratia, quàm per alia duo. & per secundum, copiosiùs quàm per tertium, & excellentiori modo. D. Tho. q. 66. art. 11. Sot. d. 3. q. 11. art. 11. & cap. Baptismi. de consecr. d. 4. vbi reliqua duo dicuntur metaphoricè baptismata.

De forma Baptismi: & primum, De forma Baptismi Ecclesiæ Græcæ: Caput III.



FORMA Baptismi vna est in substantia, sed ratione verborum alia est apud Grecos, alia apud Latinos. Græci sic baptizant: *Baptizetur seruus Christi N. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* quare in vniuersum, in forma Baptismi hæc regula seruanda est; dummodo explicetur actus baptizātis, & is qui baptizatur, cum inuocatione expressa trium personarum Sãctissimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, semper verus perficitur Baptismus, quibusuis fiat verbis; & quocũque idiomate. Dixi *in vniuersum*, vt Baptismum Græcorum includam, & Latinorum. Ex his infertur primo, non esse necessarium exprimere personam baptizantis, vt rectè probat Sotus d. 3. q. vnica. ar. 5. ex Adriã. q. 1. ar. 3. cõtra Innoc. qui super c. 1. de Baptis. tenet oppositum. Sed confutatur primo ex hoc, quia Græci verè baptizant, vt decreuit Concilium Florent. & tamẽ in eorum forma non exprimitur persona baptizantis; ergo nõ est de essentia, vt benè D. Tho. 3. p. q. 66. art. 5. Secundo infertur solu-

ſolutio ſequentium dubiorum.

Primum dubium. An ſi Latinus apud nos baptizaret forma Græcorum, Baptiſmus eſſet validus; an is peccaret?

Reſp. ex dictis cum Soto, & Adriano cõtra Innocentium, validum eſſe Baptiſma, dummodo fiat cum debita intẽtione; quia ſi valet apud Græcos, valebit etiam apud Latinos. peccaret tamen baptizans non ſolum ratione ſcandali, (vt ait Sotus) ſed etiã ratione inobedientię in re graui. D. Tho. in 4. & ſub verbo Baptiſmus. tenemur enim nos ſeruare formam, quam ſtatuit Eccleſia in Cõcilio Florentino, & alibi. quare de genere ſuo eſt peccatum mortale. ſic etiam peccaret Græcus (ait Sotus) qui in Eccleſia ſua baptizaret noſtra forma Latina, ratione ſcandali. Ex his patet, quòd non ſufficit Latino, vt exprimat actum baptizandi, ſed exprimendus eſt etiam miniſter; dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Tribus autem modis exprimi poteſt miniſter in forma: primo, cum exprimitur in recto, ſiue explicitè, ſiue implicitè; ſufficit enim dicere, *baptizo te, &c.* nã intelligitur *Ego*, & hic modus eſt optimus; quia inuocatur hic principale agens, non vt id quod elicit actum baptizandi; ſed vt id in cuius virtute hic actus eſt ſanctificatiuus; ideo ponitur in obliquo, *patris &c.* Miniſter verò id quod exequitur actum, vnde errauit Innocentius Canoniſta, putans non valere ſiquis dicat; *Ego Petrus te baptizo &c.* imò etiam ſi putaret eſſe eſſentiale; quia compatitur ſe cum intentione Eccleſię non tamẽ ſi vellet nouum ritum introducere. Secundò, cum miniſter nullo modo formaliter exprimitur, ſed virtualiter; ideſt, non in ſeipſo, ſed in actu ſuo; vt cũ dicitur, *baptizatur*; ſignificatur actus, & quia actus eſt ab agente, ideo agens exprimitur virtualiter. hic modus eſt validus; quia ſi eſſet de eſſentia Sacramẽti vt miniſter exprimeretur formaliter, nulla eſſet forma Græcorum; neque illa conceſſio ſic baptizandi prodeſſet Eccleſiæ Græcæ; non enim poſſet mutare eſſentialia. Secundò, quia in edicto Conſtantini (quod refertur inter acta Concilij Niceni) dicitur ſe fuiſſe cõfirmatum hoc modo; *ſignet te Deus, &c.* Tertiò, quia in hac formula in qua virtualiter tantum miniſter exprimitur continentur tria valde vtilia: Primum, oſtenditur ille actus fieri mediatè à Deo. Secundum, quòd virtus illius modi loquẽdi ſemper refert actum ad ſuum agens. Tertium, ne ſit occaſio ſchiſmatis, *Ego ſum Cepha, Ego Apollo.* Tertius verò modus

quo quis ministrum explicitè,& implicitè taceret,esset inualidus,introduceret enim nouum ritum,qui variat essentialia, & ab Ecclesia non toleratur. vnde ex dictis sequitur

Secundum dubium. An si quis in baptismate vtatur hac forma: *baptizet te Christus*. vel sic: *baptizeris à Christo*; an sit verum Baptisma? ratio dubitandi est,quia in his formis excluditur actus ministri,dum ea tribuitur Christo. Cùm tamen actus exterior committatur ministro,& Christus abluat interiùs.

Resp. Innocentius cap. 1. de Baptismo (vt supra diximus) tenet non conferri Baptismum nisi vbi esset talis forma recepta. nos autem ex supradictis dicimus cum Soto supra citato, ex dictis formis conferri verum Baptismum; quia vtraque ablutio interior & exterior fit à Christo. exterior, per ministrum qui subit vicem Christi;& interior, per Christum ipsum. quare baptizat Christus exteriùs per ministros,& mediante actione ministri impendit gratiam. si tamen expressè excidetur actio ministri, tunc certum est non confici sacramentum. Dicamus nunc de forma Latinorum Ecclesiæ Romanæ.

De forma Baptismi Ecclesiæ Romanæ.



FORMA Baptismi in Ecclesia Romana hec est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen*. cap. 1. de Baptis. licèt illa verba, *ego*, & *amen*, non sint de necessitate,& essentia Sacramenti, sed de necessitate præcepti. Colligitur hæc definitio ex Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Item, ex cap. firmiter. de sum. Trinit. & fide Catholica, & ex Concilio Flor. in vnione Armen. Sed circa formam est communis doctrina, quatuor requiri,vt forma sit legitima: Primum, psonā ministri. Secundum, suscipientem ipsum baptismum. Tertium, actum ipsum qui fit. Quartum, causam principalem in cuius virtute fit Baptismus. *Ego*, en minister. *te*. en suscipiens. *baptizo*, en actus: *In nomine Patris &c.* en causa principalis in cuius virtute fit Baptismus. de primo, idest de ministro, qui tripliciter in forma exprimi potest, dictum est supra dubio primo.

Ter-

Tertium dubium; Circa primum, ideſt circa perſonam miniſtri, præter illa duo dubia in dubio præcedente expoſita, quæritur nunc, ſi quis grauitatis cauſa baptizans ſic diceret: *nos te baptizamus*. Item, *ego vos baptizo*; aut, *nos vos baptizamus*; & tamen qui baptizat, & qui baptizatur eſt vnus, an validus ſit Baptiſmus?

Reſp. ſi in plurali intelligitur, non perficitur Sacramentum, quia variatur ſenſus formę; vnus enim eſt Chriſtus, vnus miniſter, vnus Baptiſmus. ſi autem in ſingulari intelligitur ob grauitatem perſonæ ex accommodatione vſu, vt ſi Epiſcopus baptizaret, & Rex baptizaretur; tunc eſſet verus Baptiſmus. Sot. in 4. d. 1. q. 1. art. 8. & ſic intelligitur D. Tho. 3. p. q. 66. art. 5. Victor. q. 17. Sylu. verbo Baptiſmus. & alij. Si autem duo ſic baptizarent, vnus aquam mittat, alter proferat verba formæ, nihil faciunt, quia eſt falſa forma illius qui dixit, *Ego te baptizo*. D. Tho. & Victor. ibid. ſi verò vterque ſimul & ſemel verè baptizat integrè, ita vt vterque aquam infundat, & dicat formam, tunc eſſet verus Baptiſmus, vt ait D. Tho. 3. par. q. 66. art. 5. ad quartum. & q. 67. ar. 3. Victor. q. 17. Sot. in 4. d. 1. ar. 4. quamuis oppoſitum teneant Palud. in 4. d. 3. q. 2. Dur. q. 3. Caiet. 3. p. q. 67. ar. 3. Item, ſi quilibet eorum intendat ſeorſum baptizare, non teneret Baptiſmus; ſaltem eſſet dubius, vt ait Sotus ibid. ſi autem vnus plures baptizaret dicendo, *Ego vos baptizo*; eſſet verus Baptiſmus, vt baptizabant Apoſtoli; quia ſic non variatur ſenſus formæ; perinde enim eſſet ac ſi diceret, *Ego baptizo te, & te, & te*. D. Tho. ibid. Sylu. verbo Baptiſmus 3. q. 2.

Quartum dubium Circa ſecundum, ideſt circa ſuſcipiẽtem, exprimi debet perſona quę baptizatur. Primo, quia licèt q baptizatur nõ intelligat ſe baptizari, poni tamen debet in forma illud *te*, vt ſignificetur efficaciã Baptiſmi eſſe in applicatione materię, & formę ad aliquẽ. ſic enim exprimitur actus baptizãtis, quia exprimitur perſona recipiẽs; ſed actus baptizãtis debet exprimi, ex Concil. Flor. & nos infra dicemus; Ergo &c. Secundo, vt oſtendat neminẽ poſſe à ſeipſo baptizari. c. debitũ. de baptiſ. & eius effect. vt ſi dicat, *Ego me baptizo in nomine Patris &c.* quia mutatetur ſenſus formæ; ideo Chriſtus voluit à Ioanne baptizari. An verò in ſecunda, vel in tertia perſona exprimatur baptizandus, nihil refert; idque vel actiuè, vel paſſiuè. Valet ergo ſi dicas, *Ego baptizo Petrum* vel, *baptizeris*

sime Patre; vel, *baptizetur Christi seruus.* manet enim virtualiter intentio Ecclesiæ; peccaret tamē baptizans mutando formam. Dices; quid si baptizas Petrum, & ille est Ioannes?

Resp. nihil refert. imò, nec si putaret esse masculum, & est fœmina. Dices; in matrimonio error personę inualidat Sacramētum matrimonij, ergo Baptismi?

Resp. Matrimonium non solum est sacramentum; sed etiam est contractus, qui debet fieri inter certas personas.

Quintum dubium, Circa tertium; idest circa ipsum actum, quæritur; Cur opus sit ipsum exprimere? ratio dubitandi hæc est: Primò, quia videtur satum exprimere actum illum, quem omnes sciunt me facere. quòd si videtur vrgere necessitas exprimendi hunc actum ex illo Domini Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* vt ibi Dominus præcipiebat non exprimi, sed fieri actum. Secundò, Eucharistia est præstantissimum Sacramentorum, & tamen in ea non exprimitur actus; non enim ait sacerdos, Ego consecro Christi Corpus, & Sanguinem.

Resp. Duas à Theologis assignari rationes: Prima est, ideirco in alijs actionibus non requiri sui expressionem, eo quòd ex sui natura sunt determinatæ ad vnum; at quoniam illa verba, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non sunt determinata potius ad hunc, quàm ad illū actum, (*omnia enim quæcumque facitis, in nomine Dei facite,* ait Paulus ad Coloss. 3.) ideo exprimi debet actus ille ad quem determinatur. Secunda ratio est; quia Sacramentum est causa per modum signi practici, quare tantum causat, quantum significat; sed causat ablutionem interiorem, ergo debuit significari nomine exteriori. vnde Alexāder III. C. si quis. de baptis. & eius effect. definit, cum Dominus dixit, *baptizantes eos &c.* non solum præceptum dedisse de actum faciendo; sed etiam exprimendo. & sic patet ad primum. Ad secundum de Eucharistia, Resp. quòd Eucharistia est Sacramentum quod non huic, vel illi tantum applicatur, sicut Baptismus, sed est Sacramētū quo cōficitur Corpus Christi; vnde sufficit exprimere id quod fit. Quid si quis loco verbi *baptizo*, dicat: *Ego te abluo, te mergo, te lauo*, vel æquiualentia verba? Alensis, Gabriel, & Glossa negant valere Baptismum. sed Resp. esse verum Baptismum, quia seruatur idem sensus per illa verba; vt rectè dicit Victor. q. 182. & Sot. in 4. d. 3. q. vnica.

ar. 5 qui oppositam opinionem confutat; & addit quod si quis diceret *te balneo, te in aquam mitto*, esset repetendus Baptismus cum conditione; *si es baptizatus, Ego te non baptizo; si non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris &c.* quia balneatio, & mittere in aquam, possunt aliud significare, quàm abluere; nam possunt fieri ob sanitatem, &c.

Sextum dubium, Circa quartum; idest circa causam principalem in cuius virtute fit Baptismus, est: An sit verus Baptismus si quis dicat, *Ego te baptizo in nominib. Patris, & Filij, & Spiritus Sancti?* negant omnes; quia videretur diuersitas essentiæ personarum; significat enim *in nomine*, idest, *in fide*. & quoniam vna est fides, vnum debet esse nomen. ita Hugo de sancto Victore l. 2. de Sacram. p. 6. cap. 2. Secundo, quia in nomine, idest, in potestate; at quoniam vna est potestas in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto; ideo in nomine, & non in nominibus. ita D. Tho. 3. p. q. 66. Hinc infertur contra Sotum, qui in 4. d. 3. q. vnica, ar. 5. dicit sub conditione iterandum esse Baptismum si quis baptizaret *in virtute Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; quoniam virtus, potestas, & nomen, sunt synonyma, & hæc ratio D. Thomæ est consentanea omnibus patribus, qui scripserunt contra Arrium asserentem tres deitates. nam vnum est nomen omnibus, vna potestas, vna virtus, ergo vna Deitas. non igitur in nominibus, sed in nomine; quia vnus est Deus, ait Hieronym. in Epist. Pauli ad Ephes. 4. Licitè autem dicere possumus *in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus Sancti*; & esset verus Baptismus. sed non *in nominibus*; quia ly *in nominibus* multiplicat essentiam. *in nomine* non multiplicat. sicut etiam dicimus, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Dij*. Si quis verò casu diceret *in nominibus*, Marsilius non audet rebaptizare; sed putat tenere Baptismum ex accommodatione vsus; non secus ac ille, *in nomine Patrias, & Filia, & Spiritus Sancta*. can. retulerunt. de consecr. d. 4. Contrarium tamen est tutius; quoniam illa *in nomine Patrias &c.* non faciunt vllum sensum, & possunt accommodari ad vsum bonum, at ly *in nominibus*, quia multiplicat, facit sensum ineptum in Sacramento; & idcirco parum refert an consultò fiat vel casu. Si quis autem dicat, *in nomine hoc quod est Pater, in nomine hoc quod est Filius, in nomine hoc quod est Spiritus Sanctus*, Baptismus non esset verus; quia fieret per

ret per notionalia; & hoc modo cùm ly *in nomine hoc*, referatur ad personalia, non sanctificat.

Septimum dubium. An in baptismate sit necessaria expressa distinctio personarum, an sufficiat vnam tantum exprimere personam; vt verbi gratia dicere, *Ego te baptizo in nomine Christi.* sic enim legimus semper, nec aliter baptizasse Apostoles. act. 2. 8. 10. 19.

Resp. Ambrosius l. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. ait, fidem interiorem esse necessariam, vt sit distincta trium personarum, sed non opus est exprimi tres personas. huius sententiæ est etiam Beda in act. cap. 10. & Bernar. Epist. 340. vbi ait fuisse verum hoc baptisma, *Ego te baptizo in nomine Dei, & Sanctæ Crucis;* quia sonus verborum non præiudicat fidei. & illud *in nomine,* significat in virtute. sed vna est virtus quæ est in vna persona, & in tribus. ergo &c. huius quoque sententiæ est Hugo de S. Vict. l. 2. de Sacram. p. 6. cap. 2. Magist. in 4. d. 3. & glo. in can. à quodam. & can. multi. de consecr. d. 4. Primum Ambrosij fundamentum est, quia semper Apostol. in act. locis supra citatis, sic baptizarunt in nomine Christi. *baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi.* act. 2. *Cùm verò credidissent Philippo Euangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.* act. 8. *numquid aquã, quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperūt, sicut & nos.* act. 10. *Iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu.* act. 19. Secundum, quia Diuinæ personæ ita sunt inter se connexæ, vt non possit nominari vna, quin aliæ intelligantur. nam in nomine Christi, intelligimus filium vnctum, Patrem vngentem, & Spiritum Sanctum in quo est vnctus. act. 10. vbi ait Petrus; *Vos scitis, quòd factum est Verbum per vniuersam Iudæam, incipiens enim à Galilæa post Baptismum quod prædicauit Ioannes, Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu Sancto, qui pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo. &c.* Item, qui nominat Patrem, & Filium nominat; & nominato patre, intelligimus Spiritū Patris. Confirmatur ex Nicolao Papa, can. à quodam. de consecr. d. 4. vbi respōdens ad Bulgarorum consulta, vtrum quidam baptizati à quodam Iudæo, & Pagano, *in nomine Dei,* sit verum baptisma; an essent rebaptizandi? Respondit non esse rebaptizandos, quia si

bapti-

baptizasset in nomine Trinitatis esset validum baptisma. & addidit, imò etiam si baptizasset in nomine Christi, esset validũ. Contrarium tamen sentit D. Tho. 3. p. q. *66*. ar. *6*. quem multi sequuntur; nunc non esse validum Baptismum si fiat in nomine vnius tantum personæ. Apostolos autem tunc baptizasse in nomine Christi, ex peculiari inspiratione, quia multum tunc intererat in principio nascentis Ecclesiæ, vt nomen Christi celebraretur. Licèt ad hoc posset dici, nomẽ Christi potuisse alio modo propagari, vt si dicatur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, & Spiritus Sancti.* Idcirco nonnulli ex recentioribus negant vel à nobis posse in vnius personæ nomine, vel ab Apostolis potuisse baptizari vnquam. probatur ex act. 19. vbi cùm Paulus inuenisset quosdã viuentes inter discipulos, interogauit *an accepissent Spiritum Sanctum?* responderunt, *nec si Spiritus Sanctus est audiuimus;* tunc Paulus, *in quo ergo baptizati estis?* ex qua interrogatione colligitur, quòd ex ipso q̃ illi non audiuissent Spiritum Sanctum, non fuisse eos baptizatos more Euangelico. Vnde si Apostoli dispensationem habuerunt tunc baptizandi in nomine Christi, ergo lex erat communis baptizandi in nomine trium personarum sanctissimæ Trinitatis. Quare ad primum Ambrosij fundamentum, Resp. fuisse Apostolis dispensatum. Secundo, illud *in nomine Christi*, potest intelligi in auctoritate, & virtute Christi; idest, iuxta Christi institutionem, quæ fuit vt baptizaretur *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ad illud Bernardi dicentis Baptismũ *in nomine Dei, & Sanctæ Crucis* esse validum; quia illud *in nomine*, significat, in virtute, quæ ita est in vna persona, sicut in tribus, Resp. Virtutem illam esse vnam in tribus, sed requiri in baptismate confessionem fidei explicitam. Ad secundum, Resp. nomina personarum debere esse illa, quæ significant personalia constitutiua; hæc verò non sumuntur ex relationibus ad creaturas, sed inter se. Ad confirmationem Nicolai, Respondet Sotus, quòd soli vsui Apostolorum, & auctoritati Ambrosij innixus est Nicolaus, neque id decreuit tanquam articulum fidei, sed tanquam opinionem, quam putauit probabilem. quare infert Sotus, quòd esset peccatum mortale baptizare *in nomine Christi*, & ex communi sententia neq; teneret Baptismus siquis diceret, *Ego te baptizo in nomine Trinitatis;* quicquid dicat Caietanus. videndus est D. Thomas 3. par.

q.66.

quæst.66.art.5.Sotus in 4.d.3.q.vnica.art.5. Victor.q.16.

Octauum dubium. An teneat Baptismus si fiat *in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*.

Resp. negatiuè; quia nomina ista genitoris geniti, & procedentis, significant actus notionales, quibus fiunt origines, & processiones; Sed diuinæ personæ non constituuntur formaliter per actus notionales, sed per relationes consequentes ad hos actus; scilicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Sotus in 4. d. 3. q. vnica. art. 5. in fine, cum omnium Doctorum sententia, tenet esse iterandum, saltem cum conditione. Caietanus autem 3.p. q. 66. art. 5. audacter defendit oppositum, cum gloss. cap. multi sunt. de consecr. d.4. Palud. verò in 4.d.3.q. 4. dubitat; ideo saltem sub conditione cum Soto dicit esse iterandum. Victor. q. 14. idem dicendum est de alijs nominibus, qui bus dictæ personæ exprimi possent; debent enim exprimi illis nominibus, quibus communiter consueuerunt nominari in illa lingua. ita D. Tho. 3.p.q.66.ar.ad septimum.

Nonum dubium. An liceat addere aliquid formæ. Dictum est supra tract. 1. cap. 1. dubio 7.

Decimum dubium. Quid si in forma, breuitatis causa, omitteretur *ego*, & *Amen*.

Resp. tenere baptismum; quia non sunt de substantia formæ; sed peccare mortaliter, quia sunt de necessitate præcepti. Sylu. verb. Baptismus. Nau. cap. 22. de Baptismo.

De Ministro: Caput IV.

MINISTER Baptismi duplex est: Ordinarius, idest qui facit ex officio. & minister necessitatis, idest qui non ex officio, sed ex vrgente necessitate baptizat. Ordinarius minister est sacerdos, & nō quiuis, sed Episcopus, vel Parochus. Minister in necessitate, quicunque potest baptizare siue fœmina, siue vir, siue puer, siue senex, siue Iudæus, siue hæreticus; dummodo habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia; licèt non credat. c. maiores. de Baptismo. nunc fit

Primum dubium. An baptizare cōpetat ex officio sacerdoti.

Resp.

Reſp. Primò & principaliter eſt officium Epiſcopi; deinde etiam presbyteri. eſt communis ſententia Doctorum ex Concilio Florent. & Tridentino. Ignat. Epiſt. 13. ad Hieronem. & Hierony. contra Lucifer. Vnde etiam præſente Epiſcopo poteſt ſacerdos baptizare, non tamen omnibus permittitur ab Eccleſia ſolenniter baptizare, ſed ſolum proprijs parochis, vel alijs de licentia curati, vel Epiſcopi, vel ex priuilegio ſuperioris. cap. interdicimus. 16. q. 1. Qui verò contra faceret, non fieret irregularis; quia non eſt expreſſum in iure. ita Sylu. verb. Baptiſmus 3. §. 1. D. Tho. 3. p. q. 67. art. 2. Sot. in 4. d. 4. q. 1. ar. 1. Quid de Diaconis? an ex officio ſpectet ad eos baptizare? Reſp. negatiuè. ex cap. Diaconis. diſt. 3. & ex Concil. Flor. & eſt communis ſententia, & vſus Eccleſiæ. D. Tho. 3. p. q. 67. art. 1. Vnde ſi ſolenniter baptizaret, fieret irregularis; ſicut & quilibet alius clericus, vel laicus. cap. 1. de cler. non ordinato miniſtr. Sylu. verb. Baptiſmus 3. §. 1. Extraordinarium autem officium baptizandi ſolenniter poteſt Diaconis committi; quia in actis Diaconi Baptizabant, & docebant propter penuriam, vt dicit Ambr. in Epheſ. 4. & legimus de Laurentio. Vnde Tertul. l. de Baptiſmo ait, *ius dandi Baptiſmi habent Epiſcopus, Presbyteri, & Diaconi; non tamen (inquit) ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem; quo ſaluo, ſalua pax eſt.* & patet ex Pontificali Rom. in ordinatione Diaconi; officium Diaconi eſt baptizare. quod cõfirmatur ex can. perlectis. d. 25. ex Iſidoro. & de cõſecr. d. 4. can. conſtat. & d. 95. can. Diaconos.

Secundum dubium; An laicus validè baptizet in extrema neceſſitate?

Reſp. affirmatiuè. ex Concil. Florent. & vſu Eccleſiæ. dummodo ſeruet formam Eccleſiæ, & intendat facere quod facit Eccleſia; & eſt communis ſententia. patet ex act. 9. vbi mittitur Paulus vt baptizetur ab Anania, qui erat purus diſcipulus, vt teſtatur Clemens Rom. l. 8. Apoſtolicarum Conſt. cap. vlt. patet etiam ex l. hiſtor. Eccleſ. cap. 15. vbi Athanaſius puer baptizauit nonnullos, & ab Alexandro Epiſcopo fuit confirmatus verus Baptiſmus; vt ſupra diximus tract. 1. cap. 2. dub. 7.

Tertium dubium; An fœmina validè baptizet? ratio dubitandi eſt: Prima, quia id negarunt Epiphanius contra hæreſ. 42. Tertulianus l. de Baptiſ. Clemens Rom. l. 3. Apoſtolicarum

L Conſt.

Conſt.cap.9.vbi ait, *non præſumant mulieres baptizare*; Secunda,minus eſt docere,quàm baptizare;ſed Paulus 1.Tim.2. interdicit mulieri munus docendi:*mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum,ſed eſſe in ſilentio. Adam enim prius formatus eſt,deinde Eua*;Ergo multo magis baptizandi. Tertia,mulier non exorcizat,& ſi exorcizat,nihil facit.eſt enim officium exorciſtæ,cui datur poteſtas imponendi manus ſuper energumenos,ſiue baptizatos,ſiue catechumenos : at exorciſmus eſt cæremonia baptiſmi,igitur ſi non exorcizat, neque baptizat. Nihilominus dicendum eſt , fœminam in neceſſitate poſſe baptizare; vt patet ex vſu Eccleſiæ in obſtetricibus baptizantibus pueros. Et patet ratione; tanta eſt enim baptiſmi neceſſitas præſertim infantium,vt probabile ſit diuinam miſericordiam voluiſſe valorem Baptiſmi non pendere ex ſexu, ſed ex animo rectè intendente id quod facit Eccleſia. Quare ad argumenta Reſp. ad primum: Epiphanius differebat contra Marcionem,qui cõtendebat etiam mulieres eſſe Sacerdotes, & idcirco eſſe ordinarias miniſtras Baptiſmi : hoc impugnat Epiphanius. & idem voluit Tertulianus, qui præcipuam pugnam habuit contra Marcionem. De Clemente dico,illum dicere: *Mulier non præſumat*;ideſt, tanquam ex officio baptizare. Ad ſecundum Reſp.fortè maius eſſe docere ex officio,quàm baptizare.vnde Paulus:*miſit me Deus ad Euangelizandum,non baptizandum*.Sed eſto,dico quòd etiam mulier in neceſſitate poteſt docere,non ex officio, ſed ex diſpenſatione. Ad tertium Reſp. quòd non exorcizat. quod quamuis ſit minus perfectum quàm baptizare,eſt etiam minus neceſſarium.

Quartum dubium; An Iudæus, ſiue Paganus, ideſt non baptizatus,validè baptizet? ratio dubitandi eſt; Primò, quia Tertulianus l. 1. de Baptiſ.dicit,ideo laicum Chriſtianum poſſe baptizare , quia quod ex æquo accipitur, ex æquo poteſt etiam dari. Secundò, Auguſtinus l. 2.Contra Epiſt.Parmeniani cap.13.proponit hanc quæſtionem; & ait,ſibi eſſe adeo arduã, vt non poſſit ſine concilio plenario definiri. idem repetit l. 7. contra Donat. cap.53.Tertiò,quia Gregorius (vt refertur de conſecr.d.4.can.quos à paganis)mandat cuidam Epiſcopo,vt quos inuenerit à pagano baptizatos, curet rebaptizandos; Quarto,quia non eſt fidendum paganis;quis enim ſcit an rectã habuerint intentionem, cùm non credant in Eccleſiam? Imo eſt præ-

est præsumptio in contrarium. & fortasse materiam, & formam ignorant. Nihilominus dicendum est; quòd licet hæc res fuerit olim controuersa, nunc tamen certum est, à pagano posse rectè conferri Baptismum. ita definitur ab Innoc. III. de consecr. d. 4. can. à quodam. ad consulta Bulgarorum. & can. Romanus. ex Isidoro; vbi dicitur, Pontificem quendam Romanum id decreuisse. & concil. Flor. in bulla vnionum Armenorum. & patet ratione: nam ad baptizandum vel requiritur recta fides, vel character, vel recta intentio cum applicatione materiæ, & formæ. non primum, vt supra diximus, tract. 1. cap. 2. dub. 1. nō secundum, quia character Baptismi est passiuus, non actiuus; quare non sufficit. Ergo sufficit tertium, quod potest esse in pagano. Ad primum igitur Resp. affirmasse Tertullianum, quod erat verum, sed non negauit contrarium. Ad secundum Resp. Augustinum fuisse dubium, quia tunc nondum erat definitum. in fine tamen capitis 13. antequam concilium plenarium id definiat, *si à me petatur consilium (ait) putarem, quòd si Baptismus consecretur verbis Euangelicis, rectè tenet; verba autem Euangelica sunt: Ego te baptizo in nomine Patris &c. desumpta ex Matthæi cap. 28. euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Ad tertium Resp. quòd Gregorius dicit vnum verbum quod respondet dubio: *si ita habetur, baptizentur in nomine Trinitatis.* igitur signum est, illos paganos non baptizasse in nomine Trinitatis. Vel dici potest, quòd Gregorius dubitauit, & mandauit baptizari sub conditione. Ad quartum Resp. non est illis temerè fidendum; sed si moralibus coniecturis constet paganū habuisse rectam intentionem, sufficit. si non constat, debet sub conditione rebaptizari.

Quintum dubium. Quo loco, tempore, & ordine, non sacerdotes debent baptizare, ne peccent? Resp. primo, quòd quilibet laicus, vel paganus, vel hæreticus, siue mulier, siue homo, (quibus non competit ex officio baptizare) baptizat extra necessitatem, peccat mortaliter peccato sacrilegij, siue solenniter baptizet, siue non; & fit irregularis. cap. siquis. de clerico non ordin. ministrante. ratio est, quia baptizare extra necessitatem, est baptizare ex officio; at qui vsurpat officium in re graui, peccat mortaliter. Confirmatur; quia can. interdicimus. 16. q. 11. si sacerdos baptizat in aliena Ecclesia, peccat mortaliter. Ergo à

 fortiori,

fortiori, si extra necessitatem baptizet, grauiùs peccabit. Confirmatur secundo ex clem. vnica. c. de Baptis. vbi districtè prohibetur ne sacerdos baptizet in domo priuata extra necessitatem. addit etiam Sylu. & Sot. huiusmodi esse irregularem. Confirmatur tertio; nam pertinet magis ad decentiam Sacramenti vt à ministro debito ministretur, quàm vt debitis solennitatibus; quia illud est de iure diuino, hoc est de iure humano: at q sine solennitatibus celebrat, peccat mortaliter; ergo multo magis, qui non debito ministerio. Dico secundo, quòd ignorantia inuincibilis excusaret laicum à peccato mortali; quia hæc ignorantia excusat. c. debitor. de Baptis. & eius effect. imo Innocent. laudat quendam paganum qui seipsum baptizauit. Dico tertio, qui adultus se tradit baptizandum laico sine necessitate, peccat mortaliter. neque hic gratiam consequeretur, sed tantum characterem. multò grauiùs peccaret, qui ab infideli Baptismum extra necessitatem peteret. similiter à præciso, excommunicato, vel suspenso; quia cooperatur peccato. Dico quarto, hunc ordinem in baptizando seruandum: Mulier non baptizet præsente viro, sicut nec laicus præsente clerico. neque alius clericus præsente diacono; neque diaconus præsente sacerdote; sacerdos verò potest præsente Episcopo; quia ei competit ex officio, vt supra dictum est. Si peruertatur ordo inter mulierem, laicum, & diaconum, vt si minor baptizaret præsente maiore, verus esset Baptismus; peccarent, sed non mortaliter quia neque laici, neque diaconi est baptizare ex officio, & ideo non vsurpant officium alienum. esset autem peccatum mortale, cum laicus, vel alter cui non competit ex officio, baptizaret præsente sacerdote cui ex officio competit. aliquando nullum esset peccatum, vt cum minor est magis peritus in arte baptizandi, quàm maior. peritior enim est obstetrix rustico; debet igitur baptizare mulier. ita Sylu. verb. Baptismus. 3. §. 1. Sot. in 4. d. 4. q. 1. art. 1. Dices, quid si maior est præcisus ab Ecclesia; vt si adsit sacerdos excommunicatus, vel hereticus, vel suspensus, an sit melius baptizari à minori, verbi gratia à laico? Resp. affirmatiuè. Sylu. verb. Baptismus 3. §. 1. in fine.

Sextum dubium; An in ministro requiratur intentio. & qualis? Dictum est supra tract. 1. cap. 2. dub. 7. & 8.

Septimum dubium; An plures possint vnum baptizare? Præterea quæ dicta sunt supra, tract. 2. cap. 3. dub. 3.

Resp.

Resp. pluribus modis posse hoc contingere. Primus posset oriri controuersia inter duos sacerdotes volentes habere decimam, vel eleemosynam à baptizando; & quia potest accidere, vt sint duo baptizantes non integris membris, vnus enim est mutus non valens pronunciare formam; alter truncus manibus non potens effundere aquam; ideo quaeritur, an plures possint vnum baptizare, ita vt mutus effundat aquam, & trūcus manibus pronunciet formam? Resp. igitur; Marsilius, & Caietanus putant valere. negant D. Tho. Halensis, Scot. & Palud. & haec est verior opinio; nam ille qui profert formam, falsò dicit: *Ego te baptizo*; quia ipse non lauat. nec valet effugium Caietani, quòd baptizo significat applico tibi Sacramētum baptismi; quia baptizo significat lauo. Dices, quid si ambo dicant: *nos baptizamus*? nam sicut si duo iudices definientes litem, dicant in integrum, nos definimus; ita & hi duo baptizantes dicant, nos baptizamus. Resp. esse disparem rationem; nam illi duo iudices verè ambo proferunt sententiam; sed hi duo baptizantes non verè possunt ambo dicere, lauamus. Dices, in ordinationibus multi sacerdotes consecrant eandē hostiam; ergo similiter hic. Resp. esse disparem rationem; quia ibi sacerdos non mentitur dicens, *hoc est corpus meum*; quia nihil dicit quod non faciat. Secundus modus est; quando sunt duo qui faciunt totum; idest, quilibet applicat materiam, & formam, ac si esset solus, & praeterea dicit, *Ego te baptizo*. Resp. si non simul ambo totum faciant, primus tantum baptizat; Secundus rebaptizat, & peccat mortaliter. si simul concurrunt, est communis opinio, quòd Baptismus est validus; quia materialiter est duplex, formaliter est vnus idest, totum materiale Baptismi quod cōflatur ex verbo, & elemento, bis est iteratum; sed formale (idest) quòd sit signum practicum gratiae, est vnū; quia est vna significatio causatiua gratiae. Tertius modus; cùm isti duo intendant baptizare nō totaliter, sed partialiter, quia quilibet dicit: *Ego te baptizo*, sed vult id quod facit ipse, & id quod facit alter, sit pars; & deinde ex duabus partibus fieri vnum totum. Resp. hi nō baptizant, quia faciunt vt id quod de se est totum, diuidatur. & patet: quia Christus est vnus, & delegit sibi vnum ministrum totaliter. Quartus modus; si conueniant duo caeci ad baptizandum aliquem, quorum vnus alterum non videat, & nescit vnus alterū, vel baptizant absolutè, vel conditionaliter; si primò modo, peccant; quia

quia exponunt se periculo,& primus verè baptizat,alter rebaptizat. si secundo modo, scilicet *Ego baptizo* ; si alter non baptizat, tunc mutuò se euertunt, & neuter baptizat. Quintus modus;Quando dicunt:*nos te baptizamus*, diuisiuè,vt singulis tota actio competere significetur ; & hoc dupliciter euenire potest:Primo,vt ly *baptizamus*,significetid quod *baptizo*,vt loquuntur magnates ; vt, *nos Cæsar iubemus &c.* & hoc modo certum est valere; & qui prior profert verba,ille baptizat. Secundo,vt ly *baptizamus*,sit plurale distributiuum, vt æquipolleat his duabus: *Ego te baptizo,& Ego te baptizo*;& tūc hę duæ propositiones,vel ita proferuntur vt ambæ necessariæ,vt altera non valeat sine altera,& tunc non baptizant.Vel vt vna sufficiat,tamen concomitanter volunt esse multi, & tunc etiamsi quidam recensiores tutius esse dicant rebaptizare sub conditione,tamen puto simpliciter tenere;quia potest sumi proportio à ministris ad baptizatos, & è contra. at qui communiter dicunt valere cum sunt plures baptizandi,si quis dicat:*Ego uos baptizo*;& profectò videtur ea dem ratio in baptizante.Dices, posset ne contingere casus,quo quis sub vna forma baptizaret multos ? Resp. affirmatiuè.sed sine necessitate Scotus ait esse peccatum mortale.Sotus verò addit,si cum scandalo,est peccatum mortale.

Octauum dubium; An in baptismo requiratur qui leuet baptizatum de fonte.

Resp.affirmatiuè;ex Dionys.cap.2.de Eccles.H ierar.& cap. in Catechismo.cap.non plures.cap.nos autem.de consecr.d.4. & can.1.& 30.d.1.& ex D.Tho.3.p.q.67. art.7. Secundo dico, is tenetur habere curā baptizati,& illum instruere in his, quæ ad fidem spectant, & ad bonos mores. Qui verò inter Catholicos degunt,possunt ab his excusari; cùm non opus sit. D.Tho. supra.ar.8. Tertiò,sicut contrahitur cognatio spiritualis inter baptizatum,& baptizantem,eiusque patrem,& matrem; ita & inter leuantem de fonte, & leuatum; eiusque patrem & matrem;ex concil. Trid.sess. 24.cap.2.de reform.matrim.Nauar. cap.22.nu. 5.& 6.debet autem ad summum vnus,& vna leuare. & si quis alter baptizatū tetigerit,nulla inter eos cognatio oritur;Concil. T rid.ibid. Dices,qui non possunt leuare de fonte baptizatum?Resp.non licere monachis.cap.non licet. de consecr. dist. 4. & cap. monachi.ead.& cap.placet.16.q.1.& cap.

perue-

peruenit.18.quæſtione ſecunda.Sylu.verb.Baptiſmus.1.quæſt. 1. Sot. in 4. d. 4.q.1.art.1.ad ſecundum;An peccet mortaliter monachus ſi leuaret de fonte? Sot.dicit fortaſſe eſſe peccatum mortale.Ego verò puto eſſe iudicandum ex circunſtantijs.aliqui etiam extendunt ad religioſos,ſed praxis eſt in contrariũ. Secundò dico, non baptizatos non poſſe leuare de fonte, & ſi leuet,non cõtrahit cognationem ſpiritualem.cap.in Baptiſm. de conſecr.d.4.Sylu.verb.matrimonium 8.q.7.§.12.Sot.ſupracitatus.qui ſi baptizetur,contrahit cognationem ſpiritualem. Sot. ibid. Tertiò dico,parentibus non eſſe licitum leuare de fonte.cap.peruenit.30.q.1.Sotus in 4.d.4.q.1.art.1.quia alter cum altero coniuge contraheret cognationem ſpiritualem,& non poſſet petere debitum.In neceſſitate autem non contraheret.Sot.ſupra.Dices,quid ſi alter coniugum malitiosè ſine neceſſitate filium baptizaret? Reſp. non poterit petere debitum ob contractum impedimentum cognationis,ſed tenetur reddere;quia ſine ſua culpa nemo debet ſuo iure priuari.cap.deſcriptionibus.de eo qui cognouit conſang.vxoris ſuæ.Dices,quid ſi pater baptizaret filium in neceſſitate,vel mater; an contrahant cognationem?Reſp.negatiuè;ſi ſit filius legitimus.cap.ad limina. 32. q.1.D.Tho.in 4.d.42.art.1.Sot.d.4.q.vnica.art.5. in fine.Si quis autem baptizaret filium ſuſceptum de fornicatione,etiam in extrema neceſſitate contrahit cognationem; Nau.cap.22.num.4.ideo dixi,*ſi ſit legitimus.*Dices;ſiquis puerum domi baptizatum teneret in Catechiſmo, an contrahit cognationem?Reſp.non hanc, ſed aliam contrahi, quæ dicitur cognatio ex Catechiſmo,quæ impedit,ſed non dirimit;vt probat Nau.ſupracitatus.de hac re,plura in tract.de matrim.cap. 3.de impedimento cognationis ſpiritualis.dub.7.

De ſuſcipientibus Baptiſmum. Cap. V.

SVſcipiẽs Baptiſmũ eſt omnis homo;Vnuſquiſque enim tenetur ſuſcipere, adeo vt niſi ſuſcipiat, non poſſit intrare in regnum Cœlorum.Io.3.*niſi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei.*hæc igitur cõcluſio eſt de fide; ex Matth. & Marc. vlt. ex Concil. Later.&

cap.

cap. firmiter. de summa Trinit. & fide Cathol. omnes tenentur ingredi Ecclesiam; ergo & baptizari. ex cap. maiores. de Bapt. ex Clement. de summa Trin. & fide Cathol. est enim Baptismus necessarius ad salutem; saltem in voto ex Concil. Trident. sess. 7. cap. 5. & sess. 14. Videndus est D. Thom. 3. p. q. 68. & Sot. in 4. d. 5. q. vnica. art. 3.

Primum dubium; An infantes sint baptizandi. Omissa hæresi Pelagij, quã refert Augustinus l. de hæres. cap. 88. qui nullum putabat infantulos habere peccatum originale, & ideo nõ esse baptizandos ad illud delendum, sed esse tantum baptizandos vt ingrediantur vitam æternam, iuxta illud Ioannis 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in vitam æternam.* Interrogatus verò, quid si sine baptismo moriantur infantes? respondit, nescio quam aliam beatitudinem fuisse habituros. Omissa igitur hac hæresi, quæ fuit condemnata in Concilio Mileuitano ad id conuocato, quod à Leone Primo, Innocentio primo, & Anastasio primo fuit comprobatum. Resp. ad dubium. esse de fide pueros, seu infantes esse baptizãdos. patet ex illo Ioannis 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* quæ lex est vniuersalis pertinẽs ad omnes natos capaces renascentiæ, cuiusmodi sunt infantes. esset enim contra Diuinam misericordiam si tot infantibus morientibus nullum fuisset constitutum remedium. patet etiam ex Concil. Trid. sess. 7. cap. 13. de Baptis. Victor. q. 23. Tertiò, patet ex traditione Apostolica, quam reliquerunt nobis Dionys. Eccles. Hierar cap. vlt. Clemens Rom. l. 6. const. cap. 15. Orig. l. 5. in Rom. 6. August. l. 10. de Genes. ad lit. c. 23. & in omnibus libris contra Pelag. vbi ad probandum esse peccatum originale in infantibus, nullo ferè alio argumento vtitur freqũetiùs, quàm hoc; quòd ex antiqua traditione baptizarentur infantes in remissionem peccatorum. Dices primo, Christum Dominum instituisse modum baptizandi, cum Matthæi 28. instituit Baptismum, dicens: *docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* at infantes doceri non possunt, ergo nec baptizari. Secundo, sicut circuncisio erat Symbolum, & vinculum obligationis ad totam legem Mosaicam, ita baptismus est vinculum quo quis se obligat ad legem Christi; at infantes quia non possunt consentire, nec etiam possunt se obligare, ergo nec baptizari. Tertio, habemus in act. & alibi, quòd Apostoli cum bapti-

baptizabant, hortabantur ad pœnitentiam, & fidem, quæ duo non poſſunt ab infantibus expleri, ergo nec baptizari? Reſp. ad primum illud [docete] debet limitari iuxta finem doctrinæ, id eſt, ne docere ſit inutile, debent baptizandi aſſentiri vel proprio conſenſu ſi ſint adulti, vel ex conſenſu parentum ſi ſint infantes. & ſic etiam Reſp. ad ſecundum, id eſt, naturale ius eſſe vt infantes, & paruuli poſſint obligari per contractum parentum, & ſic pater conſentit pro filio; nam dum filius eſt infans, eſt quaſi quædam pars patris, & ſic poteſt obligari per voluntatem patris. Ad tertium Reſp. ex Dionyſio Eccleſ. Hierarch. cap. vlt. quòd ſuſceptores baptizatorum infantium, vel parentes eorũ obligant ſe, vt poſtquã pueri adoleuerint ad pœnitentiam, & fidem teneantur. vnde Tertullianus l. de Baptiſ. vocat hos, fidei ſponſores, quia huic ſponſioni tenentur ſtare filij.

Secundum dubium; An baptizandi ſint infantes in materhis vteris?

Reſp. negatiuè ex D. Thom. 3. p. q. 68. art. 11. ex Auguſt. l. 1. contra Iulian. cap. 6 & de conſecr. d. 4. can. ſi ad manus. & can. iſti maternis. quia Baptiſmus eſt renaſcentia; ergo ſupponit natiuitatem, ſed iſti nondum ſunt nati; ergo non poſſunt renaſci. & patet; quia non poſſunt tangi; ergo non poſſunt ablui; ergo non poteſt dici; Ego te baptizo. Dices, quid ſi puer periclitaretur nondum natus, & aliqua pars eius exiret ex vtero, an ſit baptizandus? Reſp. ſi caput emerſerit, poteſt baptizari, & eſt verus Baptiſmus; in capite enim eſt omnis ſenſus, vt ſupra diximus tract. 2. cap. 2. dub. 3. ſi aliud membrum emerſerit, vt pes, vel manus, baptizare poteſt ad cautelam; ſi verò ſuperuixerit, eſt ſub conditione rebaptizandus. Si mater moreretur prægnans, poſt mortem eſt aperienda vt ſi viuus ſit infans, baptizetur. ante mortem mater numquam eſt aperienda, etiam ſi certò ſit moritura, vel ad mortem publica ſententia damnata; quia neque mors accelerari poteſt; neque ſunt facienda mala vt veniant bona.

Tertium dubium; An pueri infidelium ſint baptizandi inuitis parentibus.

Reſp. Scotus in 4. d. 4. & Gabriel ibid. & Ekius homil. 2. de Baptiſ. putant poſſe baptizari dummodo fiat à perſona publica, non priuata. Secundo, vt ſit commoditas eos religiosè educandi. Tertio, vt iſti infideles ſubiaceant Principi Chriſtiano.

Probant primò ex l. 1. Machab. cap. 2. vbi Mathathias pater Machabæorum occiso præfecto Antiochi Epiphanes, circuncidisse dicitur omnes pueros inuentos in finibus Iudæorum; & circũciserũt pueros in circũcisos quotquot inuenerũt in finibus Israel in fortitudine; sed tunc in Iudæa multi erant filij Gẽtiliũ, & hos etiam circuncidit, & putandum est inuitis parentibus; ergo multò magis nunc fieri potest in Baptismo. Secundo obediendum est magis Deo quàm hominibus; sed Deus præcipit Baptismum, homo prohibet; ergo illi, non huic obediendum est. Tertio si parentes infideles subiecti Principi Christiano necare vellẽt suos infantes, posset Princeps eos eripere de manu parẽtum, & consulere eorum saluti; at pluris est salus animæ, quàm corporis; ergo &c. Quarto liceret Principi Christiano auferre filios parentibus infidelibus, si eos malè educarent docendo veneficia, simulationes, &c. ergo multò magis si doceant eos infidelitatem, quod est maius peccatum. Sed

Contraria sententia D. Thomæ quam infra dicemus, est verior. idcirco Resp. ad primum statutum fuisse Gen. 17. vt circunciderentur ab Hebræis etiã omnes serui siue vernaculi, siue emptitij, quia tunc aberant à parentibus, & erant de Iudæorũ potestate. & sic est credendum Mathathiam eos tantum circũcidisse, de quibus lex præcipiebat. Poterat etiam eos circuncidere, quia facti erant sui iure belli. Ad secundum Resp. tunc magis obediendum est Deo quàm hominibus, cum ipse Deus decernit; at hic non præcipit Deus Baptismum, nisi saluo iure naturæ. Ad tertium Resp. primo Principem Christianum non habere erga infideles vllam potestatem coactiuam, nisi quantum ius naturæ præscripsit; quia nõ tenentur infideles, nec possunt cogi nisi iure naturæ; nam iuri euangelico subiacent tantum si velint: quia hæc fuit lex euangelica, vt voluntariè pareant. Secundo dico, ꝙ possunt Principes auferre filios parentibus eos occisuris, quia eadem lex naturæ, quæ dat potestatẽ parentibus in filios, & Principibus in paganos, dictat occisione tolli vitam corporalem, ad quam tuendam tenetur Princeps Christianus; sed prohibitione Baptismi auferri vitam animæ, lex naturæ non docet, sed fides, ad quam non tenentur pagani. Ad quartum Resp. prohiberi posse illa peccata, quæ directè sunt contra pacem reipublicæ; sed infidelitas per se non est cõtra pacem reipublicæ; & quamuis per accidens possit obesse,

tamen

tamen hoc malum eſt tolerandum pro euitando maiori, ne fiat odioſum Euangelium. Itaque

Communior opinio, & verior, eſt D. Thomæ, & Riccardi, qui dicunt, pueros infideles non poſſe baptizari inuitis parẽtibus; quia ſunt ſub cura parentum; ius autem diuinum non tollit ius naturæ; tamen ſi baptizarentur, tenet Baptiſmus. ita D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 12. quod eſt contra Durand. (tenere ſcilicet Baptiſmum) ex communi ſententia, Caietani, Scoti, Gabrielis, & aliorum. Sot. in 4. d. 1. art. 10. Victor. q. 27. quod intelligendũ eſt de pueris qui carent vſu rationis: & patet ex vſu Eccleſiæ, quæ tales non baptizat inuitis parentibus, & eſt cõmunis ſententia. Nec obſtat ratio Durandi, ꝙ Baptiſmus requirat voluntatem hominis baptizandi; ſed pueri non habent niſi volũtatem parentum, quæ non vult; ergo &c. nam licèt infantes quoad iuſtitiam non habeant aliam voluntatem quàm parentum, ideſt vt iuſtè baptizentur, nõ tamen quoad effectum; quia Sacramentum Baptiſmi agit per modum actiui naturalis, cui ſufficit non inuenire obicem in ſubiecto in quod agit, etiam ſi iniuſtè agat. Probatur nunc non poſſe baptizari inuitis parentibus. Primo, quia paruuli ablati parentibus, & baptizati, vel ſunt reſtituendi parentibus, vel non; ſi non, eſt contra ius naturæ, quod facit filios infantes eſſe rem, & de poteſtate parentum, tàm quoad vitam corporalem, quàm quoad morum inſtitutionem; ac lex Euangelica non euertit ius naturæ; Si primũ, ideſt ſunt reſtituendi, eſt euidens periculum redeundi ad vomitum, tum propter naturalem affectum erga parentes, tum quia, ſi ſcirent non veniſſe ad Baptiſmum ſua ſponte, nec voluntate parentum, præſertim ſi myſteria noſtræ fidei eſſent ipſis ferè inintelligibilia, magnum ſcandalum naſceretur, & fieret odioſum Euangelium. Secundo probatur (vt dixi) ex vſu Eccleſiæ, quę à tempore Apoſtolorum numquam baptizauit infantes inuitis parentibus. Tertio probatur ex ratione fidei, & Baptiſmi, vt ſponte ſuſcipiatur; ideo Chriſtus non miſit Apoſtolos ad conuertendum mundum vi, ſed prædicatione. & propterea in Cõcilio Toletano 4. cap. 55. prohibetur ne quis ad fidem cogatur; ſed infantes dum ſunt infantes non habent aliam voluntatem niſi parentum; ergo nolentibus parentibus, noluit ipſi. Si verò vnus parentum conſentiat, poteſt altero renuente baptizari. Ita decernitur à Gregorio IX. titulo de conuerſione infidel. c. ex

litteris tuis. Secundo dico licet aliquando inuitis tutoribus infantes baptizare. dixi [aliquando] quia sunt duo ordines tutorum; quidam naturales, quales sunt auus, vel patruus &c.& quia hi iure naturę parentibus succedunt,his inuitis non potest baptizari infans. alij sunt tutores iure humano, vt sunt tutores relicti in testamēto,vel electi à superiore, & his inuitis possunt baptizari;quoniam ius humanum potest tolli pro saluando iure diuino; & ne fiat præiudicium animabus infantium. Tertio dico. Cum puer attingit vsum rationis, si velit baptizari, potest; etiam si parentes obstent; nam dum filij sunt paruuli, subiacent parentibus quoad ius ciuile, non tamen quoad ius diuinum naturale,vel supernaturale;non enim potest ad suum libitum disponere de facultatibus &c. sed potest inuitis parentibus ratum matrimonium contrahere. & præterea non subiacet parentibus in iure diuino supernaturali; quia iam sibi incumbit cura animæ suæ,& ideo potest velle Baptismum. Dices : qd est tempus in quo filius vtitur ratione? Resp. alij dicunt esse annum duodecimum; alij decimumquartum ; alij octauum. Ego dico hoc non esse metiendum annis, sed consilio,& ratione. Quid si dubitet an ratione vtatur? Resp. in dubijs,in fauorē Baptismi esse iudicandum. Quarto dico, non esse improbabile quod ait Sotus, infantem iamiam moriturum, posse baptizari inuitis parentibus, nisi timeatur magnus tumultus; quia licet fit iniuria parentum, tamen est parua; & magna vtilitas pueri præponderat iniuriæ parentum. Deinde,ego non aufero filiū parenti. demum, quia iste puer est simpliciter in extrema necessitate. Quinto dico; resistentię parentum potest subueniri remedio venditionis;nam venditis parentibus potest filius baptizari; quia tunc pater priuatur filij potestate, & totum dominium remanet penes dominum; vnde nemini fit iniuria si baptizentur; Sot. in 4.d.5.q.vnica art.10.Caiet.& alij. Dices, an idem sit dicendum de seruis ablatis per piratas à Mauris, vel Æthiopibus &c. Sotus ait posse baptizari. adderem,hoc verum esse nisi fint iniustè ablati, & teneantur restituere. quòd si nulla sit commoditas restituendi, tunc incipiunt pueri esse de potestate dominorum.

Quartum dubium; An qui baptizantur in lecto morituri, validè baptizentur? ratio dubitandi est;quia hi potius necessitate, quam voluntate petunt Baptismum, & ideo Concilium Neocæ-

Neocæſar. can. 12. hos priuat honore presbyteri.

Reſp. licèt hi peccent, Baptiſmus tamen tenet. ita Cyprian. l.4. Epiſt. 7 & Concil. Neocæſar. citatum. & Concil 3. Carthag. cap. 34. quæ dicunt q̃ ſi ille cum venit presbyter ad baptizandum amiſit vocem, ſufficit teſtimonium præſentium.

Quintum dubium; An mortui, vel viui pro mortuis poſſint baptizari? ratio huius dubij naſcitur ex Paulo 1. Cor. 15. vbi ait, ſi non eſt reſurrectio mortuorum, quid faciunt qui baptizantur pro mortuis? ſi omninò mortui non reſurgunt, vt quid & baptizantur pro illis?

Reſp. negatiuè, & prima illius loci expoſitio communis eſt; ideſt quid faciunt illi qui pro teſtificanda reſurrectione mortuorum baptizantur Baptiſmo ſanguinis? multi enim moriebantur ad confirmandam fidem de reſurrectione mortuorum. Secũda expoſitio eſt Petri Abbatis Cluniac. in l. de Purgatorio; quòd baptizari ibi ſumitur largè, pro quauis purificatione, quæ fit per bona etiam opera. igitur quid faciebant illi, qui purificant ſe pro ſalute mortuorum; ideſt eorum qui ſunt in Purgatorio?

Sextum dubium; An peccatores ſint baptizandi?

Reſp. primò, qui habent propoſitum peccandi mortaliter, non ſunt baptizandi; quia fruſtra baptizarentur cum gratiam obtinere non poſſint. Secundo, qui reatum habent præteriti peccati, ſunt baptizandi; quia hæc delet Baptiſmus. Terciò ſi peccator in peccato perſeuerans baptizatur, verum ſuſcipit Sacramentum, ſeu characterem cum fide mortua, ſine gratia. eſt communis ſententia, & vera doctrina, quam exponit D. Th. 3. p. q. 68. art. 3. & Sotus in 4 d. 5. q. vnica. art. 3. Quarto dico, q̃ ei qui baptizatur pro quibuſcunque peccatis, non eſt ſatisfactio iniungenda. cap. ſine pœnitẽtia. de conſecr. d. 4. Conc. Flor. & D. Thom. ſupra, quia per Baptiſmum incorporamur Chriſto, & efficimur eius membra.

Septimũ dubiũ qualis debeat eſſe baptizãdo adulto peccatori diſplicentia de peccatis; Attritio, Contritio, an Confeſſio?

Reſp. primo non requiritur Confeſſio peccatorum, quæ eſt iudicium ſub tribunali, & clauibus Eccleſiæ, cui nondum ſubeſt; quia non eſt baptizatus. quid ſi velit confiteri? Reſp. poteſt audiri propter illius humiliationem; ſed non eſt Sacramentũ. Imo peccata ante Baptiſmum non ſunt materia Confeſſionis

poſt Ba-

post Baptismum. debet igitur adultus conteri tantum de peccatis, non confiteri; quia Baptismus est primum Sacramentũ Dices; sunt nonnulli canones de consecr. d. 4. quòd baptizandis imponendæ sunt aliquæ pœnitentiæ. Resp. illæ pœnitentiæ dantur non vt satisfactoriæ, neque vt exeunt ex tribunali iudiciali, sed dantur vt cum maiori deuotione veniant ad Baptismum; Et vt magis caueant in futurum. Secundo dico. Neque requiritur ad Baptismum contritio de præteritis peccatis, idest dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum, ita D. Thom. 3. p. q. 79. art. 3. ad secundum, & q. 80 art. 4. ad secundum. sequitur Scot. Dur. Palud. & alij. ratio est, quia Baptismus est Sacramentum resurgentium per regenerationem, non suppones baptizandos viuere per contritionem. Tertio dico saltem necessaria est attritio, idest dolor de peccatis propter malum gehennæ, cum proposito non peccandi de nouo. requiritur autem non vt concausa gratiæ, quasi Baptismus solus ad id non sufficeret; sed vt remoueat obicem, idest complacentiam peccati mortalis. hæc autem attritio non oportet, vt sit de singulis peccatis commissis, nec opus est vt existimetur contritio; satis est vt putetur attritio.

Octauum dubium; An requiratur fides in eo, qui baptizatur?

Resp. in adultis requiri ad consequendum vltimum effectũ Baptismi, idest gratiam, & remissionem peccatorum. Probatur ex illo Marci vlt. q crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. ad hanc autem fidem pariendam debet præcedere Catechismus, ex illo Matthæi vlt. docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. & Rom. 10. quomodo credent, nisi audierint? &c. Licèt verò ad gratiæ susceptionem sit necessaria fides Catholica quoad omnia credibilia saltem implicitè, tamẽ quoad suscipiendum Sacramentum, eiusque characterem sufficit suscipienti, vt habeat intentionẽ baptizandi, & suscipiendi id Sacramentum quod Ecclesia credit, etiam si alios articulos nõ credat. ita D. Thom. 3. p. q. 68. art. 8. Sot. in 4. d. 5. art. 8. hoc definitum est contra Donatist. quòd Baptismus hæreticorum, tàm ex parte baptizantium, quàm baptizandorum hæreticorum est validus. ratio est; quia Baptismus non perficitur per iustitiam baptizantis, vel baptizandi, sed virtute Dei. cap. Baptismus. de consecr. d. 4. & nos supra docuimus, tract. 1. cap. 2. dub. 1. Fides igitur, & pœnitentia non sunt necessariæ ad recipiendum

charact-

characterem Baptiſmi. hinc ſequitur quòd ſi quis adultus veniret ad Baptiſmum, & baptizaretur ſine fide, & pœnitentia, peccaret mortaliter, ſed eſt baptizatus. & iſte poſtea non tenetur confiteri peccata facta ante Baptiſmum, niſi hoc vnum, ꝙ fictè acceſſit ad Baptiſmum; & baptizatus tunc conſequitur gratiam baptiſmalem.

Nonum dubium; An ſuſcipienti Baptiſmum ſit neceſſaria intentio, ſeu voluntas, & liber conſenſus ſuſcipiendi?

Reſp. Primo ꝙ inuitus non ſuſcipit Sacramentum Baptiſmi. cap. maiores. de Baptiſ. & eſt communis ſententia. Si quis verò conditionaliter inuitus, ſed ſimpliciter volens ſuſcipit Baptiſmum, eſt validus. capite eod. ſic etiam ſi quis metu cogatur etiā grauiſſimo cadente in conſtantem virum, valet Baptiſmus quoad characterem; ſed qui conferunt, peccant; ita cap. maiores citato. Concil. Toletanum d. 4. can. de Iudæis; quia voluntas coacta, voluntas eſt. Dices, matrimonium eſt Sacramentum, & ſi coacto conſenſu contrahatur, non valet; ergo nec Baptiſmus. Reſp. matrimonium non ſolum eſt Sacramentum, ſed etiam eſt contractus; contractus verò non eſt contractus ſi interueniat iniuria cogentis; at Baptiſmus non eſt contractus, ideo ſufficit ei quilibet conſenſus. Secundo dico ſi poſita vi, & coactione, iſte verè non conſentit interius, non accipit characterem Baptiſmi. ita Innoc. III. definit tit. de Baptiſ. & eius effect. c. maiores. & cap. ſi ægrotantes. de conſecr. d. 4. & Concil. Arauſ. can. 11. nam baptizari eſt profiteri nouam religionem, idcirco aliqua voluntas eſt illi neceſſaria. propterea Eccleſia interrogat, vis baptizari? Dices, eſto requiratur conſenſus; qualis debet eſſe iſte cōſenſus; formalis, interpretatiuus, actualis, an virtualis? Reſp. ꝙ omnis talis ſufficit; quia omnis talis tollit obicem contrariæ voluntatis. cap. maiores. ſupra cit. non tamen ſufficit habitualis, vt probat Sot. in 4. d. 5. q. vnica. ar. 8. hinc ſequitur malè dicere Caietanum, dum putat non requiri voluntatem poſitiuam in ſuſcipiente, ſed ſufficere vt ſuſpendat omnem actum. quod probat dupliciter. Primo, quia Innocentius III. cap. maiores. ſupra dicit; ad Baptiſmi vim ſufficere, vt non ſit obex in ſuſcipiente; id eſt vt non reſiſtat. Secundo, quia baptizari eſt quodam pati, ſed ad paſſionē non requiritur actio propria; at quoniam baptizare eſt actus, in baptizante requiritur poſitiua voluntas. dixi eſſe malam hanc Caietani opinionem, re-

nem, requiritur enim in suscipiente voluntas vel formalis, vel interpretatiua; formalis, per actum elicitum manentem vel actu, vel virtute. Interpretatiua, idest quando adultus aduertit se baptizari, potest resistere,& non resistit. Probatur,quia quãuis baptizari sit pati, tamen est pati humanum, idest voluntarium. Secundo, quia requiritur fides; at fides consistit in volũtate credentium, vt captiuetur intellectus in obsequium fidei. Obijcies. Paruulus non habet intentionem, & tamen baptizatur; ergo intentio non est necessaria. Resp.ꝙ baptizatur in fide Ecclesiæ. & vt interpretatiuè credit,sic interpretatiuè intendit baptizari; vt docet Sotus in 4.d.5. q.vnica. art.8.& ob id adultus ipse respondet pro se quando tempore Baptismi interrogatur, vis baptizari? Sed pro infante respondet minister Ecclesiæ. vnde August.can.cum pro paruulis.de consecr.d.4.ait,pro paruulis alios velle; pro adultis ipsosmet debere velle respondere. Quare ad primum Caietani Resp. Innocentius dicit, ante Baptismum requiri voluntatem, quæ si præcessit in phreneticis, possunt baptizari;quia sacramentalis operatio non inuenit obicem. itaque requiritur voluntas præuia,quæ perseuerat saltem virtualiter. Ad secundum Resp. esse differentiam inter baptizare, & baptizari; quia cum baptizari formaliter sit pati, non requiritur vt suscipiens dum baptizatur sit sui compos;sed quia baptizare est agere, dum baptizat debet esse sui compos. Vtrũque verò debet esse actio, vel passio voluntaria. Tertio dico. Ex his sequitur,tres dispositiones esse necessarias in suscipientibus adultis; vna est displicentia de peccatis,vt supra dictum est dubio 7. altera est fides,vt in dubio 8. tertia est intentio,vt in dubio 9.

Decimum dubium; An furiosi, phrenetici, & amentes sint baptizandi?

Resp. esse tres ordines amentium.quare ex D.Tho.3.p.q.68. art.12. distinguendũ est. Primus ordo est eorum,qui numꝗ fuerunt mentis compotes, fuerunt enim à natiuitate amentes, in quibus nullus vnquam apparuit vsus rationis;& de his idem iudicium est, ac de paruulis; sunt enim baptizandi sicut infantes in fide Ecclesiæ. Secundus ordo est illorum,qui aliquando sana mente fuerunt, sed postea insanierunt, & nunquàm habuerunt lucida interualla;de his dico primo si in sanitate mentis fuerũt in mora culpabili, (ex eorum enim negligentia non acceperũt

Baptis-

Baptiſmum (tunc in phreneſi non poſſunt baptizari, quia illa culpa qua non curarunt, ſemper perſeuerat: nam ſi ſeruaſſent legem naturæ, fuiſſent iuſtificati, vel illuminati ad Baptiſmũ. dico ſecundò multo minus ſunt baptizandi, ſi cum erant mente ſana, habuerunt voluntatem negatiuam. Tertio dico, ſi habuerunt voluntatem baptiſmi; licet cum ſunt phrenetici repugnent, poſſunt baptizari. Si verò de eorum voluntate dubitetur, non ſunt baptizandi; quia neque ſana mente in hoc dubio baptizari poterant. cap. maiores. de Baptiſmo. Quòd ſi in paruulis in ſimili caſu diximus debere præſumi in fauorem Baptiſmi, hic tamen eſt diſpar ratio; nam in paruulis non eſt præſumptio de culpa, ſed in adultis eſt præſumptio ꝙ noluerint, cum tandiù diſtulerint. Tertius ordo eſt inſanorum, qui quandoq; fuerunt ſani, & nunc inſani, ſed habent lucida interualla. de his dico primo non debent baptizari tempore inſaniæ propter reuerentiam Sacramenti, ſed expectetur lucidum interuallum, vt deuotiùs baptizentur. quòd ſi durante inſania ſit periculũ mortis, tunc de eorum Baptiſmo iudicandum eſt ex vltima eorum voluntate. ſed Auguſt. l. 4. confeſſ. cap. 4. docet poſſe baptizari. Idem dico de dormientibus, ꝙ non ſunt baptizandi, niſi immineat periculum mortis; quo caſu ſunt baptizandi ſi in vigilia apparuerit eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum. Dico ſecundo ſi iſte talis amens dũ eſt proximus morti habuit quidem ante voluntatem Baptiſmi, ſed non habuit voluntatem relinquendi peccatum, non debet baptizari, etiam ſi voluerit antea Baptiſmum; quia fruſtra baptizaretur. quòd ſi baptizetur, tenet Baptiſmus quoad characterem, non quoad gratiam; quia eſt obex; ita Scot. in 4. d. 4. q. 4. Sot. d. 5. art. vlt. in fine. Dico tertio ſi poſſibile eſſet aliquem phreneticum eſſe cum ſolo peccato originali, & habere lucida interualla; probabile eſt hunc poſſe baptizari ſi dum erat ſana mente inuincibiliter non potuit baptizari; quia ad peccatum originale delendum ſufficit Sacramenti efficacia ſine propria diſpoſitione, quæ propriè requiritur contra peccatum actuale.

Vndecimum dubium; An monſtrum ſit baptizandum vnicè Baptiſmo?

Reſp. cum Sylu. verb. Baptiſmus 3. q. 16. & Soto in 4. d. 3. q. vnica. art. 9. ꝙ cum conſtat vnum ſuppoſitum eſſe monſtrumq; ſemel eſt baptizandum. quando verò fuerint duo, geminandus

est Baptismus. rarissimè verò accidit, vt sint duo, nisi essent duo integra capita, & pectorum diuisio, vt altero capite quiescente, alterum non quiescat. quando autem caput, & pectus vnum non est, etiam si ex altero vmbilico homuncio nascatur ab humeris integer, non est nisi vnum suppositum.

Duodecimum dubium; An differri possit Baptismus?

Resp. primo Tertul. l. de Baptis. propè finem, & Nazianz. in orat. in sancta lumin. dicunt differendum esse Baptismum infantium vsq; ad tempus, quo possint doceri, iuxta illud Matthæi 28. docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. vnde subdit Nazianz. ego consulerem, ne baptizentur infantes ante triennium. tamen nunc consulit Ecclesia, vt patet ex vsu, propter multa pericula non esse differendum. glos. ex cap. venerabili. de consecr. d. 4. Angelus verb. Baptismus 4. §. 9. Armilla, Sylu. & alij. vnde peccant, qui differunt sine causa, Sot. in 4. d. 5. q. vnica. art. 9. & dicit esse consuetudinem, vt octauo die baptizentur pueri; Vnde qui vltra duodecimum differt, peccat mortaliter. Ego tamen puto id etiam ex circunstantijs iudicandum esse an sit mortale, necne. certum est apud omnes, peccatum esse diutius differre. Secundo dico, adultis non statim conferendum esse Baptismum; quia his subuenitur per Baptismum in voto; & tutius est eos præparari. videndus est D. Thomas, 3. p. q. 68. art. 3. Sotus supra art. 3.

De effectibus Baptismi. Cap. VI.



PRimum dubium, qui sint effectus Baptismi. Respon. Multi sunt Baptismatis effectus. Primus est character, idest signum quoddam, quo homo baptizatus insignitur in anima, vt cognoscatur esse de ouili. & propterea hoc Sacramentum iterari non potest. Secundus effectus est remissio peccati originalis. & licèt Caluinus neget remitti Baptismo peccatum originale eò q̀ post Baptismum remaneat concupiscentia, quæ à Paulo ad Rom. 7. peccatum appellatur; peccatum non cognoui nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret non concupisces, non n. quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo ma-

malum hoc ago, &c. tamen contra hunc Eccleſia decreuit cō-
cupiſcentiam verè non eſſe peccatum,ſed vocari peccatū me-
tonymicè. Primò,quia eſt materia, & obiectum, cui ſi conſen-
ſus accedat,eſt peccatum.ſicut homicidium dicitur peccatum,
non ſemper, ſed accedente mala voluntate: ſic concupiſcentia
accedente conſenſu in eam, eſt peccatū. Secundo dicitur pec-
catum eo modo,quo monſtra ſolent dici peccata,quia ſunt cō-
tra naturam ; ſic concupiſcentia ; quia eſt contra rationem in
qua conſiſtit natura hominis, ita vt ſit malum naturale, ſicut
mors, non malum morale. Tertio, quia eſt inſtrumentū,quo
peccatum originale transfunditur; nam mediante concupi-
ſcentia hoc peccatum transfertur ad alios, ait Auguſt.l.de fide
ad Petrum ; nullatenus dubites omnem hominem,qui per con-
cubitum viri,& mulieris cōcipitur,in peccato originali naſci,
impietati ſubditum,mortique ſubiectum,& ob hoc naſci filium
iræ. Quarto dicitur peccatum eo modo,quo effectus vocatur
nomine cauſæ, vt ſcriptio vocatur manus,& loquutio lingua.
ſic, quia fomes concupiſcentiæ eſt effectus peccati originalis,
dicitur peccatum, ait Auguſt. l.1. de nupt. & concup. cap.3.
Quinto dicitur deniq; peccatum eo modo, quo ſolet vocari
cauſa nomine effectus, ſicut frigus dicitur pigrum, quia facit
homines pigros; ſic concupiſcentia dicitur peccatum,quia im
pellit homines ad peccandum. Probatur nunc non eſſe pecca-
tum. Primo,quia ijdem motus concupiſcentiæ ſunt in homini-
bus,& brutis. nec reddi ratio poteſt cur in his non ſint, in illis
ſint peccata; niſi quia in homine ſubſunt rationi; Ergo hi mo-
tus concupiſcentiæ ſi in homine rationi parent, non ſunt pec-
cata. Secundo, nam quæro, cur hæc concupiſcentia ante con-
ſenſum rationis eſt peccatum ? dicent primo, quia eſt contra-
ria naturæ; ſed eodem modo ego dicerem mortem eſſe pecca-
tum,quia eſt contraria naturæ. Secundo dicent, quia eſt effe-
ctus relictus poſt peccatum; at idem valet in morte. Tertiò,
quia inclinat ad peccatū;at multa ſunt quę homines incitant
ad peccata, vt multæ creaturæ factæ in muſcipulam pedibus
inſipientium, & etiam membra noſtra, quæ non ſunt peccata.
Quarto, quia generaliter Deus prohibuit, non concupiſces.
Sed vt benè notat Auguſtinus l.1.de nuptijs,& cōcup. cap.23.
& 25. hæc ſcriptura debet per illam explicari. Eccleſ. 18. poſt
concupiſcentias tuas ne abeas. Scriptura enim teſtificatur

N 2 homma

hominem fuisse relictum in manu consilij sui, sed hæc concupiscentia antecedit omne consilium. Tertius effectus Baptismi est remissio non solum originalis peccati, sed etiã actualis, quoad culpam, & quoad pœnam, quæ pro illa culpa debetur, idcirco baptizando nulla est iniungenda satisfactio pro peccatis præteritis. sed si moriantur antequam culpam committãt, ad Dei visionem in regnum cęlorum peruenient. ita Concil. Florentinũ in vnione Armenorum. Quartus effectus. Baptismus habet virtutem ferẽdi pęnalitatem præsentis vitæ, vt sunt frigus, calor, infirmitas, mors, &c. quæ sunt pęnæ peccati, quę non delentur in hoc seculo, sed remanent ad exercitium virtutum; & idcirco virtute baptismatis feruntur à iustis. rectè etiam remanent, ne scilicet homines propter impassibilitatem huius vitæ, non propter gloriam accederent ad Baptismum, D.Thomas 3.p.q.69.art.3. Quintus effectus Baptismus licèt non tollat, minuit tamẽ fomitem, idest appetitum sensitiuum, qui rationi repugnat. sic fuit definitum in Concilio Vienn.cõtra Beguardos, & Beguinos, diminuitur verò, non quod Baptismus aliquid auferat de substantia potentiæ, idest concupiscẽtię, sed minuit primo, quia per gratiam impeditur concupiscẽtia ne tam frequenter, & tam validè in actum prorumpat. Secundo, quia per eandem gratiam roboratur voluntas ne cõsentiat concupiscentiæ motibus. Sextus effectus, per Baptismum infunditur gratia iustificans cum tribus virtutibus theologalibus fide, spe, & charitate, & donis Spiritus sancti; quibus illuminatur intellectus quantum ad cognitionẽ veritatis, & fęcundatur affectus fęcunditate bonorum operum per infusionem gratiæ; qui sunt duo peculiares actus Baptismi, D.Th. 3.p.q.69.art.4.& 5. Septimus effectus est apertio cæli, non quod alia sacramenta idem non præstent si debitè suscipiantur; sed quia hoc à Baptismo peculiari quadam ratione præstatur, significata in cælorum apertione, quæ facta est in Baptismo Christi Mathæi cap.3.vbi cæli aperti sunt, & vidit Spiritũ Dei descendentem sicut columbam, & venientem super ipsum, & ratio peculiaris est; Primo, quia solius Baptismi est remittere totam culpam, & pęnam, ita vt non retardetur cælorum ingressus. Secundo, quia Baptismus est ianua in statum Euangelicum, cuius proprium est aperire cælum; nam ante Euangelium nemini cælum aperiebatur. Sed sunt aliqua dubia.

Secun-

Secundum dubium; An hi omnes prædicti effectus sint æquales in omnibus baptizatis?

Resp. D. Th. 3. p. q. 69. art. 8. q effectus Baptismi est duplex, vnus per se, alter per accidens, effectus per se, est ad quem fuit institutus, idest ex opere operato, regenerate hominem ad vitam spiritualem, & plenam remissionem culpæ, & pœnæ, & infusionem gratiæ, & virtutum; & hunc effectum pueri, qui baptizantur æqualiter suscipiunt; alter effectus per accidens est ex opere operante ad quem non est institutus Baptismus, sed diuina virtus miraculosè operatur; & secundum hunc effectum, quamuis pariter omnes disponantur ad gratiam secundum ordinem diuinæ prouidentiæ, vt ait Sotus in 4. d. 6. q. 1. art. 6. non tamen omnes æqualiter suscipiunt adulti; nã si opus operatum inspicimus, in hoc nulla est quæstio, q gratia sit æqualis omnibus. si verò opus operans consideramus, gratia poterit esse inæqualis; Primo, quia sicut sunt variæ dispositiones accedentium ad Baptismum, ita etiam varij sunt gradus gratiæ. Secundo, quia ipsummet opus operatum, vt recipitur in subiecto meliùs disposito, plus gratiæ confert; quia non est credibile actiua supernaturalia esse deterioris conditionis, quàm actiua naturalia, at hæc efficaciùs agunt cum inueniunt subiectum meliùs dispositum; ergo & illa, &c. est autem notandũ, quòd hæc dispositio maior, & minor, si consideretur, vt opus operans, confert maiorem, minoremve gratiam ad æqualitatem. Sed si consideratur, vt est quædam habilitas, & dispositio, confert, vt sic maiorem, minoremve gratiam secundum proportionem.

Tertium dubium; An fictio impediat effectum Baptismi?

Resp. cum D. Thom. 3. p. q. 69. art. 9. præsupponendo duo, q duplex est fictio. Vna quæ repugnat Sacramento; altera quæ repugnat effectui Sacramenti, idest gratiæ. Secundo suppono, quòd potest recipi Baptismus sine vltimo effectu, idest gratia. His positis, dico primo, q solus defectus voluntatis, vel intentionis recipiendi Baptismum, tollit Sacramentum; quia Deus neminem ad iustitiam cogit. Secundo dico, quòd complacentia peccati mortalis, vel defectus doloris præteriti peccati mortalis, impedit effectus Sacramenti, non autem Sacramentũ; imprimitur eni m character, & infunditur fides informis, idest fides sine grati a; ita Sotus in 4. d. 6. q. 1. art. 7.

Quar-

Quartum dubium; An recedente fictione Baptismus sortiatur suum effectum ?

Resp. affirmatiuè sicut lapis statim ac generatur, mouetur deorsum, nisi impediatur; at remoto impedimento statim cadit. similiter, qui baptizatur sine contritione suscipit characterem quasi formam Baptismi, & ideo gratiam susciperet, nisi impediret fictio illa; Ergo per pœnitentiam sublata, recipitur gratia. Vbi nota, quòd character non confert gratiam efficienter, sed moraliter; quatenus scilicet non confert illi gratiam, nisi recedente fictione. nam merita Christi, & Baptismi, manent per characterem in acceptione diuina; & ratione illius meriti confertur gratia recedente fictione, quæ debet conferri in Baptismo ratione illius meriti, quod per Baptismum applicabatur.

De cæremonijs, et ritibus Baptismi. *Cap. VII.*

PRimum dubium, quo tempore Baptismus Christi fuit institutus, & quo tempore cœpit obligare ?

Resp. fuit institutus ante passionem, & mortem Christi. probatur ex illo Ioannis 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. quo loco Christum loqui de Baptismo suo constat primo ex virtute talis Baptismi, quia dat Spiritum sanctum. Secundo constat ex effectu dandi scilicet vitam æternam. Cœpit autem post mortem Christi obligare sub præcepto. quidam enim formaliter obligabantur; alij virtualiter; alij neutro modo ante Pentecosten. aliter enim iudicandum est de Gentilibus, aliter de Iudæis. Iudæis Christus sufficiẽter promulgauerat legem Baptismi; quare omnes obligabantur ad Baptismum post mortem Christi, quidam tamẽ formaliter, quidam uirtualiter. formaliter, qui actu acceperũt notitiam Baptismi; virtualiter alij; idest non tunc incipiebat eos obligare Baptismus, sed quasi in virtute; idest cum peruenisset ad eos notitia legis. Gentilibus Christus legem Baptismi non prædicauit, quare hi non obligabantur; sed post Pentecosten

recepſem miſſo Spiritu ſancto in Apoſtolos, cœpit fieri vniuerſalis promulgatio ad gentes; & tunc cœpere obligari; cum hac differentia; nam quidam Gentiles erant in Iudæa, & his obligabantur cum viderunt ſigna Apoſtolorum. alij erant in ſuis prouincijs, & horum obligatio cœpit poſt factam Apoſtolorum diuerſionem in prouincias.

Secundũ dubiũ, quæ præparatoria requirantur in Baptiſmo?

Reſp. duo præcipuè requiri, Catechiſmus, & Exorciſmus. Primo requiritur Catechiſmus, id eſt Fidei inſtructio, probatur ex traditione Apoſtolorum; ſemper enim adulti in religionem ſunt inſtruendi ante Baptiſmum, & qui inſtruebãtur dicti ſunt Catechumeni, & nunc etiam ſic dicuntur, vt patet ex Dionyſ. Eccleſ. Hierar. cap. 1. & 2. & Iuſtin. q. 56. ad Orthod. Tertull. l. 1. de Bapt. & alijs. Vnde Dominus Matth. cap. 28. docete (inquit) omnes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. & patet ex cap. ante Baptiſmum, de conſecr. d. 4. Secũdo Catechiſmus ſolemnis conuenienter debet præcedere Baptiſmum; quia in baptizando requiruntur ea, quæ ſunt de neceſſitate fidei, quæ ſunt tria, ſcilicet fidei ſuſceptio, profeſſio, & obſeruatio, & propter hoc inſtitutus eſt Catechiſmus, quia in eo fit inſtitutio ad fidei ſuſceptionem, & profeſſionem; & fidei promiſſio, ad obſeruationem; quæ ab adulto per ſeipſum, in infante requiruntur per uicarium, id eſt patrinum; Paludan. in 4. d. 6. Sylu verb. Catechiſmus q. 4. Tertiò ex Catechiſmo ſolemni, qui fit à ſacerdote antequàm baptizet; Nauar. cap. 22. num. 4. Dices, An abrenunciatio, quæ fit in Baptiſmo ſit votum? Reſp. ſecundũ probabilem opinionem, non eſſe votum propriè ſumptum, ac proinde non inducere nouam obligationem diſtinctam à præcepto, Victoria. q. 38. Secundo requiritur Exorciſmus, eſt n. exorcizare, per diuina verba adiurando ſpiritum immundum expellere. Conuenienter autem Exorciſmi Baptiſmum præcedunt, quibus Dæmones expelluntur, ne baptizandi ſalutem impediant. probatur ex traditione Apoſtoli, cuius meminit Dionyſ. Eccleſ. Hier. cap. 1. & ex cap. ſiue paruuli. de conſecr. d. 4. Sot. d. 6. in 4. q. 2. D. Thom. 3. p. q. 71. art. 2. & ſeq. Tres autem ſunt Exorciſmi effectus. Primus certus, ac ferè infallibilis eſt impedire Dæmones ne ſalutem baptizandi impediant. habent enim Dæmones poteſtatem ſupra infantem, ratione peccati originalis; & ideo ſacerdos imponit manus, quaſi excludendo

viam

viam ne reuertantur. Secundus expellere Dæmones à corpore, idest expedit saluti animæ. Tertius est præparare sensus ad perficiendum legem Dei. Ex his infertur, quòd hi Exorcismi non solum significant, sed effectiuè operantur istos effectus virtute diuina, nec tamen sunt Sacramenta, quia non sanctificant; sed sunt sacramentalia, quia disponunt animam ad sanctificationem. Alios autem ritus Baptismi hic exponere non est necesse. illud autem in vniuersum dicam, illos esse de præcepto; ac ideo non esse prætermittendos. quare cũ Baptismus in necessitate confertur sine dictis ritibus, sunt postea supplendi iuxta propriæ Ecclesiæ ritus. cap. sicut non. de consecr. d. 4. Nauar. cap. 22. num. 6. D. Thom. 3. p. q. 71. Sylu. verb. Baptis. 5. §. 8. & alios. Duplex igitur est in Baptismo solennitas, vna ante Baptismum, Catechismus, & Exorcismus; altera post Baptismum, Vnctio Chrismatis in sincipite, vestis candida, & candela accensa in manibus. istæ solennitates nõ sunt necessariæ; vnde qui baptizantur, sine his solennitatibus, & postea moriũtur, non refert. Quando verò Baptismus fit sine istis solennitatibus, non debet repeti Baptismus, sed supplendæ sunt solennitates; quæ meritò adhibentur. Primò propter reuerentiam Sacramenti. Secundò propter deuotionem astantium, & ipsius baptizandi quando est adultus. Tertiò ad eruditionem rudium; quia istis solennitatibus manifestantur effectus Baptismi. Quarto propter vtilitatem; nam hæ ceremoniæ sunt vtiles, & habent efficaciam quandam; nam Catechismus est instructio fidelium, vt supra dictum est; baptizatus enim debet credere, vt suscipiat effectum Baptismi; quare præmittitur confessio fidei. Exorcismus est ad repellendam potestatem Dæmonis. Vnctio sincipitis significat quòd habet ius, & titulum regni cælestis. Induitur veste candida, ad significandam innocentiam. datur candela accensa, ad significandam fidem, quæ debet operari, & permanere in illo, vt luceat lux eius coram hominibus, & videant opera sua bona.



De ne-

De necessitate Baptismi. Cap. VIII.



Rimum dubium. Qualis est Baptismi necessitas? Resp. primo. Duplex est necessitas, necessitas medij, & necessitas finis. Necessitas medij est, sine quo non potest haberi finis, etiam si de habendo fine non sit præceptum: & nomine finis hic intelligitur non solum gloria, sed etiam gratia. & hoc modo (vt omnes sentiunt) paruulis est necessarius Baptismus, quia hi non sunt capaces præcepti, & tamen egent aliquo medio ad salutẽ. Secunda necessitas est præcepti, & sic illud est necessarium sine quo quando materia præcepti non occurrit, haberi potest finis, idest gratia, sed posita materia præcepti, est necesse illud opus exequi; sic est necesse ieiunare in Quadragesima. at ieiunare simpliciter, non est necessarium necessitate finis. Secundo dico, quicquid est necessarium necessitate medij, & per nostram cooperationem potest acquiri saltem dispositiuè, est etiam necessarium necessitate præcepti. vt in paruulis non est necessarium ex præcepto gratiam acquirere; at in adultis quoniam possunt per propriam cooperationem acquirere, necessarium est. Ratio est, quia lex naturæ præcipit omnibus vt accipiant illa media, quæ sunt necessaria ad vltimum finem. Dico tertio, Baptismus est necessarius vtraque necessitate, maximè in adultis. Probatur de necessitate medij; quia hoc ipso quòd nascimur in peccato originali, quod non potest remitti sine Baptismo, fit, vt Baptismus sit medium necessarium ad delendum peccatum originale, saltem in voto. Probatur de necessitate præcepti, quia necessitas præcepti est, cum aliquis positus in gratia Dei, tenetur ad aliquid faciendum; sed possunt aliqui habentes gratiam Dei, esse obnoxij legi Baptismi; ergo &c. Probatur minor; quia constat in Ecclesia Catechumenos quamuis iustificatos per desiderium Baptismi, adhuc tamen teneri ad Baptismum. Præterea, quia Act. 2. Iudæi compuncti sunt corde, ex prædicatione Petri, & iustificati, iubentur baptizari. Præterea, quia Act. 9. Paulus prostratus ex equo, dixit, *Domine quid vis me facere?* ex quo iustificatus fuit, & tamen mittitur ad Baptismum. Præterea Act. 10. Cornelij opera dicuntur placere Deo ante Baptismum.

ex quo colligitur illum fuisse iustificatum, *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*, dixit illi Angelus; & tamen ad eum mittitur Petrus vt eum baptizet. Præterea, quia in Baptismo fit publica professio Christianæ religionis; fit visibilis incorporatio cum visibili Ecclesia; & est configuratio cum morte Christi; & professio Fidei Christianæ; quæ omnia sub præcepto cadunt. Vltimo, quia quicquid est necessarium necessitate medij, si per nos adimpleri potest; est etiam necessarium necessitate præcepti; & quia Baptismus per nos exequi potest, ideo &c. Dices, An huic duplici necessitati possit aliter satisfieri, quàm per Baptismum aquæ? Resp. huic duplici necessitati triplici Baptismo satisfieri posse; fluminis, flaminis, & sanguinis; vt dictum est supra tract. 2. cap. 2. dub. 9.

Secundum dubium; An Apostoli sint baptizati? Resp. hoc fuit valdè controuersum inter sanctos. sed quoniam hæc quæstio potius historica est, quàm theologica, ideo videndus est Tertullianus libro de Baptis. Chrysost. hom. 1. in Act. 1. August. l. 3. de Ang. & orig. cor. c. 9. & ep. 108. Hieron. ep. ad Edibiam. q. 9. Chrysostomus ait illos accepisse aquam à Ioanne; & Spiritum sanctum in die Pentecostes.

Tertium dubium, hoc præceptum Baptismi quo tempore obligat? Resp. primo, Ecclesia habet potestatem obligandi ad Baptismum non baptizatos statis temporibus; quia si quid obstaret, esset, quia non baptizati non sunt Christiani; & ideo non subiecti Ecclesiæ; at hoc non obstat, primo, quia Catechumeni incipiunt se subijcere Ecclesiæ sponte. Secundo, quia Baptismus præcipitur ea lege, quæ omnes obligat, etiã infideles, *Nisi quis baptizatus fuerit aqua, & Spiritu sancto, non introibit in regnum cœlorum*, Ioan. 3. ergo potuit Christus statuere quædam tempora. Dico secundo, probabilissimum est iure diuino fuisse statutum quodam tempus, quod si transeatur, peccetur mortaliter. hoc tempus est in adultis post sufficientem instructionem, post aliquam exercitationem in bonis operibus proprijs Christiani. his peractis, si sine rationabili causa differatur, peccatur mortaliter. Probatur primo ex sanctis Patribus Basil. Nazianz. Nyss. & Chrysost. in suis homilijs de Baptismo; vbi reprehendunt acerrimè eos, qui Baptismum differebant. neque proferunt ius ecclesiasticum, ergo est ius diuinum. Confirmatur,

quia

quia multa Concilia, & Patres dixerunt, Catechumenos ſine Baptiſmo mortuos, damnari. Secundo, quia neceſsitas Baptiſmi eſt maxima inter omnes neceſsitates; quia eſt ſuſceptio nouæ religionis, & eſt incorporatio cum Eccleſia, & cum Chriſto; & eſt inchoatio vitæ ſpiritualis. Demum, quia poſtquam eſt Chriſtianus, habet multa auxilia contra Dæmonem. Dices, multi ſancti viri diſtulerunt Baptiſmum per multos annos, vt D. Ambroſius, Sanctus Martinus, Conſtantinus, & alij. Reſp. horum qui differebant Baptiſmum, quoſdam non debere excuſari, quia reprehenduntur à Patribus; quoſdam autem excuſari à pia quadam reuerentia ad Baptiſmum, ad quem nolebant accedere niſi cum omnibus virtutibus; quæ tamen reuerentia eſt admiranda, non imitanda.



TRACTATVS TERTIVS

De Sacramento Confirmationis.



NTER Sacramenta secundum locum obtinet Confirmatio. Vocatur autem hoc Sacramentum manuum impositio, *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos*. Act.8. & 19. Secundo dicitur perfectio; Eccles. Hierar. cap.3. Ambr.l.3.de Sacram.cap.2. Tertio dicitur σφραγὶς græcè, idest signaculum; Ambr.l.3.de Sacram. Quarto dicitur Chrisma, idest vnctio; August.l.2.contra liter. Petil. 104. Tertull.l.de Baptis. Hierony.contra Lucifer. Cyprian.de Cœna Dom. Quinto dicitur Confirmatio; quo nomine primùm vsus est Melchiades Papa, de confirm. d. 5. & sic nunc dicitur apud omnes. Sexto dicitur Vnguentum; Ambros.l.de his qui myster.6. & Eccles.Hierar. cap.4. Agunt de hac re Doctores in 4.d.7. D.Thom.in addit.q.72.

Dicam de hoc Sacramento nonnulla scitu digniora, Primo de eius essentia. Secundo de materia. Tertio de forma. Quarto de fine, seu effectu. Quinto de ministro. Sexto de suscipiente. Septimo de ritu.

Quid sit Confirmatio. et, An sit Sacramentum. Cap. I.



Vbium vnicum. quid sit Confirmatio. &, an sit Sacramentum.

Resp. Confirmatio sic posset describi. Est vnctio Chrismatis in fronte, facta ab Episcopo sub certa forma verborum. Esse autem Sacramentum probatur ex Concilio Flor. & Trid.

Trid. sess. 7. cap. 1. de Sacram. vnctionis. & de confetr. d. 5. per multa capita. & est propositio de fide. videndus est Sot. in 4. d. 7. q. 1. ar. 1. Negat Caluinus in sua institut. cap. 19. tempore Apostolorum fuisse hoc Sacramentum, sed illam manuum impositionem fuisse cœremoniam, qua baptizatum offerebant Deo. Post Apostolos doctores pueris manus imponebant ante vsum rationis; nam cùm pueri recitassent quandam catechesim ante Episcopum, ne ita frigidi discederent, Episcopi illis in signum beneuolentiæ manus imponebant. hunc autem actum post 400. annos creditum est esse Sacramentum; sed non est Sacramentum, ait Caluinus, & probat primo, quia illud factum Christi, vel Apostolorum, fuit temporale, vel personale, quia fiebant hæc pro tempore quo Spiritus sanctus visibiliter descendebat; ergo id in perpetuum ritum non debet trahi; sicut neque obumbratio Petri, aut incubatio super mortuos. Secundo, quia nullum est verbum Dei, quo per impositionem manuū gratia promittatur, sed hic per manuum impositionem promittitur gratia; ergo non est Sacramentum. Tertio, in Baptismo replemur Spiritu sancto, ergo frustra datur augumentum Spiritus sancti in Chrismate. Quarto, quia non sanctificabat homines, dabatur enim ad gratias linguarum, vel prophetiæ, quæ nō sunt gratia iustificans, sed gratis data, illa verò dona iam cessarunt. Quinto, in scriptura non reperitur esse institutum à Christo; ergo &c. Sexto, August. l. 3. de doctr. Christ. cap. 9. & ep. 118. ponit inter Sacramenta Baptismum tantum, & Eucharistiam; ergo &c. Confirmatur; quia l. 3. contra Donatist. ait, impositionem manuum nihil esse aliud quàm orationem, & posse iterari; ergo non est Sacramentum.

Dico primo, hanc sacram Chrismatis vnctionem esse Sacramentum, est de fide; vt probatum est supra ex Concilio Flor. & Trid. & alijs locis cit. quare illa manuum impositio quam vsurpabant Apostoli, & sancti Patres, non erat vel professio Fidei, vel oblatio aliqua Deo, sed cœremonia ad dandū Spiritum sanctum. Probatur primo, quia Caluinus contrarium non probat ex verbo Dei. Secundo, illa professio, vel manuum impositio quam dicit Caluinus fuisse cœremoniam, qua baptizatum offerebant Deo, fiebat in Baptismo, vt ait Dionys. Eccl. Hierarchia cap. 2. sed quia Baptismus est oblatio in Deum, ergo illa impositio aliò tendebat in Confirmatione. Confirmatur ex Hieron. l. con-

l. contra Lucifer. Basil.l.de Spiritu sancto cap.11. Ambr.l.1. de Sacram.cap.2.& l.2.cap.7.Cypr.l.de duplici martyrio; qui variis modis explicant in Baptismo nos offerri Deo, vouere, iurare, facere chirographum, &c. Tertio, si esset nuda cœremonia, cur ergo reseruata est Episcopis, cùm posset magis quàm Baptismus à presbyteris exerceri? de Episcopis patet Act.8. vbi non confirmauit Philippus Samaritanos, sed missi sunt Petrus, & Ioannes, *Cùm audiuissent Apostoli qui erant Hierosolymis quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserant ad eos Petrum, & Ioannem, qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* & Act.19. alij baptizant duodecim viros, Paulus verò confirmat. Quarto, quia impositio manuum causat aduentum Spiritus sancti, Act.8. *imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*, quem ante impositionem non habebãt. Confirmatur ex Simone, Act.8. qui cùm vidisset quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, &c. & Act.19. *Cùm Paulus manus illis imposuisset, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*, &c. Quinto, non valet, tunc fuit ideo instituta hæc cœremonia vt daretur Spiritus sanctus visibiliter, ergo nunc cessat; nam Baptismus etiam nunc restat, & tamen in sui institutione datus est Spiritus sanctus visibiliter in columba in Baptismo Christi. Confirmatur ex Aug.l.3. contra Donatistas cap.16.& Ambr.l.2.cap.5. ideo tunc dabatur visibiliter, vt Ecclesia crederet, & conuerteretur, quod nunc non est necesse. Confirmatur secundo, quia Sacramentum vt sic, est signum rei inuisibilis. Sexto, infantes qui non poterunt loqui, etiam confirmabantur, vt probat Hugo l.2.p.3.cap.7. Aug.l.de eccl.dogm. cap.52. & in Pontificali Romano habetur confirmatio paruulorum. at Eucharistia ex Eccl.Hierar.cap.vlt.dabatur infantibus. ex cap. autem 2.& 3. non dabatur illis nisi post Chrisma; ergo tunc temporis erat Sacramentum.

Dico secundo, Spiritus sanctus impositione manuum non solum dabatur ad gratias gratis datas, sed etiam ad priuatam sanctitatem. Probatur primo ex Patribus dicentibus dari septiformem spiritum, & perfectionem Christianam. Clem.Rom.

ep.5.

ep.5.ad suos discipulos. Cyrill.Catechef.myst.4. Vrbanus ep.4. ad omnes fideles. Secundo ex Patribus dicentibus, dari sanctitatem. Cypr.ser.post cœnam Domini.& l.2.ep.1. Dionys.Eccl. Hierar.cap.3. Aug.l.2.contra lit.Petil. cap.104.& l.3.de Bapt. contra Donat.cap.16. Tertio ex Patribus dicentibus, armari vt possint pugnare contra Dæmones. Tertull. l. de præscript. hæret.Raban.l.1.de institut.hær.cap.30.Eusebius Emyss.ser.de festo Pentecost. Ambr.fusè l.1.de Sacram.cap.2.& l.2.cap.vlt. Cypr.ser.post cœn.Domini. Dionys.Eccl.Hierar.cap.2. & vlt. Extat etiam Ordo Rom. qui creditur editus à Stephano Papa sub tempore Caroli Magni, vbi citat Ambrosium. Quarto, exemplo Christi vncti vt esset Sacerdos, ita & nos vt simus Sacerdotes; quod fit per gratiam. Cypr.sup.Dionys.Eccl.Hierar. cap.3.& 4. Ambr.l.1.de Sacr.cap.2. Quinto, ex Patribus dicentibus infundi dona Spiritus sancti,& virtutes. Ambr.l.3.de Sacram.cap.2. Ordo Rom.Cypr.Rabb.Vrban.& alij supra citati. & habetur d.5.de consec.& ibid.allegat Gregor.in Cant.cap.2. Sexto, Chrisma comparatur cum Baptismo quoad gratiam. Tertull.de consec.olei,c.2. Caro vngitur, vt anima sanetur,&c. August.l.contra epist.Petil.cap.104. Septimo, ex scripturis, ad idem datur nobis Spiritus sanctus, ad quod Apostolis fuit promissus,& exhibitus.Cypr.l.2.ep.1.Hieron.contra Luciferianos. at Apostolis fuerunt communicatæ gratiæ gratis datæ, & præterea gratum facientes, Luc.vlt. *donec induamini virtute ex alto*. & Act.6. *Stephanus plenus gratia, & Spiritu sancto*. ergo &c.

Dico tertio, impositio manuum, quibus dabatur Spiritus sanctus, est ritus vniuersalis in Ecclesia, & verum Sacramentum. Probatur, quia (etiam Caluino teste) Sacramentum est cœremonia externa diuinitus instituta cum promissione gratiæ; sed impositio manuum est huiusmodi, vt probatum est; ergo &c.

Ad primum igitur argumentum resp. Temporales quidem fuisse illas gratias, sed ritum, & cœremoniam illam perpetuò fuisse à Patribus vsurpatas. Ad secundum dictum est in secunda conclusione. Ad tertium resp. in Baptismo datur gratiæ plenitudo quoad generationem.in Confirmatione quoad augmentum, vt patet etiam in augmentatione viuentis. Ad quartum resp. non fuisse solum gratias gratis datas, sed etiam iustificantes,& gratum facientes. Ad quintum, omnes consentiũt

fuisse

fuisse institutum à Christo principaliter; & est de fide: quia iacere fundamenta Principis est; Sacramenta verò sunt fundamenta Christianæ religionis; & est definitum in Flor. & Tridentino. tamen ex D. Tho. Christus non exhibuit hoc Sacramentum; sed promisit, promittendo Spiritum sanctum Apostolis. Sed alijs magis placet quòd Christus ipse exhibuit, ex Cypr. ser. post cœnam Dom. Christus post pedum lotionem confecit Chrisma, & tradidit Apostolis. & hoc habemus ex traditione. ideo in die Cœnæ Domini solet in Ecclesia consecrari Chrisma. Ad sextum resp. quòd Augustinus dicit, quòd Baptismus, & Eucharistia, & si quid est aliud in Catholica Ecclesia commendatur. Ad Confirmationem resp. aliqui dicunt Augustinum dubitasse an per Chrisma inferretur character, ideo an sit Sacramentum irreiterabile. Alij dicunt Augustinum non loqui de impositione manuum, quæ fit in Confirmatione; sed reconciliatoria ad Ecclesiam; erat enim mos in Ecclesia, vt qui redirent ad Ecclesiam, reconciliarentur per manuum impositionem. Cypr. l. 2. ep. 1. ait, hæreticis resipiscentibus imponuntur manus. Aug. l. contra Donatist. c. 23. reconciliabatur hæretici per manus impositionem. Leo ep. 79. & ep. 35. c. 2. hæc reconciliatio porrò erat Sacramentum Pœnitentiæ, sed publicū. Conc. Carthag. 3. c. 2. Hæc autem manuum impositio qua hæretici reconciliabantur, non erat Sacramentum Chrismatis; Aug. Eccl. dogm. c. 42. Si hæretici (ait) redeunt ad Ecclesiam, & sunt adulti, reconcilientur per manuū impositionem. si paruuli, accipiant impositionem manuum, & Chrisma. Conc. 2. Hispan. cap. 7. sub Honorio, non licet nisi Episcopis per impositionem manuum tradere Spiritum sanctum hæreticis conuersis, nec conficere Chrisma.

De materia Confirmationis. Cap. II.



Dico materiam Confirmationis esse Chrisma cōfectum ex oleo, & balsamo per Episcopum benedicto; & in fronte apponitur. habetur c. 5. de Sacram. vnctionis. ex Concil. Flor. in bulla Armen. & Trid. sess. 7. cap. 2. vbi decernit hoc Sacramentum esse quodam Chrisma. Probatur ex epist. Fabian. ad Episcopos Orientales. & Dionys. Eccles. Hierarc. cap. 4. Tertull. de resurr. carn. & l. de Baptismo.

Baptismo. Cypr.serm.post Cœnam Domini; in Chrismate (ait) miscetur oleum,& balsamum. Greg.cap.2.in Cant.dicit materiam esse oleum,& balsamum. Cyrill.catech.myst.c.3.nos vngi oleo in hoc Sacramento. Isid.l.2.offic.eccl.c.25. *Vnctio* (dicit) *emanauit a Moyse, qui vnxit Aaron, deinde Reges; sed postquam Christus vnctus est oleo lætitiæ, nos etiam vngimur.* Oleum autem in hoc Sacramento significat nitorem conscientiæ; balsamum verò odorem bonæ famæ. Sed hic est

Primum dubium, videtur enim materia Chrismatis esse manuum impositio; nam ita colligitur ex Act.c.8. *Tunc imponebant Apostoli manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum,* & cap.9. *Imponens manus Ananias super Saulum, repletus est Saulus Spiritu sancto.* Resp. Apostolos accepisse effectû Chrismatis in linguis sine Sacramento. Contulisse verò per manus impositionem sine vnctione; quia tunc dabatur Spiritus visibiliter. Demum cùm viderent Ecclesiam esse confirmatam, & non dari Spiritum sanctum visibiliter, ex communi sensu Ecclesiæ adiecerunt vnctionem. Aliqui dicunt Christum docuisse vt vterentur manuum impositione pro tempore quo debebat dari Spiritus sanctus. Paludanus ait Christum docuisse absolutè signare,& vngere; sed Apostoli interim ex instinctu Spiritus sancti propter incommoditatem vsi sunt manuum impositione. & hæc opinio est valdè probabilis.

Secundum dubium. An sufficiat oleum sine balsamo, ita vt balsamum non sit necessarium? Resp.primo, balsamum esse necessarium necessitate præcepti, vt patet ex c.5. de Sacram.Vnctionis. & ex Conc.Flor.citato. & c.nouissimè. de consecr.d.5. & c.1.de Sacram.non iter.& ex ritu Ecclesiæ. Secundo dico non esse necessarium necessitate Sacramenti, vt tenet probabilior opinio,& probatur ex c.pastoralis.de Sacram.non iterandis. vbi interrogatus Innocent.III. quid esset agendum de quodam confirmato oleo tantum? Respondit, non esse iterandum, sed cautè supplendum si quid deesset; ergo si illud fuit Sacramentum sine balsamo,certum est balsamû non esse de necessitate Sacramenti. hanc opinionem tenet Caiet.3.p.q.72.ar.2.Sot.d.7.q.5.ar.2. Couar.l.1.variar.resol.c.10.nu.4. Victor.q.1. Inn.& Host.c.vnctio.de Sacram.Vnct.Sylu.Confir.q.1. Oleum igitur oliuarum est essentiale huic Sacramento, balsamum verò est accidentarium. dixi [oliuarum] quia oleum simpliciter stat pro oleo ex

oliuis. Confirmatur, quia Innocent. supracitatus ait, aliud esse oleum infirmorum, & Catechumenorũ, aliud oleum mistum ex balsamo; & vocatur Chrisma. Item patet balsamum non esse essentiale; quia Dionys. eccles. hier. c. 4. non meminit balsami. Item, quia hoc Sacramentum esset incertum ne adulteraretur, quia balsamum sæpe adulteratur. Postremo, quia balsamum est rarissimum; nascitur enim in quibusdam hortis vnius prouinciæ Indiæ. & licèt non sit tantæ necessitatis hoc Sacramentum, tamen non debuit dari materia tam difficilis; est enim balsamum arbuscula quædam vni terrarum Iudeæ quondam concessa, viti similior, quàm myrto. seritur malleolis vt vitis, & colles implet vinearum modo: sustinens sese sine adminiculis. intra tertium annum est fructifera.

Tertium dubium. An Chrisma, seu materia Confirmationis de necessitate Sacramenti debeat ab Episcopo consecrari? Resp. affirmatiuè ex communi sententia. patet ex cap. vnico de Sacram. Vnct. ex Conc. Flor. in bulla Armen. in Conc. Rom. c. 5. in Hispal. 2. c. 7. in Conc. Tolet. c. 7. in Carthag. c. 3. & est de fide. Probatur primo ex Dionys. eccl. hier. c. 3. & 5. ex Greg. in Cãt. 2. in illo: In vineis Engaddi &c. Cyr. in Catech. myst. 3. Leo. ep. 88. Aug. l. 5. contra Donat. c. 19. & 20. Cypr. ser. post cœnã Dom. & l. 2. ep. 1. Bed. in Act. 8. Sot. in 4. d. 7. q. 5. ar. 7. Victor. q. 42. & 43. Secundo probatur ex congruentia; quia omne Sacramentũ est instrumentum Verbi incarnati ad saluté nobis afferendam; instrumentum autem accipit à principali agente formam, & motionem cum ad opus applicatur; ita hoc Sacramentum accipit à Deo per suum ministrum formam. s. consecrationem. & cum adhibetur ad confirmandum, proferuntur verba formæ per quæ consecretur eadem materia. Dices; eadem ratione necessariò benedicendam esse aquam Baptismi, & panem, ac vinum Eucharistiæ. Resp. ex D. Th. Riccar. & Scot. quòd quoniã Christus non legitur tetigisse oleum, aut benedixisse, ideo cõsecratur; sed aquam, panem, ac vinum tetigit ipse, & benedixit, ideo non sunt amplius benedicenda. Sed contra (ait Durand.) quia aqua Baptismi non deberet benedici ne fieret Christo iniuria. Resp. non benedici aquam vt sanctificetur ipsa, sed magis ad nostram pietatem, vt ea religiosè vtamur.

Quartum dubium. Si quis oleo infirmorum confirmaretur, an esset Sacramentum? Resp. Palud. q̃ teneret; sed peccaret qui

sic vtere tur. Probatur; quia c. pastoralis de Sacram. non iter. per solum oleum tenet Sacramentum Confirmationis; at Ecclesia nunquã benedicit solum oleum benedictione Chrismatis; quare illud oleum fuit oleum infirmorum. Hinc patet olei vnctionem esse de essentia Sacramenti, non autem Chrisma. balsamum enim est pars integralis, non essentialis, vt dictum est supra dubio 2.

Quintum dubium. An simplex Sacerdos possit benedicere Chrisma? Respondet Caiet. posse; quia potest Eucharistiam; ergo &c. sed ego dico, opinionem Caietani esse parum tutam; nam Pontifices dicũt solos Episcopos id posse facere, & semper Episcopi soli fecerunt. Dices, Episcopus facit licitè, Sacerdos illicitè, sed validè. Contra, quia hoc esset peruertere omnia Sacramenta. Secundo, quia Eusebius d. 5. can. magnus. decernit, quòd si presbyter tentet confirmare, non confirmat; sed magis est consecrare materiam validè, quàm illam tradere in Sacramentum, quia Diaconus non potest consecrare Eucharistiam; sed potest tradere; ergo &c. Dices, An saltem possit Pontifex dispensare vt Sacerdos conficeret Chrisma? Resp. cũ Caiet. posse; nam Conc. Flor. in bulla dicit, id nunquam esse factum; sed non prohibet ne fiat. 2. dist. 6. can. 26. c. presbyter, etiam id prohibetur presbyteris ne vnquam conficerent, sed non dicitur non posse id facere. Tertio, quod verò Conc. Tolet. 8. dicitur, diuinam auctoritatem decreuisse, vt soli Episcopi consecrarent; diuinam auctoritatem appellat auctoritatem Episcoporum, quia à Deo.

De forma Confirmationis. Cap. III.



FOrma Confirmationis est hæc. *Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen.* & habetur in Conc. Flor. & in Pontificali Rom. & vsu Ecclesiæ. & non est mentio à quo sit tradita. Cum huius formæ prolatione debet concurrere vnctio, sicut & de Baptismo dictum est. D. Th. 3. p. q. 72. ar. 4. Additur autem confessio Fidei Trinitatis, in nomine Patris, &c. quia Sacramenta sunt Fidei professio. Hoc Sacramento confirmatus, fit Christi miles

ad constanter confitendum eum, & fortiter pugnandum contra eius inimicos. c. 1. de consec. d. 1. & ita signatur cruce, quod est signum sui Ducis; Conc. Trid. sess. 7. de Confirm. Circa hanc formam dici possunt quæ diximus de forma Baptismi quoad mutationem, &c. tract. 1. cap. 1. dub. 7. Probatur hanc esse formam huius Sacramenti. Primo, quia sunt aliqua vestigia huius formæ in Patribus. Ambros. l. 1. de his, qui myst. initian. cap. 7. *Signauit te Deus Pater; confirmet te Christus Dominus, Spiritus sanctus vngat te.* & l. de Sacram. ait, dici *signo te.* quia signo Crucis consignamus. August. tract. 18. in Ioan. Ambr. l. 3. de Sacram. Clem. in ep. ad suos discipulos ponit consignare, & confirmare. Dionys. eccl. hier. c. 2. *Deifico vnguento hierarcha virum consignat.* & alij; Secundo, quia in hac forma exprimitur principalis auctor. i. Trinitas. minister. s. ego. materia. s. Chrismate. effectus. s. salutis. & character. i. consigno. Et est notandum, signum Crucis esse de essentia Sacramenti, quia exprimitur in forma. Stephan. d. 25. de consecr. c. cum quid. debet enim explicari vexillum quo signamur.

Primum dubium. Cur hæc forma non est in scriptura? Resp. sufficit traditio. cur autem non sit scripta ab Apostolis, potest esse ratio, ne vulgaretur, & esset ludibrio profanis.

Secundum dubium. An hæc forma sit de iure diuino? Resp. prima opinio est Bona. in 4. d. 24. ar. 1. q. 4. & d. 23. ar. 1. q. 4. ad 2. Halens. 3. p. q. 9. ar. 2. §. 3. quod illæ tantum formæ sunt de iure diuino, & immutabiles, quas Christus suo ore protulit, vt Baptismi, & Eucharistiæ; in alijs verò possunt esse aliæ formæ; quia Christus nõ instituit eas, sed reliquit potestatem Ecclesiæ. hoc dicunt de Vnctione, & Ordine. huius sententiæ sunt etiam Riccar. d. 23. Palud. Gabr. & Durandus. Secunda opinio est D. Thomæ, & recentiorum, esse de iure diuino, quare si ponantur alia verba, esse irrita.

Dico primo, in his Sacramentis in quibus nullam legimus varietatem, standum est vsui Ecclesiæ; & credendum est ab Apostolis manasse, qui multa acceperunt à Christo, quæ non sunt in scripturis. Innoc. iij. de celeb. Miss. c. cum mater. Secundo dico, si constaret euidenter factam fuisse mutationem essentialem in Ecclesijs, præsertim in Romana circa formam, probabile esset quod aiunt Bonau. & Halens. quia nõ est credendum tanto tempore Ecclesiam errasse. Et quando Concilia dicunt Sacramenta fuisse

fuisse instituta à Christo, intelligi debent de effectu Sacramēti & de materia, ac forma vniuersali, idest vtimini quibusdā verbis, & ego ea rata habebo. Tertio dico, Formam Confirmationis esse huius secundi ordinis, si credatur nonnullis auctoribus. Ambr.l.2. de Sacram. c.vlt. post Baptismum venisti ad Sacerdotem, & dixit; *Deus omnipotens qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu sancto, ipse te vngat in vitam æternam*. Secunda est varietas in Ordinario Romano antiquo, vbi habetur, *Pontifex tincto pollice in Chrismate, ait: Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. & antequam perueniat ad Confirmationem, orat; *Consigna eos Domine signo Crucis in vitam propitiatus æternam*. Tertio, refertur ab Alcuino de offic.diu. circa cereum Sabba. sancti, confirmare, & dicere; *Pax tibi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. & omnes respondēt, *Et cum spiritu tuo*. Quarto deducitur ex Aug.l.15.Trin.c.24. formam Chrismatis esse deprecatoriam, non indicatiuam; ait enim, Apostolos non dedisse Spiritum sanctum, sed orasse vt veniret super eos: & Act.8. *orauerunt vt acciperent Spiritum sanctum*. & erat hæc forma, *Emitte Domine Spiritum tuum simul cum donis*. Quinto, refertur à Gugliel. Dur. Epis. Mimat. in ratione diuinorū offic. qui fuit coætaneus D. Thomæ anno 1286. qui refert hanc formam; *Episcopus orat, & deinde linit frontem Dominus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, pax tecum*. Et qui compilauit Pontificale Romanum, quo nunc vtimur, dicit loquens cum Innocent.viij. suo tempore omnes ferè Episcopos vsos Pontificali; Guillel. Durand. hinc patet fuisse variatum in hac forma.

De Fine, seu effectu Sacramenti Chrismatis. Cap. IIII.



Vbium vnicum. Qui sunt effectus Chrismatis? Resp. primus effectus Confirmationis communis cum alijs, est conferre gratiam, ex Conc.Trid.sess.7.can.8. suppono ex eccl.hier. c.2.3.4.& 6. in Baptismo Ecclesiam purgari, & illuminari; perfectio autē fit in Chrismate, Ordine, & Eucharistia. quæ tamen diuersa est, nam Ordo perficit in ordine ad alios, alia duo perficiunt hominem

nem in seipso, sed diuerso modo. Pro quo Nota primo, fidem, & sanctitatem vitæ habere inter se depēdentiam; nam Heb. 11. sine sanctificatione Fides fit informis, & periclitatur. 1. Tim. 1. & aucta charitate, fides confirmatur, & auget fortitudinem. *Fortis est vt mors dilectio*. Similiter aucta fide, augetur charitas, vel fortitudo ad tuendam sanctitatem; *cui resistite fortes in fide*. 1. Pet. 5. & Ephes. 3. *In omnibus sumentes scutum fidei*. Nota secundo, contra fidem sunt variæ impugnationes. i. ineuidentia, rationes naturales, hæreses, sectæ, Doctorum sententiæ, persecutio tyrannorum. Contra sanctitatem sunt versibilis voluntas, lumen intellectuale debile, concupiscentia, infestationes Dæmonum, obiecta visibilia, scandala, naturæ corruptio, tædium perseuerandi. Nota tertio, quòd Chrisma peculiare perficit in fide; Eucharistia in sanctitate. quamuis vtrunque Sacramentum ad vtrunque effectū conferat. Vnde Dionys. eccl. hier. c. 2. mysterium vnguenti (ait) esse complementū Baptismi. Vnde Christiani non confirmati nō dicuntur perfecti Christiani. habetur d. 5. de consec. c. omnes fideles. & c. nunquam. sed in regeneratione accipimus propriè Sacramentum Fidei, & ideo ante Baptismum olim Fidem profitebantur, & in Baptismo fit professio Fidei de Trinitate. & Baptismus est ingressus in Ecclesiam per Fidem. Chrisma verò est complementum Baptismi, ergo est complementum Fidei. Vnde hunc effectum assignat Concil. Flor. in bulla Armenorum. Eucharistia verò ex August. Chrysost. & Cyrill. in Ioan. 6. propriè perficit sanctitatem. Secundo, quia locum augumentationis Chrisma habet; Eucharistia nutritionis. Dices, prior est nutritio augumentatione, ergo priùs oporteret sumere Eucharistiam, quàm Confirmationem. Resp. in vtroque Sacramento esse augumentationē quandam. Chrisma verò vocatur augumentatio, quia hæc vt talis, non semper fit ab intrinseco. & Confirmatio fit extrinsecè per vnctionē; vt Eucharistia fit semper ab intrinseco, ideo vocatur nutritio. Secundo augumentatio semel fit, nutritio sæpe, sic etiā Confirmatio fit semel, (est enim Sacramentum irreiterabile) Eucharistia sæpe. Tertio, augumentatio addens quantitatem, armat ad pugnam; ne à gigantibus opprimamur, & obdurat membra. nutritio verò propriè reparat sanguinem, & calorem; sic Confirmatio proprium effectum habet, & primarium, vt roboret hominē in perfectione Fidei Christianæ; vt in Conc. Flor.

Ideo

Ideo (inquit) *datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, vt Christianus audacter Christi nomen confiteatur; ideo vngitur in fronte,& gratia roboris armatur, vt sit fortis in defensione Fidei. Impingitur & colaphus, quia fit miles Christi, vt sumat arma Christi, idest opprobrium; Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*. Qui colaphus datur etiam ad probandum an sit miles Christi, si cum patientia sustineat. Secundarius autem effectus, est dare robur contra omnia vitia,& potissimũ pugnare contra nostros hostes, vt ait Aug.l.3.contra Donat.c.16. Nutritio verò, quæ per Eucharistiam fit, propriè reparat sanguinem, & calorem.i.charitatem. Quarto, augumentatio dat acquisitionem non habiti; sic in Chrismate. nutritio verò dat conuersionem nutrimenti in alitum; sic in Eucharistia anima conuertitur in Deum. Tertius effectus est imprimere characterem, quo insignitur homo vt miles Christi; ac ob id hoc Sacramentum iterari non potest. Conc.Flor.in bulla.& Trident.sess.7.de Sacram.in genere. can.9. Conc.Tolet.8.can.7. Iterari verò posset si esset dubium, quia non intelligitur iteratum quod dubitatur an sit factum, argumentũ ex cap.2.de Baptis. & docet Sylu.verbo Confirmatio. q.2. Dices, An iterantes incidant in irregularitatem, vt si quis bis confirmet, seu bis confirmetur. Resp.negatiuè, quia non exprimitur in iure nisi in Baptismo. Couar.Palud.in 4.d.7. q.2.ar.1. Scot.ibid.q.5. Sot.in 4.d.2.q.1.ar.5. Castr.l.1. cap.7. docum.3.Turrecrem.in c.dictum est.de cõsec.d.5.Victor.q.45. Et hoc tenẽdum est, quamuis oppositum teneat Ant.3.p.tit.28. c.6.§.7.Nau.c.22.nu.246.Host.Archid. & alij. Patet secundo. character ex congruentia; nam vel datur character ob signum vt distinguantur milites à non militibus ex officio; vel ob potestatem, nam potestas Christianorũ vel est propter alios, & hæc datur in Ordine; vel propter se, & hæc datur vel ad recipiẽdum Sacramenta,& sic datur in Baptismo. aut ad pugnandum,& sic datur in Chrismate. Tertio, character autem Chrismatis essentia iter supponit characterem Baptismi, alioquin non imprimitur Amb.l.1.de Sacram. c.2.& l.2.cap.vlt.& l.3.c.3.& l.5.c.3. Melchiades in epist.ad Episcopos Hisp.Dion.eccl.hier.c.2.3.4. & vlt. quia Baptismus est ianua. Obijcies, nam Act.10.cecidit Spiritus sanctus in Cornelium priusquàm baptizaretur, sed ille erat effectus Chrismatis, ex Aug.l.2.contra lit.Petil.c.35.& l.2.

contra

contra epist.Parm.Resp.de lege ordinaria Baptismus praecedit. nam Act.8. Samaritani priùs baptizantur,quàm confirmentur. & Act.19. sed cum Cornelio fuit dispensatum ad tollendam du bitationem Petri de baptizandis Gentilibus. Dices, ille non erat regeneratus, quod igitur argumentum recipitur? Resp. auctam fuisse gratiam quã acceperat per Baptismum in voto. Postremus effectus de iure positiuo adiunctus est,nam producit cognationem spiritualem,quæ est impedimentum dirimens ma trimonium,vt decreuit Conc.Trid.sess.24.c.2.de reformatione matrimonij.

De ministro Confirmationis. Cap. V.

DVbium vnicum. Quis sit minister Confirmationis.

Resp. prima opinio est Vuigleff. apud Valdens.2.tom.de Sacramen. cap.114. & 115. & Armac.l.11.de quæst. Armen. c.4. qui putat ordinarium ministrum huius Sacramenti esse etiam Presbyterum,& Diaconum.probat primo, nam Act.9. Ananias simplex diaconus baptizauit, & confirmauit Paulum, imponens sibi manus. Secundo ex Dion.eccl. hier.c.2. statim post Baptismum confirmabatur,at baptizabat presbyter, ergo & presbyter confirmabat. Tertio ex Ambr.ad Eph.4. ait, in Ægypto fuisse consuetudinem,vt Episcopos presbyteri confirmarent.Quarto,ex can.omni tempore.de consecr. d.4.& can.presbyter.d.95. *Presbyter presente Episcopo non signet infantem, nisi fortè ab Episcopo illi fuerit præceptum*; ergo absente Episcopo potest. Quinto, Presbyter potest dare Baptismum qui delet peccata,& culpam,& pœnã,& regenerat. item potest Eucharistiam, quæ plus sunt; ergo & Chrisma. Sexto,ex Hieron.l.de septem Sacram. vbi ait,Presbyterum esse ordinarium ministrum.& in dialog.contra Lucif.ait,quòd Episcopus confirmat ad honorem potius Sacerdotis, quàm ad legem necessitatis. Septimo,ex Ambr.l.1.de Sacram.cap.3.ait, *Occurrit tibi Leuita, occurrit tibi Presbyter, victus es athleta Christi*, ergo Presbyter confirmat.

Hæc opinio est hæretica. probatur ex Trid. sess.7. cap.3. & Act.vbi Philippus baptizat, & ad chrismãdum vocatur Paulus, & Ioan.

& Ioannes.ſic etiam cap.19.2.quia ſemper Epiſcopi conſueuerunt confirmare; Diony.Eccleſ.hierar.cap.2.3.4.& vlt.Ambr.l.3.de Sacram.cap.1.Euſeb.l.7.hiſt.Eccleſ.cap.43. 3.patet ex diſtinctione duplicis Chriſmatis; quia Sanctus Syluester veritus ne infantes decederent ſine Chriſmate,ſanxit duplicem Vnctionem; vnam in vertice baptizatorum, quæ fiebat à presbyteris, alteram in fronte, quæ reſeruabatur Epiſcopis. Ita Innoc. III. tit. de ſacra Vnctione,diſtinguit duplicem Vnctionem, in vertice,& in fronte. 4. probatur ex patribus, qui dicunt non poſſe fieri Chriſma, niſi ab Epiſcopo. Melchiad. Epi. ad Epiſcopos Hiſpan. Can.de his.de conſecr.d.5.Clem.Rom.ad ſuos diſcip. Damaſcen.Epi.ad Coëpiſc.Leo Epi.88. Concil.Hiſpal.2.cap.7. ſub Honorio primo. Dionyſ.Eccleſ.hier.cap.3.& 5.Iſid.l.7.Etymol.cap.12.Hugo l.2.de Sacr.p.3.cap.12. 5.Alij dicunt,quod ſi presbyter id tentet,nihil facit. Euſeb.Papa ep.3.Innoc.III.cap. quanto. Congruentia eſt, quia in Chriſmate conſcribuntur milites ad pugnandum, quod faciunt Duces.i.Epiſcopi. Quare

Ad 1. Reſp. Ananias impoſuit manus Paulo vel ad recipiẽdũ viſũ, iuxta illud; *Sup ægros manus impon&ẽt, & bene habebũt.* Vel fuit cæremonia energumenorum. Ad 2. Dionyſ. ibi loquitur de hierarca baptizante.i. Epiſcopo;nã quando qui baptizabat non erat Epiſcopus, expectabatur Epiſcopus; vt patet in Philippo Act.8.Hieronym.in dialogo contra Luciferianos.Ad 3. dicitur, id factum fuiſſe ex diſpenſatione Pontificis, aut Concilij. Vel Ambroſius deceptus eſt, ex aliquo falſum referente. Ad 4. ibi eſt ſermo de Vnctione quæ fiebat in vertice. Ad 5. Melchiades dicit, Chriſma eſſe dignius baptiſmo, 1.quia ex D. Tho. baptiſmus eſt validus ad pellendum malum; Chriſma ad reponendum bonum.2.quia Chriſma ordinatur ad bonum publicum: baptiſma ad priuatum. neq; valet id quod in argumento ſupponitur. 5. quod qui poteſt maius, poterit & minus; quando illud minus eſt diuerſi generis. Ad 6.ad primũ locũ Hieronymi Reſp. illum librum eſſe apocryphum.i.non autenticum, & probatum, ſeu abſconſum, cuius occulta origo eſt; & continere multas hæreſes. Ad 2. cum dicit ſpectare ad honorem, ſignificat potuiſſe determinari Sacerdotem, ſed noluiſſe, vt honoraret Epiſcopũ, Ad 7. quod fortè loquitur ibi de Vnctione in vertice, vt patet l.3. de Sacram.Vbi tribuit Vnctionem Sacerdoti diſtinctam ab Vnctione Epiſcopi.

Secunda opinio dicit, ita Episcopum esse ministrum huius Sacramenti, vt neq; ex disp. nsatione possit esse presbyter. est. Riccar. Dur. Adriani in 4. d. 7. probatur 1. character presbyteralis vel sufficit de iure diuino ad Chrisma conficiendum, & sic si Presbiter tenet, etiam sine dispensatione conficiet valida. est, autem definitum ab Innoc. III. & Euseb. quod si tenet, nisi efficit; ergo non est sufficiens character illius, ergo non potest à Pontifice suppleri; quia minister est tam de essentia Sacramenti, quàm materia, & forma. 2. Tam est de essentia Sacramenti collator, quàm susceptor; sed susceptorem determinatum iure diuino Ecclesia non potest mutare, vt in Sacramento ordinis, in quo subiectum est vir, non fæmina. & in Vnctione cuius subiectum est infirmus. & in Chrismate, cuius subiectum est baptizatus. 3. Conferre Chrisma si est actus potestatis ordinis, dispensatio nihil faciet, quod tantum alterat iurisdictionem, non characterem. Si est iurisdictionis, contra; quia sequeretur sufficere tantum iurisdictionem, quod falsum est; nam sequeretur Pontificem nondum consecratum, sed tantum electum, posse dispensare; quia habet iurisditionem; ergo & Episcopus etiam potest dispensare, quia habet iurisditionem.

Hæc opinio est ferè temeraria; presbyter enim ex solius Papæ dispensatione potest esse minister extraordinarius Chrismatis. probatur ex Greg. l. 3. regist. ep. 26. qui scribens ad Episcopum Calaritanum, miratur quod Ecclesia Calaritana scandalizata sit, quod prohibuerit illi Ecclesiæ administrationem Chrismatis per Sacerdotem. & ad tollendum scandalũ, dispensauit cum illa Ecclesia. *Resp.* 1. in ep. ad Gregorium non legi baptizatos, sed baptizandos. Vnde intelligunt de Vnctione Catechumenorum ante baptismum. Sed codices correctiores habent, baptizatos. sic refertur à Gratiano d. 5. loquitur enim de Vnctione in fronte, Catechumenis verò fiebat vel in ventre vel in scapulis. Dur. & Adrian. aiunt, Gregorium errasse, quia erat homo. Sed contra; quia sic reuocabuntur in dubium omnes decretales Pontificum. 2. quia nunquam sic error fuit correctus ab alijs Pontificibus, vel à Concilijs. 3. Si Gregorius dispensauit vt priuatus, fatuus fuit; quia non poterat. si vt Papa, ergo supponebat ius de potestate dispensandi. Patet præterea ratione, ideo enim Episcopus signat, quia conscribit milites; sed potest Dux committere hunc delectum alicui inferiori, ideo ad

hunc

hunc effectum potest etiam presbyter subrogari. Quare

Ad 1. Resp. de iure diuino charactere Episcopalem esse completam potestatem independentem ab alio vt chrismet, ita vt si Pontifex prohibeat, nihil facit. Character autem presbyterális est inchoatè sufficiens, sed non plenè, nisi addatur dispensatio; vt potest suppleri, quia character est signaculum quodam positum in anima Sacerdotis, per quod signaculum ex Dei promissione Deus concurrit; quod pactum in charactere presbyterali est simul cum dispensatione. Ad 2. Resp. suscipientes sunt inhabiles iure diuino indispensabili, quia Ecclesia nunquam dispensauit. presbyter verò est inhabilis iure diuino dispensabiliter, quia Ecclesia dispensauit. Ad 3. Resp. esse actum simpliciter characteris Episcopalis ordinis. in Sacerdote verò est actus ordinis, & iurisditionis, quod colligitur ex dispensatione facta. Ad aliud, Sotus concedit de Pontifice electo. Episcopus verò non potest dispensare, quia non satis est qualibet iurisdictio, sed iurisdictio Ecclesiæ vniuersalis.

Tertia igitur opinio vera, & tenenda est, Ministrum ordinarium esse Episcopum. & hoc est de fide, ex concil. Flor. & Trid. sess. 7. cap. 8. licet ex dispensatione Papali possit etiam simplex Sacerdos ex causa rationabili, Chrismate tamen per Episcopum confecto. & ita legimus fecisse Gregorium cap. peruenit d. 95.

De suscipiente. Cap. VI.

SVSCIPIENS debet esse quilibet baptizatus. cap. si quis de presbyt. non baptiz. & cap. veniens. tit. eod. Secundo dico. Omnes debent confirmari. ex cap. omnes fideles, & cap. ieiunij de consecr. d. 5. vbi dicitur, numquam erit Christianus, nisi confirmatione Episcopali fuerit chrismatus. idem probatur ex communi sententia doctorum, & vsu Ecclesiæ. Sed est

Primum dubium, quæ dispositio sit necessaria accedentibus ad hoc Sacramentum? Resp. olim præcipiebantur ieiunium, & confessio. sic in concil. Aurelian. & Mald. de consecr. d. 5. can. vt ieiuni. Sed exoleuit vtrumq; propter contrarium vsum. Licet autem confessio huic Sacramento non sit necessaria, vt Eucharistiæ, quia non indiget tanta reuerentia, quanta Eucha-

ristia, tamen si confirmandus sit in peccato mortali, licèt non sit præceptum de confessione præmittenda, quia in cap. ieiunij de consecr. d.5. dicitur, vt admoneamur, non autem præcipit; tamen de iure diuino est necessaria contritio, vel attritio putata contritio, vt in alijs Sacramentis, excepta Eucharistia. Angel. cõfirm. q.4. Sylu. eod. q.5. Sot. in.4.d.7.q. vnica ar.8. Riccar. ibid. q.2.ar.6. Gabr. q. vnica ar.3. dub.7. D.Tho.3.p.q.72.ar.7. ad 2. ratio est, quia est Sacramentum in quo augetur gratia, & augumentum supponit gratiam.

Secundum dubium, quæ nam ætas requiratur in suscipiente hoc Sacramentum? Resp. olim confirmabantur infantes ante vsum rationis. non est igitur necessarium expectare vsum rationis D.Tho.3.p.q.72. Gabriel in 4.d.7.ar.3. Sylu. ver. cõfirm. q.4. Anton.3.p.tit.7. Palud.d.7.q.4. Sot.d.7.q. vnica ar.8. Vict. q.49. quare nõ opus est expectare ætatem duodecim annorum, vt tenet glos. cap. ieiunij cit. & eam sequitur Marsil. in 4.q.8.ar. 4. ratio est. 1. quia licet infantes non sint apti pugnæ, tamen nihil prohibebat dum essent infantes sumere arma, vt cum adoleuissent possent pugnare. 2. non obstat quod infans non possit profiteri militiam, quia susceptor pro eo profitetur sicut in baptismo, ex Dionys. cap. vlt. Eccles. hier. Dico tamen meliorem esse consuetudinem ne confirmentur infantes ante vsum rationis, sicut modo fit. Est decretum in Aurel. d.5. can. vt ieiuni. 1. quia cum necessitas suscipientis ad aliud non cogit, consulendum est reuerentiæ Sacramentorum. Baptismus autem quia est Sacramentum necessitatis, datur infantibus; cætera non dantur. 2. quia cùm nullum opus Christianæ religionis sit magis arduum quàm pugnare pro Fide Catholica, decebat ad hoc nõ obligari homines, nisi post vsum rationis. 3. si in aliqua prouincia Christianorum seruatur vsus antiquus, non est tollendus. Dico 4. ætatem suscipiendi confirmationem, esse septimum circiter annum. Probatur 1. quia cùm Chrisma sit perfectio innocentiæ datæ in baptismo, eo tempore confertur Chrisma, quo credimus illum perseuerare. 2. ex l.6 de temporibus ordinationum cap. vlt. olim licebat sumere anno septimo ordines minores; at Chrisma præcedit illos non tamen ex necessitate præcepti sub mortali, sed saltem sub veniali, quia per Chrisma efficitur miles; per ordines, Dux; decet autem prius esse militem, quàm ducem. Dices, quid si infans post baptismum confirmaretur?

retur? Resp. tenere Sacramentum, ex D. Tho. supra cit. Sot. & patet ex dictis.

Tertium dubiū. An muti, surdi, & amentes possint cōfirmari? Resp. Mutos, & surdos posse cōfirmari, quāuis enim ore nequeāt, vita tamē & opere possunt fidē profiteri; sunt enim apti ad cognoscēdam dignitatem fidei, & propriam vitam. Amentes autem si habent lucida interualla, possunt licitè confirmari. Imo etiā & in amentia, si ante amentiam petierunt; quia expectatur vt possint etiā pro fide pugnare. Imo etiam si sint perpetuò amentes, dico cum Soto in 4.d.7.q.vnica ar.8. quod si confirmatur, tenet Sacramentum; ita Melchiad. de consecr. d.5. can. quod sanctus. Sed quia de illis est idem iudicium quod de infantibus, cùm ecclesia non soleat confirmare infantes vsq; ad vsum rationis, fit, vt nec amentes possint. Ideo Marsil. dicit non esse confirmandos, & ratio est, quia nunquam possunt vti gratia confirmationis confitendo fidem. Sed est

Quartum dubium. An sit præceptum sub peccato mortali de confirmatione? Resp. primo non esse præceptum diuinum de hoc Sacramento suscipiendo obligans ad mortale, ita vt siquis non suscipiat peccet mortaliter de iure diuino. Ita D.Tho. 3.p. q.72.ar.8. ad 4. & in 4.d.7.q.1.ar.1. Adrian.q. de confir.ar.1. Sot. d.7.q. vnica ar.8. Scot. ead. dist. q. 2. Palud.q.1.ar.1. Dur.q.1. Gabr.q. vnica ar.5.dub.3. Nau.cap.22.num.9. Couar. l.variar. resol. cap.10.nu.5. Anton.3.p.tit.14.cap.14.§.1. Vict.q.48. probatur, quia illa tantum Sacramenta præcipiuntur, quæ vel sunt finis aliorum Sacramentorum, vt Eucharistia; vel sunt de necessitate salutis, vt baptismus. Sed confirmatio nec est de necessitate salutis, nec etiam est finis per se aliorum Sacramentorum; ergo non præcipitur de præcepto diuino. Confirmatur, quia non extat hoc præceptum in scripturis, non enim est locus obligatorius de hac re in Euangelio. Confirmatur etiam ex Melchiade de consecr.d.5.can. Spiritus sanctus; vbi dicit, mox morituris sufficere mortem, nec egere eos confirmatione qui morte confirmentur; ergo præsupponit non esse præceptum diuinum. Secundo dico, neq; esse præceptum ecclesiasticum, seu positiuum sub mortali. Ita D. Tho. Adrian. Sot. Scot. Nau. Couar. locis cit. & Caiet. ver. confirm. quamuis oppositum teneat Palud. Anton. supra. Sylu. ver. confirm. probatur 1. quia Ecclesia non solet præcipere nisi determinando tempus, ergo non dedit præceptum

ceptum. Resp. Dur. determinasse tempus, quando .s. est pugnãdum pro fide. Sed ait Sot. satis esse baptismum. Resp. Riccar. tempus esse cum adest commoditas. Sot. verò ait, tunc negligentiam culpabilem esse mortalem, cum est sub peccato mortali; sed nondum est probatum esse præceptum sub peccato mortali, non igitur negligentia suscipiendi erit peccatum mortale. Tertio si esset præceptum, maximè esset illud Vrbani d. 5. can. 1. omnes fideles post baptismum Spiritum sanctum accipere debent per manuum impositionem. Sed hoc videtur esse consilium, non præceptum; quia non apponit pœnam. Tertio dico, quod si quis omitteret hoc Sacramentum ex contemptu, peccaret mortaliter secundum omnes. Petrus Sot. tract. de Chrismate distinguit triplicem contemptum Sacramenti. Vnus est hæretcæ prauitatis, & hoc est peccatum mortale. Secundus est voluntariæ superbiæ, quando .s. quis credit esse Sacramentum, & potest accipere, & tamen vilipendit; & hoc est peccatum mortale. Tertius est supinæ, & notabilis negligentiæ, cum .s. Episcopus dat Confirmatione, & adest commoditas magna, & tamen non suscepit; & hoc etiam (ait Petrus Sotus) est peccatum mortale. probat ex Melchiade in ep. ad Episcopos Hispaniæ. Quarto dico, si quis omitteret ex negligentia etiam crassa, sed sine contemptu, non esset peccatum mortale, sed tantum veniale, quia negligentia non est culpabilis nisi quando homo tenetur facere. Sot. Nau. Caiet. Victor. & alij supra citati. Dices de consecr. d. 5. cap. 1. & cap. vt ieiunij, & cap. de his eod. videtur dari præceptum confirmationis. Resp. cum Sot. ibid. suaderi tanquam vtile, non tanquam simpliciter necessarium; ideo non dicit, omnes tenetur; sed omnes debent, &c. & quamuis non sit perfectus Christianus qui non est confirmatus, illa tamen perfectio non est de essentia, vt eius omissio sit peccatũ mortale. vt dictũ est

De Ritu, et annexis Confirmationis.
Cap. VII.



Irca ritus, quos seruat Ecclesia in hoc Sacramento, dico, certum esse à Spiritu sancto (vt ait D. Tho. 3. p. q. 72. ar. 12.) & ab Apostolorum traditione magna ex parte ad nos deuenisse; vt probat Adrian. in 4. q. de confirm. & Dionys. Areop. concil. Trid. sess. 7. cap. 13. Sed est

Primum

Primum dubium. An sit de essentia vt vnctio, & crux fiant in fronte, ita vt alibi fiant, sit nullum Sacramentum? Videtur quod non. Primo quia Ambros. l. 3. de Sacr. ait debere vngi in capite, ibi enim sunt sensus hominis. 2. Cypr. Catechesi. 3. myst. dicit debere vngi frontem, ad tollendam verecundiam; aures, vt fiat promptus ad audiendum verbum Dei; nasum, vt sit bonus odor Dei; pectus, vt induatur thoracem iustitiæ. Patet ratione; confirmatio fit ad fortificandum, fortitudo autem est in corde, cor igitur est vngendum. Dico tamen esse de fide, vnctionem de essentia debere fieri in fronte, ita vt si alibi fiat, non sit Sacramentum. Ita Sot. in 4. d. 7. q. vnica ar. 9. & deducitur ex can. nouissimè. de consecr. d. 5. & cap. Presbyteri de consecr. d. 4. Probatur ex Leo. ep. 88. Tertull. de præscript. hæret. August. tract. 118. in Ioan. Isid. l. 7. Etym. cap. 12. Damasc. ad Co epis. Dionys. eccl. hierar. cap. 4. & ex Cōcil. Flor. in bulla Armen. ratio est, quia hoc Sacramentum datur ad corroborandum hominem propter fidem. possent autē huic obstare vel pudor prædicandi Euangelium, & Crucem Christi; vel timor suppliciorū: at timor, & pudor etiam si aliunde oriantur, maximè tamen apparēt in fronte ob viciniam frontis cum imaginatiua, ex qua scaturiunt oēs passiones; tū ex concursu multorum spirituum qui ascendunt in caput. vnde Ezechiel 12. ait dominus, *Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.* in hac igitur parte signandum est vexillum crucis. Ad Ambros. Resp. intellexisse de parte capitis .i. de fronte. dixit itaq; in capite, per figuram synecdochem, sumens totum pro parte. Ad Cypr. Resp. in fronte esse de essentia. si verò fiebat in alijs partibus, erat cæremonia. Ad rationem Resp. non chrismamur vt simus solum fortes, sed etiam vt credamur; quod in fronte apparet. Eucharistia verò confirmat cor. ex his patet non esse intelligendum Ledesmam, neq; Victoriam q. 91. qui putant vngi & signari in fronte signo crucis esse de præcepto ecclesiæ, non autem de essentia. Oppositum enim & probabilius est, & magis conforme doctrinæ Patrum, ac traditioni ecclesiæ.

Secundum dubium. An debeat esse susceptor in chrismate? Resp. aff. ex Dionys. eccl. hierar. cap. 2. ratio est, quia qui accedit vt confirmetur, infirmus est, quare est tenendus. 2. sicut in baptismo susceptor est tanquam pædagogus baptizati ad eum erudiendum in fide. ita cùm in chrismate conscribatur in pugna,

gna, egemus magistro militiæ. Non tamen susceptor est de essentia Sacramenti, vt notat Sot. in 4.d.7.q. vnica. ar. 10. & vlt. & Sylu. ver. confirm.q. vnica. peccaret tamen si quis omitteret. Dico 2. susceptor debet esse baptizatus; vt habetur de consecr. d. 4. cap. in baptismate. alioqui si non baptizatus tentat, peccabit. Sylu. ver. confirm.q. vnica. neq; is contrahit cognationē spiritualem. Victor. q. 5. Ex D.Tho. & Palud. Debet esse vnus, vel vna. can. non plures de consecr. d. 2. Sylu. supra citatus. Debet esse alius ab eo qui tenuit in catechismo, vel baptismo secundum consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, nisi cogat necessitas. cap. in catechismo de consecr. d. 4. nunc tamen vsus contrarius excusat à peccato contrafacientes. Sylu. ibid. Tertio dico oritur cognatio spiritualis inter tenentem, & confirmatum, eiusq; patrem, & matrem: ex Concil. Trid. sess. 4. de reform. matrim. cap. 2. vt supra dixi de baptismo tract. 2. cap. 4. dub. 8. in fine. Ideo vxor non debet virum tenere, nec contra: quia orietur impedimētum inter eos. & eadē ratione nec filium. &c. Sylu. ver. confirm. q. vnica. qui addit, quod non debet quis tenere consanguineum, vt fratrē, sororē, &c. quia sufficit inter eos vinculum carnale. Palud. in 4.d.7.q.2.ar.3. Quarto dico, Monachi non possunt esse patrini. can. monachi. de consecr. d. 4. vt supra dixi de baptismo tract. 2. cap. 4. dub. 8. quòd autem is qui tenet sit mas, vel fœmina, parum refert. D. Tho. 3. p. q. 72. ar. 10. ad 3. & patet ex can. non plures de consecr. d. 3.

Tertium dubium. An sit locus, & tēpus statutum? Resp. quoad locum potest confirmatio conferri in loco honesto, etiam extra Ecclesiam. non tamen potest Episcopus confirmare nisi suos subditos; & hos non potest confirmare nisi in sua diœcesi. cap. interdicimus. 16. q. 1. sed tamen confirmando non suos subditos, non fieret irregularis. Sylu. supra citatus, & Palud. Quoad tempus, in primitiua Ecclesia fiebat solenne baptisma, & chrisma in Paschate, & in Pentecoste. nunc autem id in multis Ecclesijs exoleuit; quare potest in omni tempore ministrari. Item potest ministrari non ieiunis. Sot. in 4.d.7. q. vnica ar. 12. Sylu. ver. confirm. q. vnica. Id enim non est de præcepto. Sed in can. ieiuni suadentur, vt docet Sotus supra citatus.

Quartum dubium, quid significat alapa quæ datur in confirmatione? Resp. vt assuescat ad patiendum tormenta, & iniurias. 2. in memoriā impositionis manuum, qua vtebantur Apostoli.

TRACTA-

TRACTATVS QVARTVS

De sacrosancto, admirabili, & augustissimo Sacramento Eucharistiæ.



Vcharistiæ Sacramentum quoad ordinem generationis tertium locum obtinet, & ordine perfectionis primum; quia est omnium Sacramentorum potissimum, ex D. Tho. 3. p. q. 65. ar. 3. Primo quia in eo continetur substantialiter Christus sanctificator. Secundo quia alia Sacramenta ad hoc tanquam ad finem ordinantur. Tertio quia omnia Sacramenta perficiuntur in Eucharistia, vt ait Dionys. l. 3. de cœlesti Hierarch. Agit de hac re D. Tho. in 3. p. q. 73 Et Doctores hinc inde diuersis in locis. Eucharistia verò dupliciter considerari potest, & vt Sacramentum est, & vt sacrificium; & vtraque ratione de ea tractandum est. Sed agamus primùm de differentia inter Sacramentum, & sacrificium.

De differentia inter Sacramentum, & sacrificium. Cap. I.



Rima differentia sumitur ex genere actionis; nam tam Sacramentum, quàm sacrificium sunt actiones, sed diuersæ: sacrificium enim est actio, quæ est in genere oblationis. Sacramentum in genere sumptionis. Ex quo fit, sacrificium non solum prodesse offerenti, & sumenti, sed etiam alijs: oblatio namque

potest fieri pro alijs. At Sacramentum non extenditur vltra suscipientem. Vnde fit, Eucharistiam sub nomine sacrificij prodesse Sacerdoti, & toti Ecclesiæ. Sub ratione autem Sacramenti, solum communicantibus. colligitur ex D. Tho. in 3. p. q. 79. ar. 5. & 7. Secũda differẽtia est ex fine immediato vtriusq; finis vltimus est communis, idest honor Dei, adeptio gloriæ; at finis immediatus sacrificij, est Deum colere: quia licet religio non versetur circa Deum vt obiectum quod, quia hoc est proprium virtutum theologicarum, tamen versatur circa Deũ vt obiectum cui impenduntur aliqui actus. Sacramentum habet ꝑ fine immediato cõsecrare eos, qui debent colere Deum. Ex quo fit, in veteri lege fuisse quatuor genera cæremoniarũ: Primum continebat eas, in quibus formaliter Deus honorabatur, & dicebantur sacrificia, & oblationes. Secundum instrumenta, quibus ministri vtebantur in cultu; vt vasa, templa; & dicebantur sacra. Tertium obseruantias particulares, quibus distinguebatur externa conuersatio Iudæorum à Gentilibus, vt abstinentia à quibusdam cibis; & dicebantur obseruãtiæ. Quartum eas cæremonias, quibus consecrabantur ministri Dei, & dicebantur Sacramenta. Huic differentiæ alia annectitur .s. quod licet sacrificium, & Sacramentum conueniãt in fine communi, tamen exactè consideranti apparebit, Sacramenta respicere collationem gratiæ, remissionem culpæ. At sacrificium, remissionem pœnæ, & honorariam seruitutẽ. Multis autem titulis fiebat. Primo propter maiestatem Dei; & huc referebatur holocaustum. Secundo cum offerebatur ad compensandam offensam; & dicitur hostia pro peccato. Tertio pro beneficijs acceptis; & dicebatur hostia pacifica. Quarto pro beneficijs accipiendis, & dicitur hostia pacifica ex voto. Colligitur ex D. Tho. 1. 2. q. 101. ar. 4. & q. 102. ar. 3. & 3. p q. 79. ar. 1. & 2. 2. q. 81. ar. 5. & q. 83. ar. 6. Tertia differentia sumitur ex vario modo significandi. Nam commune est Sacramento, & sacrificio esse signum interioris actus. Sed differunt, quia Sacramentum est signum, & protestatio fidei in effectum gratuitum, qui tunc confertur, vel in autorem conferentem effectum: sacrificium verò respicit fidem, spem, charitatem, vt Deo honorariam. colligitur ex D. Tho. 3. p. q. 60 ar. 2. & 2. 2. q. 85. ar. 1. & 2. Quarta differentia differũt autore; qa est de ratione Sacramenti vt instituatur à Deo, & à Deo determinentur

ea quibus constat Sacramentum. Sacrificium autem non ita; quia licet Deus imperet etiam ex lege naturæ sacrificium, non tamen determinat quid, vel quomodo offeratur. Vnde antiqui poterant sua sponte sacrificare. Colligitur ex D. Tho. 3. p. q. 60. ar. 5. & clarius 2. 2. q. 85. ar. 1. ad 5. Nunc de Eucharistia vt Sacramentum est tractabo nouem. Primo de vsu eius. Secundo de nominibus, & figuris quibus figuratur in scripturis. Tertio quid sit. Quarto an sit necessarium ad salutem. Quinto de eius materia. Sexto de forma, & de vi consecrationis. Septimo de effectu. Octauo de ministro. Nono de suscipiente.

De vsu Eucharistiæ Cap. II.



Ecclesia Catholica semper sensit in Eucharistia statim esse Christum post consecrationē antequam sumatur, & posse seruari in pyxide ad vsum, probatur ex ritibus Ecclesiæ veteris.

Prima consuetudo. Vetus Ecclesia consueuit in altari semper seruare hoc Sacramentum, intelligens ibi esse Christum. Cyrillus Alexandrinus ep. ad Calosirium Episcopum cap. 2. recitat quosdam hæreticos, quos D. Tho. in 3. p. q. 73. putat esse Nestorianos, sed fuerunt Antropomorphitæ, qui sentiebant euanescere Sacramentum si in crastinum seruaretur, ad quos confutandos, insaniūt inquit Cyrillus; neq; enim alteratur Christus, neq; Sanctum eius corpus immutatur, sed benedictionis gratia, & virtus viuida perpetuò in illo Sacramento remanet. Et Naz. in historia de sua sorore Gregoria, narrat, ægrotantem sororem noctu surrexisse, & accessisse ad altare vbi erat Sacramentum, & suo corpori illud applicuisse, & conua luisse, & in orat. de se, & Arrianis, alludens ad hoc, increpat Arrianos quòd cum sanguine mortifero miscuerunt sanguinem Christi. Et Chrysost. ep. 1. ad Innoc. 1. vbi conqueritur de concilio Episcoporum contra se coacto iubente Eudoxia, quòd immiserit milites in templum vsq; in sanctuarium vbi seruatur Sanctum Domini, ita vt sanguis Christi effusus sit in militum vestes.

R 2 Optatus

Optatus Mileuit. l. 6. contra Parm. increpat Donatistas, qui euerterint altaria in quibus seruabatur Sacrosanctum Christi Corpus. Ad hoc illud Hieronymi in ep. ad Euagr. in qua monet vnum, quod postquam Episcopi peruenerint ad templum presbyterorum, non dignabantur accipere Eucharistiam seruatam, & consecratam à presbyteris, sed volebant ipsi cõsecrare, quod reprehendit Hieronymus.

Secunda consuetudo. Quia in veteri Ecclesia postquã sacerdos consecrauerat panem, diuidebat illum in frusta, quæ apponebat ad mensam, & fiebat singulis potestas accipiendi Corpus Christi, & manducandi. Et aliquando multas horas manebat. Iustin. in apologia 2. ad Christianos, circa finem. Et Clem. l. 1. strogm. quod dicit emanasse à Christo. Et Nyssen. in orat. Catechetica magna, quæ habetur manuscripta in bibliotheca Parisiensi, & addit ibi, panis hic per verbum Dei, & orationem sanctificatur, non ideo quia comeditur, ideo euadit Corpus Christi; sed statim per verbum in corpus mutatur.

Tertia Consuetudo. Vetus Ecclesia consueuit consecrare Eucharistiam per Sacerdotem; tamen dispensare populo consueuit per Diaconos in absentia presbyterorũ; ergo iam erat Sacramentũ ante sumptionem. Iustin. in apolog. 2. pro Christianis, circa finem. Et concilium Nicen. Can. 20. qui Canon non extat, sed refertur à Ruffino Episcopo Aquilensi l. 1. hist. Eccles. cap. 6. & Ambr. l. 2. de offic. narrat Laurentium Diaconum solitum dispensare. Et Cypr. Ser. de lapsis, meminit cuiusdam Diaconi id facientis. Et Concilium Carthag. compilatum à Buccardo l. 5. can. antiquorum, vbi id mandatur.

Quarta consuetudo. Vetus Ecclesia consueuit Eucharistiã confectam à Sacerdote tradere laicis secum deferendam quocunq; irent in custodiam. Hierony. ep. ad Rusticum monachũ, vbi laudat parsimoniam exuperii Episcopi Toletani, qui propter eleemosynas vix habebat vas pretiosum in quo deferret Corpus Christi, sed deferebat illud in vimineo canistro, & sanguinem in vitro. Imo etiam per mare deferebatur, vt ait Ambr. in orat. funebri fratris satyri, de quo narrat, quòd cũ esset in tempestate, quæsiuit an esset particula Eucharistiæ, & inuento quod esset, alligauit particulam ad stolam, & se dimi-

sit

ſit in mare, & incolumis peruenit ad litus. Et in vita Gregorij quæ ſcripta fuit à Ioanne Diacono, qui v xit anno Domini 872. Et ſcripſit hanc vitam archiuij bibliothecæ Vaticanæ, narratur quòd Gregorius fuit miſſus Conſtantinopolim, & quidam monachi ad eum venientes, vexati magna tempeſtate, accepta Euchariſtia liberati ſunt.

Quinta cõſuetudo fuit, vt ſeruaretur Euchariſtia pro ægrotantibus, & deferretur à presbyteris. Habetur apud Euſebium l. 6. hiſt. cap. 44. dicitur Dionyſium Alex. feciſſe mentionem cuiuſdam Serapionis, ad quem per acolytum delata eſt Euchariſtia cum ægrotaret. Et Cypr. ſer. de lapſis, narrat, in manu cuiuſdam deferentis Euchariſtiam ad ægrotum, conuerſam fuiſſe in cinerem, eoq; ille maculatus eſſet εἰδωλοτικῶς. Et Concilium Nicom. cap. 12. iubet dari viaticum ægrotis, & addit; iuxta antiquam legis regulam. Et in Concilio Normacienſi, can. vlt. & in Synodo Turonica tempore Leonis primi. quæ citatur à Brucardo. Et Leo IX. ad Michaelem Imperatorem, narrat ſeruari ſolitam Euchariſtiam Hieroſolymis pro ęgrotis, & peregrinis.

Sexta conſuetudo fuit efficiendi diuerſa genera vaſculorum, & capſularum ad ſeruandum hoc Sacramentum; & vocatur Arca. Cypr. ſer. de lapſis; ex qua dicit emanaſſe flammam ad comburrendum quãdam mulierem auſam temerariè attrectare. Secundo vocatur Cyborion. Germanus Conſtantinopol. in l. rerum Eccleſiaſtic. & Zonara hiſtoricus græcus tomo. 3. in vita Iuſtiniani. Et Iuſtin. inter conſtitut. nouellas conſt. 115. Et in vita Symmachi Papæ, relata in pontificali Rom. Tertio vocatur pyxis. Synod. Turonica allegata à Brucardo, & Leo IX. in ep. ad Michaelem. Quinto vocatur titulus Crucis in 2. Synodo Turon. celebrata tempore Polagij Papæ primi, in 2. can. non in armario, ſed in titulo crucis componatur. Sexto vocatur columba argentea. Amphilocus in vita Baſilij, vbi narrat quodam miraculum. Et in actis primæ Synod. Cõſtan. vbi damnatur quidam hæreticus, qui ſubſtulit has columbas argenteas. Septimo vocatur Turris, vel Turricula. Gregorius Turon. l. de gloria Martyrum cap. 85. vbi dicit, turriculam à manu Diaconi nomine deferente auolaſſe, donec in altari conquieuit.

Septima conſuetudo. Veteres Chriſtiani cum laborarent penuria

penuria Sacerdotum, & non possent propter persecutiones interesse missis, solebant domi asseruare Eucharistiam consecratam, & mox manu sua communicabant. Basilius ep. ad Cæsarium Patritium, quæ habetur in exemplari græco, dicit; sine scrupulo posse martyres seruare Eucharistiam, & illam absente Diacono sumere, & probat consuetudinem veterum Eremitarum, qui curabant sibi deferendam Eucharistiam, & mox communicabant. Probat etiam, quia in tota Aegypto quilibet laicus id faciebat propter deuotionem. Huc alludit Hierony. in apolog. ad Pammachium pro libris suis contra Iouinian. vbi reprehendit coniuges, qui post rem vxoriam in templo non communicabant, sed domi. Et Tertull. in l. ad vxorem, quam hortatur vt post suam mortem, infideli non nuberet, nescit enim (ait) quid secreto ante omnem gustum, & cibum sumas, & si sciuerit, panem illum esse credet.

Octaua consuetudo apud Euseb. l. 5. cap. 26. hist. vbi ab ep. Irenæi habetur, Episcopum Romanum Episcopis externis ad Vrbem accedentibus mittere solitum obuiam Eucharistiam. Et id dicitur factum ab Aniceto Papa cum Polycarpo Episcopo, discipulo Ioannis Euangelistæ.

Nona consuetudo in Concilio Agaten. celebrato sub Celestino primo, can. 5. & 7. vbi præcipit, vt contumaces Sacerdotes peregrina communione puniantur, idest Communione pro peregrinis extra templum parata.

Decima consuetudo colligitur ex Innoc. I. in ep. ad Decentium Episcopum Eugub. cap. 4. vbi dicit, solitos veteres Christianos in Sabbato sancto, & in prosabbato idest parasceue, non conficere Eucharistiam. Glos. in Tren. cap. 2. quæ testimonio Paschasij tradit in parasceue communicasse fideles Eucharistia præsanctificata, idest consecrata die ante. Confirmatur, quia Concilium Laodic. can. 49. dicit, non oportet in quadragesima offerre panem, nisi Sabbato, & Dominica tantum. Hoc decretum approbatur in sexta synodo constat. Habita in Trullo, can. 52. & explicatur hic; quia his diebus non debet fieri noua Eucharistia, sed consumi præsanctificata alijs diebus.

Vndecima consuetudo. Veteres consueuere Eucharistiam consecratam per diuersa loca circumferre, vel ad sanctificanda ipsa loca, vel honoris causa, vel in memoriam tanti beneficij,

ficij, vel ob vrgentem, & extraordinariam necessitatē. Ambr. ser. 8. in Psal. 118. hoc Sacramentum locis ipsis quibus inducitur, remedium est. Et ex vita Tarsitij Martyris apud martyrologia Adonis, & Bedæ, de quo narrant, quòd cùm esset acolytus, & Eucharistiam deferret volentibus eum explorare gentilibus, restitit donec cęderetur vsq; ad mortem; & deinde cùm esset quæsitus, nihil inuentum est. Honorius tit. de celebr. miss. statuit magno honore ferendam, & deferendam. Et Concilium Bracar. iij. can. 5. iubet festis diebus iuxta antiquam consuetudinem circumferri arcam Domini à Leuitis, vel Episcopis. Et Abbas Bonauell. in vita Bern. narrat, quòd cùm quidam princeps Aquitaniæ nollet obedire Romanæ Ecclesiæ, Bernardus processit ei obuiam cum Eucharistia, & illum mansuefecit. Simile quid habetur in vita sanctæ Claræ Virginis, quæ per Eucharistiam euasit manus Saracenorum.

Ex his patet malè sentire Lutherum, qui putat hoc Sacramentum esse in vsu tantum, & manducatione, quare damnat ritum asseruandi Sacramenti in pyxide. Nec obstant quædam concilia, & patres, qui prohibent seruari Sacramentum. Concilium Tolet. 1. can. 14. siquis acceptam Eucharistiam non sumpserit verè, vt sacrilegus propellatur. Et Cæsaraugustanū, can. 3. Eucharistiæ gratiam siquis non sumpserit in Ecclesia, anathema sit. Clemens Rom. ep. 2. ad Iacobum, non plus panis sanctificatur quàm communicantium numero sufficiat; & quicquid supfuerit, statim à Clericis comedebatur. Isichius l. 2. in Leuit. cap. 8. siquid panis consecrati superfuerit, tradatur igni. Vnde fuit consuetudo, particulas quę remanebant post communionem, statim tradere infantibus innocentibus, vt dicit Euagrius l. 3. hist. Eccles. cap. 26. Nicephorus l. 17. cap. 25. & Gregorius Turon. l. de gloria martyr. cap. 9. Origen. l. 5. in Leuit. qui liber dicitur Cyrilli, Christus non iussit Eucharistiā seruari in crastinum. Resp. & dico 1. Concilium Tolet. 1. & Cæsaraugust. nolunt sumptam Eucharistiam è templo exportari, quia solebant apponi particulæ ad mensam, & hoc ideo, quia volebat prohibere magias, quę ex Eucharistia fiebant. Quare Concilium Later. sub Innocentio iij. iussit in tabernaculo Eucharistiam reseruari, ne ad illam possit temeraria manus extendi ad horribilia facienda. Dico 2. quòd cum Clemens, Isichius, Euagrius, Nicephorus, & Turonensis dicunt Eucha-

ristiæ reliquias debere tradi infantibus innocentibus possunt exponi. Primo iuxta sensum traditum. Secundo quia vetabant diu seruari ne computresceret. non tamen idem sequitur non debere asseruari aliquo tempore antequam computrescat; nã Clemens iubet aliquid Eucharistiæ asseruari,& reliquum consumi à Clericis. Dico 3. cum dicit Isichius reliquias Eucharistiæ esse comburendas, debet exponi non de Eucharistia in qua sunt saluæ species, sed in qua species computruerunt; hoc enim colligo ex Bruccardo, qui l. 5. allegat Concilium Aurelianense, vbi id decernitur ad verbum; quo tempore fuit penè Isichius. Dico 4. ad Origenem, non iussit, verum est; Sed nec prohibuit. non iussit,quia semper peccaremus nisi seruaremus si iussisset.

De nominibus, & figuris, quibus Eucharistia figuratur in scripturis. Cap. III.



Vius Sacramenti dignitatem sacri scriptores pluribus nominibus exprimunt à vnico enim vocabulo exprimi non potest. Dicitur Eucharistia.i. bona gratia. can. multi. 1.q.1.vel (vt alij interpretantur) gratiosum. Dicitur communio, Sacramentum charitatis, symbolum vnionis,mysterium fidei,sacrificiũ, cęna, viaticum, & similia. D. Tho.3.p.q.37.ar.4. Sot. in 4. d. 4.q. vnica,ar.4. & Cathechis. Roman. Figuratur autem Eucharistia in veteri testamento multis modis. Primo in oblatione Melchisedech. Gen. 14. qui fuit Rex Salem, dicta postea Hierusalem; cuius fusè meminit Paulus ad Hebr.7. qui obuiauit Abrahæ regresso à Cæde Regũ Chodorlaomor Regis elamitarum, Thador Regis gentium, Ambrafelli Regis Sennar, & Arioch Regis Ponti. quod ope fecit trecentorum decem, & octo seruorum, vt auferret prædam, quam in victoria acquisiuerunt contra quinq; Reges Pentapolis. Obuiam verò abijt in valle Mambrę Amorthæi, & benedixit ei, cui & decimas omnium dimisit Abraham, erat enim Sacerdos Dei, & Rex. Ipse verò Rex salem in gratiarum actionem pro obtenta ab

Abramo

Abramò victoria benedicens ei, dixit: *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cœlum, & terram; & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt, & dedit ei decimas ex omnibus, panem, & vinum obtulit*. Vnde Dauid loquens in figura de Christo in Psal. 109. dixit: *tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Huius figuræ recordatus Ambr. l. 4. de Sacram. cap. 3. dixit, Christianorum Sacramenta multò antiquiora fuisse Sacramentis hebræorum. Secundo figuratur Eucharistia in sacrificijs in quibus animalia mactabantur, & præcipuè in sacrificio expiationis, de quo Leuit. 16. in agno paschali, quem manducabant filij Israel ex Dei præcepto, Exod. 12. de quo ait Ioannes Baptista Io: 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. & Ioannes Euangelista cap. 9. Christo in Cruce pendenti applicat illud Exodi: *os non comminuetis ex eo*. Vnde Leo Papa, dixit in Ser. de hac re; vt Vmbræ cederent corpori, & cessarēt imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur. Tertio fuit illud iuge sacrificium, quo quotidie mane offerebatur agnus. quod sacrificium quod quotidie Deo immolatur mane significat. agnus verò Paschalis significat illud cruentum quod semel fuit in Cruce mactatum. Quarto figuratur Leuit. 16. vbi præcipit Deus immolari duos hircos pro peccato, vnū mactando, alterum verò dimittendo, factis priùs super eum precibus. de vno dicitur, *offeres Domino*. de altero verò dicitur, *facies caprum emissarium*: idest, statuat viuum coram Domino, vt fundat preces super eo, & emittam eum in solitudinem. Significant enim hi duo hirci, duo Corporis Christi sacrificia; alterum in cruce cruentum, alterum in altare incruentum. ambo sunt pro peccato, ambo propitiatoria; sed horum alterum in Cruce sanguine cruentum mactatur, alterum verbis consecrationis in altare oblatione offertur. Et quoniā hircus emissarius ille dicebatur, idcirco hæc hostia in altari dicitur Missa. Hinc illa Malachiæ prophetia cap. 1. *non est mihi voluntas in vobis, nec munus accipiam de manu vestra; à solis enim ortu vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*. Et illa Danielis cap. 12. prophetantis

tempore Antichristi per tres annos cum dimidio cessaturum sacrificium nostrum, ait; *cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolatione, dies mille ducenti nonaginta.* Quinto figuratur in manna, quo pauit Deus in desertis Arabiæ populum hebræum per annos quadraginta. Vnde Ioannes cap. 6. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cęlo descendens, vt siquis ex ipso manducauerit, non moriatur.* Hæc est igitur differentia inter hunc panem, & manna; quòd manna manducãtes, mortui sunt: *adhuc enim escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit,* ait Dauid. at *qui manducat hunc panẽ, viuet in æternum.* Sexto figuratur in pane illo subcinericio, quem manducauit Elias quando ab ira Iezabellis fugiebat, quo fuit ita roboratus, vt per quadraginta dies ac noctes ambularet. Septimo figuratur in illa panis crusta, quam summus Sacerdos leuabat supra caput, Exod. cap. 29. Octauo figuratur in panibus propositionis, de quibus loquens Deus cum Moyse Exod. cap. 25. dixit; *& pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Hinc illa Dauidis prophetia Ps. 71. *erit firmamentum in terra in summis montium.* Qui versus in Chaldaica translatione, ait; *erit panis super montes.* Hebraicè verò, *erit placentula panis*: & alio modo, *erit placentula tritici super capita Sacerdotum.* Videndus est D. Tho. 3 p q. 73. ar. 6. Huius autem Sacramenti institutio fuit conueniens, 1. vt sic Christus amorem suum in ecclesia ostenderet. 2. vt sapienter nos traheret ad appetitum Deitatis. 3. vt sic sui memoriam nobis perpetuò ostenderet. 4. vt per hoc Sacramentum nos in sui memoriam raperet. 5. vt haberemus ad quem in necessitatibus confugeremus. 6. propter Ecclesiæ dignitatem. D. Tho. 3. p. q. 73. ar. 5.

De

De essentia Eucharistia. Cap. IV.


Rimum dubium quid sit Sacramentũ Eucharistiæ.

Resp. Multę traduntur definitiones huius Sacramenti à Doctoribus in 3. d. 8. nunc sit hæc breuis definitio. *Eucharistia est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, in alimoniam spiritus*. *Sacramentum* ponitur pro genere .i. rei sacræ signum. reliqua quæ adduntur sunt differentia, quæ conficitur ex tribus. Primo ex obiecto, quod significatur, & continetur illis verbis *Corporis, & Sanguinis Christi*. Secundo ex materia propria *Sub speciebus panis, & vini*, nam accidentia panis significant corpus, vini verò, sanguinem; idest illic esse sanguinem Christi. Dices, cur non ponis formam? Resp. quia peculiare est huic Sacramento, non habere formam in facto esse, sed tantum in fieri. Tertia ex effectu, tanquam ex fine. *In alimoniam spiritus*. In hac definitione continentur quatuor veritates catholicæ determinatæ in Concilio Tridentino sess. 13. 1. post prolationem verborum sub illis speciebus quæ videntur, non manet substantia panis, & vini, sed transmutatæ sunt in Corpus, & Sanguinem Christi. 2. sub vtraq; specie manet totus Christus, Corpus, Anima, Sanguis, & Diuinitas. Dices, quomodo ergo sub speciebus panis dicitur esse Corpus Christi; & sub speciebus vini, sanguis? Resp. sicut si Dominus vocat Petrum seruum suum, venit Petrus, & vestes eius; sed aliter est Petrus præsens, quia .s. vocatus est; vestes autem sũt per quandam concomitantiam, quia Petrus non est sine vestibus; ita sub speciebus panis est corpus & sanguis, sed solum corpus ratione verborum; sanguis, & anima, ratione concomitantiæ. 3. veritas est, quod illa accidentia quæ priùs erant in substantia panis, & vini, modo sunt per se, & non in corpore Christi. 4. est, sic est Christus sub illis speciebus, vt quando frangitur species, manet totus sub qualibet parte. Nunc

Secundum dubiũ.quibus de causis instituta est Eucharistia? (est enim *Eucharistia* græcum nomen, quod significat gratiarum actionem, pro quo debemus semper gratias Deo agere.) Resp. propter quatuor causas fuit instituta. 1. vt sit perpetua memoria passionis Christi; quia in hoc mysterio repræsentatur passio Christi. memoria autem consistit in hoc: nam in eo quod sub specie panis repræsentatur corpus, & sub specie vini sanguinis, repræsentatur sanguis separatus à corpore, & mors Christi violenta; & propterea hoc Sacramentum fuit institutum in duplici specie. 2. causa est, vt esset sacrificium in religione Christiana. Iudæi offerebant animalia. Christianus autem hoc Sacramentum. 3. vt esset pignus, & signum quodam summi amoris Christi erga nos. Christus ergo discessurus ad patrem, reliquit nobis maximum pignus amoris .s. seipsum. Hinc patet error Lutheri, qui vult esse Sacramentum solum in vsu, cùm tamen sit pignus; & conseruetur vsq; ad finem seculi. 4. Est, vt esset cibus spiritualis animæ. Sicut enim corpus eget cibo vt sustentetur, ita etiam dedit Deus cibum spiritualem animæ, vt daret illi robur, & lętitiam.

Tertium dubium hæc definitio Eucharistiæ, cui competit propriè ex multis rebus quæ in Eucharistia concurrunt? Explico. In Eucharistia sunt quatuor. 1. consecratio. 2. materia consecrata. 3. corpus, & sanguis. 4. sumptio ipsa. Inter Theologos vnum conuenit, .s. hanc definitionem competere propriè, & per se materię consecratæ, contra Lutherum. Differunt verò, An præter materiam consecratam aliquid aliorum trium sit Sacramentum? Videlicet consecratio, vel Corpus Christi, vel sumptio? Prima opinio est Gabr. in 4.d.8.q.1.ar. 2. & 3. vbi dicit, ipsam consecrationem seorsum sumptam, sumptionem etiam seorsum sumptam esse Sacramentum. neq; tamen (ait) sunt tria Sacramenta, sed ista tria dicuntur vnũ, tum aggregatione, vt aceruus lapidum, tum ordine ad vnam spiritualem nutritionem: sicuti septem ordines singuli sunt Sacramenta seorsum, tamen quia ordinantur ad vnum, vocantur vnum Sacramentum. Probat, quia definitio Sacramenti competit consecrationi, & sumptioni, ergo vtrumque seorsum, Sacramentum est. Probatur, quia sunt signa sensibilia practica, religiosa. & præterea sunt causæ gratiæ; nam sumptio causat gratiam accidentariam in suscipiente. Consecratio est

causa

causa gratiæ substantialis .i. Christi. nam (vt ait Scotus in 4. d.8,q.1.) in definitione sacramenti cum ponitur gratia, etiã significatur gratia substãtialis .s. Christus. Secunda opinio est Riccardi, Mediauill. in 4. d.8.art.q.1.Bonau.ibid.ar.4.q.1. Dur.ibid.q.1.Scot. ibid. D.Tho.3.p.q.73.ar.1,Magistr.in 4.d. 8.& Hugon.de sancto Victor.l.2. de Sacr.p. 8.cap.7.qui dicunt esse aliquid Sacramento, non autem Sacramentum. nam Corpus Christi est res, & Sacramentum; res, quia significatur Sacramento visibili. Sacramentum, quia est signum corporis mystici. Consecratio verò secundum ipsos, est solum via ad Sacramentnm. Sumptio verò est Sacramenti applicatio ad suscipiendũ. Tertia opinio est intermedia. 1. opinio est quorundam sententium cum Gabr. in consecratione in sumptione. Est Mars. l.4. q.1.ar.1.& q.6.ar. 2. & tribuitur Caietano. Sed (quod pluris est) est D. Thomæ in 4. d. 4. q. 1. ar. 1.q. 1. Fundamentum ponitur à D. Tho. & consistit in quatuor notãdis. Primum: Sacramentum dupliciter dicitur. 1. per se, & simpliciter. Est autem illud quod est subiectum sanctitatis. 2. modo est aliquid sanctum secundàriò, & secundum quid; quod licèt non sit subiectum sanctitatis, tamen habet aliquem ordinem ad causandam sanctitatem in subiecto. Secundum notandum, ea quæ faciunt sanctum simpliciter, sunt simpliciter Sacramentum; quæ verò non simpliciter, sunt Sacramentalia; quia sicut sanctum dicitur à sanctitatem habendo; ita Sacramentum dicitur à sanctitatem causando; ergo si facit sanctum primo modo simpliciter, erit simpliciter Sacramentum. Si secundo modo, erit Sacramentum secundum quid. Tertium notandum: in alijs Sacramentis est primò materiæ consecratio antequam ad illũ illa materia applicetur: quomodo aqua benedicitur, & chrisma; & huiusmodi benedictiones quia nõ faciunt sanctum primo modo, ideo non sunt Sacramenta, sed Sacramentalia. 2. est vsus materiæ prolata forma sanctificãte materiam; & quia hic vsus materiæ facit sanctum primo modo, idest quia ponit gratiam in subiecto, ideo hic vsus materię est verum Sacramentum. Quartum notandum. in Sacramento Eucharistiæ consecratio est Sacramentum propiè, quia ponit sanctum simpliciter .s. Christum, qui est principium sanctitatis. Sumptio verò, solum applicat Sacramentum subiecto, & ideo non est Sacramentum. Secunda opinio est media

Aureoli

Aureoli apud Capreolum in 4.d.8 q.2. ar. 2. qui putat sumptionem esse Sacramentum, sed non consecrationem. probat, quia sumptio verè est causa gratiæ in suscipiente, ergo verè est Sacramentum. Hæ sunt opiniones. Sit igitur prima conclusio. Sacramentum Eucharistiæ non est propriè Corpus Christi. Est contra Thomam Vualdensem tomo 2. cap. 21. vbi inclinat in hanc opinionem. Probatur conclusio, quia Sacramentum est signum sensibile; at corpus Christi non est signum sensibile. Secundo quia Concilium Trid. sess. 13. cap. 1. dicit in Sacramento Eucharistiæ continetur Christus, ergo Christus non est Sacramentum. quo loquendi modo vtuntur multi patres. Thomas Vuald. affert pro se multa testimonia Ambrosij, & Augustini, qui videntur dicere Corpus Christi esse Sacramentum. Sed resp. quòd cùm ijdem, & alij doceant Sacramentum esse signum sensibile, ne videantur sibi contradicere, sunt exponẽdi in bonum sensum. Primo Corpus Christi vt est in Eucharistia, dicitur Sacramentum; quia est Sacramentum tum sui ipsius in Cruce pendentis(est enim memoriale suæ passionis;)tum est signum corporis mystici: neq; inconuenit vt idem sit veritas, & figura sui ipsius, vt benè decernit Innocentius iij. c. cum arte. tit. de celebr. miss. patet, quia Resurrectio Christi fuit vera, & tamen fuit figura nostræ resurrectionis. Sic etiam manna seruari iussum in tabernaculo, fuit verum manna; & tamen fuit figura mannæ, quo fuit pastus populus in deserto. 2. potest dici Sacramentum; quia quamuis Corpus Christi non sit Sacramentum, tamen est pars essẽtialis Sacramenti Eucharistiæ, vt infra dicemus. 3. potest dici Sacramentum, ad differentiam eiusdem coporis in Cœlo, vbi est sub propria specie, & forma, & reuelata facie. Secũda conclusio. Sacramentũ Eucharistiæ nec est cõsecratio, nec sumptio, sed materia consecrata tantum. Probatur 1. de ratione Sacramenti Euangelici est, esse signum, & causam gratiæ iustificantis; ita Concilium Flor. in bulla Armenorum, & Trid. sess. 7. cap. 6. 7. & 8. sed esse signum, & causam gratiæ, tantum competit materiæ, non consecrationi, neq; sumptioni, ergo &c. Probatur prior pars minoris; materiæ competit esse signum, quia licèt materia consecrata primò significet Christum, tamen per Christum significat etiam gratiam iustificantem; quia Christus nos nutrit per gratiam. Confirmatur, quia

quia gratia iustificans facit vnitatem membrorum in corpore mystico; at ista copulatio significatur per commassationē multorum granorum frumenti, & acinorum Vuæ. Est causa, quia ide baptismus dicitur causa gratiæ, quia continet in se Christum causam gratiæ. Dices. antequam sumatur non est causa gratiæ, ergo antequam sumatur non est Sacramentum. Resp. quòd non est de ratione Sacramenti esse causam gratię actu; sed quod in se est; habere vim causandi gratiam. patet, quia baptismus collatus ab hæreticis, & acceptus à fictis, verè est causa gratiæ, quamuis non conferat actu. Probatur posterior pars minoris; non competit consecrationi, quia hæc non est causa gratiæ, sed est causa causæ gratiæ. Sumptio verò non est causa gratiæ, quia causa gratiæ est, quod secundum sui rationem habet propriam causalitatem, & virtutem; at sumptio non habet propriam virtutem gratiam causandi, sed virtutem causatiuam gratiæ applicat suscipienti. Secundum argumentum debet esse proportio inter signum, & primò signatum: inter Sacramentum, & primò rem Sacramenti; sed primò signatum, & primò res Sacramenti, est aliquid permanens, & absolutum, videlicet Corpus Christi; ergo huic debet responderé tanquam Sacramentum aliquid permanens, & absolutum, cuiusmodi non sunt consecratio, & sumptio, quæ consistunt in fieri. Tertium argumentum. In sacramento non solum debet agere forma, sed etiam materia, vtriq; enim infunditur à Spiritu sancto virtus; sed in consecratione materia nihil operatur, sed sola forma; ergo consecratio non est sacramentum. Probatur minor: nam materia quę est panis vt subest consecrationi, quidnam operatur? non gratiam iustificantem; quia nondum Christus est. non Christum; quia materia non ponit Christum, sed forma tantum; materia autem solum se habet passiuè. Dices. Concilium Trid. & Flor. dicunt in omni sacramento formam esse verbum, sed hoc verbum est in consecratione; erga ipsa consecratio est verbum; & per consequens est sacramentum. Resp. quòd forma in hoc sacramento nō est pars sacramenti sicut & operis artificialis, nam sola materia de statua in recto prędicatur, licèt figurata per talem formam; quę forma in alijs sacramentis informat vsum materiæ, in hoc autem, materię consecrationem. Hæc solutio est Soti, sed non est ad rem. Primo quia considerat sacramentū

vt

vt eas, sub qua ratione forma non est pars, sed materia, quia forma connotatur, & in recto significatur per materiam, & vt consideratur vt sacramentum, forma est pars sacramenti, & quidem partialis. 2. esto forma non sit pars sacramenti vt sacramenti, at non negabit ipse, opus artificiale tamdiù esse artificiale, quamdiù perseuerat forma. Idem de sacramentis; tolle formam siue sit pars, siue non, non erit sacramentum. 2. solutio est Scoti, quam malè impugnat Sotus, quòd duplex est forma in omni sacramento; vna totalis, & principalis, & hęc est significatio; quia sacramentum est signum. altera partialis, & hoc est verbum quod informat materiam partialem; sed verbum & elementum simul coniuncta faciũt materiam totalem, cui forma est significatio. Dicit ergo Scotus, formam esse necessariam sacramento, si loquamur de forma totali; verbum autem non potest permanere, quia verbum est forma in sui prolatione; sacramentum verò est permanens. Vnde ad argumentum, cùm dicitur omne sacramentum constat ex forma, & materia, si forma intelligatur totalis .s. significatio, debet permanere in facto esse. si verò de forma partiali, dico quod est necesse verbum formaliter adesse in fieri, nam in facto esse sufficit vt sit virtualiter in suo effectu. Et quòd sit necesse, probatur. 1. quia communis opinio est, in Sacramento pœnitentię posse materiam præcedere per mensem, & postea subsequi formam; vt differre absolutionem etiam per annum. 2. quia forma adhibetur ad determinandum clariùs significationem materiæ; sed sicut dum fit consecratio, qui audit illud, *hoc est corpus meum*, manifestè intelligit ibi latere Corpus Christi; ita post factam consecrationem, qui audit sub illa materia fuisse Christum prolatum, etiam intelligit ibi esse Christum; quia Christus est de genere permanentium. 3. hoc determinatio clarioris significationis quæ fit per formam, est determinatio per modum substantialis conuersionis; at, vt terminus conuersionis perseueret, non est necesse perseuerare id per quod facta est conuersio. Et ex hoc 2. dubio sequitur.

Quartum dubium. An hoc Eucharistiæ Sacramentum, sit vnum Sacramentum, vel plura? Et quomodo? Resp. esse vnum Sacramentum; vt patet ex cap. non opor. de consecr. d. 2. & ex Concilio Trid. & Flor. nam alioquin essent plura quàm

septem

septem Sacramenta. Vnitas autem huius Sacramenti non sumitur ab vnitate effectus qui est Christus, vt volunt Aureolus, & Gabriel, quorum opinio laudanda est, sed non sequẽda; quia quamuis contentum fit idem sub vtraq; specie. tamẽ hoc non sufficit ad Sacramenti vnitatem; quia totus Christus non est sub vtraq; specie ex vi Sacramenti, sed ex vi significationis verborum, quæ in vtraq; specie non est vna. Confirmatur; quia si in triduo passionis fuisset hoc Sacramentum cõfectum, & tamen fuisset corpus sine sanguine; ergo non Sacramentum vt sic ponit totum Christum. Est igitur vnum Sacramentum ratione proprij finis, & proximi, vt docet D. Thomas; quia .s. est vna perfecta refectio spiritualis, quæ constat ex cibo, & potu; pane, & vino. Dices, species panis est Sacramentum, & species vini est Sacramentum; ergo sunt duo. Resp. non esse perfectum Sacramentum nisi in vtraq; specie. Dices, in qualibet specie est totus Christus, ergo in vtraq; erit tota ratio Sacramenti. Resp. non esse totum effectum in qualibet specie ex vi significationis, sed tantum concomitanter. Sotus in 4. d.8.q. vnica.

An hoc Eucharistia Sacramentum sit de necessitate salutis. Cap. V.



DICO primo Eucharistiã esse necessariam ad salutem necessitate præcepti diuini, vt patet Ioan.6. *nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Sed quo tempore obliget, dicemus infra cap. 10.dub.1. Est etiam necessaria ex pręcepto humano, & positiuo, ex cap. omnis vtriusq; sexus. de pœnit. & remiss. & Concilio Trid. sess.21. can.9.d.73. Victor. q.53. in fine. Dico secundo. non est de necessitate salutis sicut baptismus; nam sine baptismo in re vel in voto, nemo potest saluari. Sed sine Eucharistia potest, & de facto multi saluantur, vt paruuli, qui baptizati moriuntur. Hinc dico tertio. quòd Eucharistia nec in re, nec in voto est necessaria necessitate medij, vel finis; quia Eucharistia ex suo genere est nutritio; at nutritio suppo-

nit vitam, ergo gratiam, ergo finem .f. gloriam. Hinc sequitur. Primo quòd licet Eucharistia ordinetur per se ad faciẽdum vnumquemq; esse de corpore mystico Ecclesiæ, tamen ad hoc ordinatur secundum perfectionem, non secundum necessitatem. Sequitur secundo quòd quia Eucharistia non est de necessitate medij, etiam si sit possibile me in reipsa communicare, non tenear tunc cõmunicare, possum enim differre quantum volo. de iure verò Ecclesiastico possum differre vsq; ad annum. Contra in baptismo, data copia baptismi, non debet differri. Dico quarto. Necessitate diuini præcepti, in voto est necessaria adultis explicitè, paruulis implicitè. Explicatur; sicut paruuli baptizãtur ex ordinatione, & intentione Ecclesiæ, ita ex eadem intentione Ecclesiæ paruuli dicuntur velle Eucharistiam in baptismo ipso. probatur primo ex communi opinione D. Thomæ, & aliorum. & huic consensui theologorum accedunt patres; August. l. 1. contra duas Epistolas Pelag. cap. 22. & l. 2. cap. 4. & tract. 26. in Ioan. & Innoc. 1. ep. ad Concilium Mileuit. quam allegat August. l. 2. contra epist. Pelag. cap. 4. Secundo quia Dominus sicut Ioan. cap. 3. vniuersaliter dicit, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non intrabit in regnum cælorum* (quod nos etiam applicamus paruulis, quia indigent baptismo,) ita quia dicit vniuersaliter, *nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in nobis*, debemus dicere, id etiam competere paruulis, qui communicare possunt. quare si negatur communio in re, debent saltem in voto. Sed dices primo. si votum implicitum Eucharistiæ potest sufficere præcepto; ergo votum implicitum baptismi satisfaceret præcepto baptismi. Resp. quòd est dispar ratio; quia baptismus est principium vitæ spiritualis, non supponit aliud Sacramentum in quo suscipiendo possit includi votum implicitum baptismi; quare nisi resumatur, non potest in paruulis includere votum: sed Eucharistia supponit baptismum, in quo potest ipsa includi. Confirmatur; quia esse in intentione, magis propriè, & naturaliter competit fini, quàm principio; sed baptismus se habet vt principium, Eucharistia vt finis; ergo &c. Secundo dices. Ad quodcunque tenentur paruuli implicitè, ad id obligantur adulti explicitè; sed adulti dum baptizantur non tenentur elicere explicitum votum Eucharistiæ, ergo nec paruuli implicitum. Resp. primo

siquis

siquis negaret minorem, non posset refelli. Secundò & melius; quia Eucharistia non est de genere necessariorũ simpliciter; non cogimus adultos ad explicitum votũ Eucharistiæ in baptismo, sed benè cogimus ad votum implicitum per suum actũ; paruulos per alienum. Dices tertio. Ad quodcunq; paruuli obligantur in baptismo, de eodem respondent pro ipsis susceptores; vt, *renuncias Satanæ? renuncio*. sed patrini non respondent pro paruulis de voto Eucharistię: ergo &c. Resp. non est opus patrinos de omnibus respõdere, cùm præsertim baptismus includat votum Eucharistiæ pro tempore suscipiendæ. Quarto dices. Sequeretur paruulos sumere gratiam propriam Eucharistiæ. Resp. quòd gratia Eucharistiæ non datur nisi vel ex opere operato, vel ex operante per votum proprium; cùm præsertim hic effectus non sit necessarius ad salutem. neq; ideo hoc votum implicitum inutile est; quia saltem satisfacit præcepto Christi. Dices quinto. Sequeretur solum baptismum non sufficere ad salutem. Sed Trid. sess. 21. cap. 4. decernit paruulos seruari per solum baptismum sine Eucharistia. Resp. sine Eucharistia in re; nam vetus Ecclesia reipsa communicabat paruulos. Dices sexto. Si votum Eucharistiæ esset necessarium, maximè ad satisfaciendum illi præcepto domini; at sunt multa alia præcepta in Euangelio sub eodem tenore; vt, *nisi pœnitentiam egeritis &c.* & tamen ad hæc non requiritur votum implicitum, quia tunc obligant, cum sunt possibilia. & Eucharistia non est possibilis paruulis. Resp. quòd potest dici etiam in baptismo includi votũ implicitum aliorum præceptorum: quia baptismus est obligatio ad seruandam legem.

De materia Eucharistiæ. Cap. VI.



Rimum dubium. Vtrum materia huius Sacramenti sit panis, & vinum? Resp. & dico. Primo esse de fide quòd panis, & vinum sũt materia huius Sacramẽti, vt patet ex scriptura; & est definitũ ab Ecclesia de consecr. d. 2. per multos canones. Et c. firmiter. de summa Trinit. & fide cathol. cap. cum Mar-

thr. de celebr. miss. item ex Concilio Trid. sess. 13. cap. 1. & 4. & est communis sententia. D. Tho. 3. p. q. 73. ar. 1. Sot. in 4. d. 9. q. 1. ar. 1. Secundo dico. quòd si vnum sine altero consecretur, validè consecratur; contra hæresim confutatam ab Innoc. iij. l. 4. de celebr. miss. can. 3. Et est communis. & patet primo, Christus cosecrauit, & porrexit panem ante calicem. Secundo ex consuetudine ecclesiæ quæ adorat primùm corpus Christi antequam consecretur sanguis. Tertio ex forma quæ est disiuncta, nec vna pendet ab alia: postremò ex communi consensu doctorum, exceptis paucis, quos refert, & refellit Innocentius loco citato, & Gabr. in can. lect. 53. Sot. in 4. d. 1. q. vnica ar. 1. Tertio dico esse præceptum diuinum de consecranda vtraque specie, quia ita Christus instituit; vt patet ex scriptura. & obligat ad peccatum mortale sacrilegij. Gelasius de cõsecr. d. 2. can. comperimus. Probatur primo, quia Christus sub vtra q; specie consecrauit. Secundo, quia alioqui hoc Sacramen tum, & sacrificium, esset imperfectum; quia est memoriale passionis Christi, vbi fuit diuisus sanguis à corpore. Tertio quia hoc Sacramentũ est symbolum perfectæ nutritionis spiritualis. Sed hinc est

Secundum dubium. An consecratio vtriusq; speciei ita sit necessaria de iure diuino, vt nec Ecclesia possit dispensare in ea regione vbi nulla est copia vini? Prima opinio est Caiet. in 3. p. q. 8. ar. 12 ad tertiũ; quẽ sequitur Sot. quòd est de iure diuino vt Sacerdos ambas species consecret. & addit Sotus non posse in hoc dispensare pontificem. Caietanus supponit primò, esse de iure diuino perfectionem huius Sacramenti tam in consecratione, quàm in vsu. Supponit secundo rerum perfectiones non debere attendi secundũ ea quæ sunt per accidens. Probat primo, quia alioqui sequeretur nunquam aliquam rem posse fieri perfectam, nam quæ sunt per accidens, cùm sint infinita, non possunt simul omnia in re reperiri. Secundo quia ea quæ sunt per accidens, relinquuntur ab arte, scientia, & lege. Ex his infert hoc argumentum: omnis, & solus Sacerdos concurrit per se ad huius Sacramenti perfectionem, & in consecratione, & in vsu; ergo si de iure diuino est perfectio huius Sacramenti, tenetur Sacerdos ad vtranq; speciem consecrandam, & sumendam. Probatur antecedens; & quoad consecrationem, clarum est. quoad sumptionem, probatur; nã

si po-

si populus etiam concurreret, sequeretur quòd si populus nō communicaret in missa, sacrificium esset imperfectum; sed hoc est falsum, ergo solus Sacerdos concurrit. at D. Tho. 3. p. q. 74. ar. 1. & q. 80. ar. 12. negat debere consecrari panem sine vino, etiam cum deest vinum. nec dicit aliud. tamen subinnuit, hoc esse vetitum iure diuino. de dispensatione nihil dicit. Secunda opinio est Gabr. l. 50. super canonem missæ. Et Claudij de sanctis repert. 10. de Euch. cap. 3. qui etiam allegat Albertum Magnum tract. de miss. d. 11. & Raphaelem Voluteranum l. 7. in additione ad chronica Eusebij, anno 1490. & Onufrius in chronicis, qui referunt Innocentium iiij. dispensasse cum Nouergijs carentibus vino, vt in specie panis tantum consecrarent. allegat Adrian. & Halensem quòd consecratio sub vtraq; specie fit de iure Ecclesiastico. Idem tenet Angelus verb. Eucharistia 1. q. 20. Armilla autem de hoc dubitat. Ego verò in hac re

Dico primo: probabilius est dispensari posse à summo Pontifice vt sub vna specie consecretur, quando tota vna regio careat vino. Probatur; quia tota perfectio substantialis istius Sacramenti continetur sub vna specie; quare cùm totus Christus in vna specie contineatur, non est tanto bono priuandus populus ob defectum materiæ. Ex parte igitur contenti, patet; nam totus Christus sub qualibet specie continetur. Secundo patet ex parte repræsentatę passionis Christi; totus enim Christus suo modo repræsentatur (licèt non perfectè) in vna specie, sicut in duabus. nam cùm in passione facta fuerit separatio corporis à sanguine, qui videt vnam speciem. s. panis, videt separatum corpus à sanguine. Tertio; ex parte effectus; quia vel sub vtraq; specie datur vna eademque gratia, vel si datur plus gratiæ sub vtraq; specie, in hoc conueniunt omnes, vtranq; esse eiusdem rationis, & non differre, nisi secundum magis, & minus. Quarto ex parte significatæ nutritionis; quia panis significat Corpus Christi per se primò. Et quia hoc corpus significatur vt viuum in quo semper est sanguis; consequenter etiam sanguis significatur. quòd autem distinctis signis nunc significentur corpus, & sanguis, accidentarium est; alioqui sequeretur id quod sumitur à Sacerdote, & populo, differre substantiali perfectione. Quinto ex parte Sacerdotis; quia licèt (vt benè dicit Caiet.) solus Sacerdos

cerdos

cerdos per se concurrat ad huius Sacramenti perfectionem, & tamen dicimus, perfectionem sub vtraque specie esse accidẽtariam; cùm præsertim sit maius malum totam aliquam regionem carere hoc sacrificio, quàm hoc Sacramentum carere accidentaria perfectione. Nec obstat quòd sit præceptum diuinum; nam Pontifex potest eius obligationem interpretari, sicut de voto. Ideo dico secundo: est probabilius cum D. Tho. ad vtranq; speciem consecrandam, & sumendam obligari Sacerdotem iure diuino. Probatur; quia siquid obstaret, esset: quia ius diuinum non est per hominem dispensabile; & tamen nos concedimus Pontificem posse dispensare. At non obstat quòd 2.2.q.80.ar.10.& 12.sit duplex dispensatio; vna propria, quæ relaxat præceptum, etiam cum validum est; quomodo qui dispensat debet esse superior lege in qua dispensat. alia est impropria, & æquiuocè, cum declarat Ecclesia hic, & nunc, deesse materiam debitam præcepto, & cõsequenter cessare præceptum; & sic Ecclesia dispensat in voto; quia quamuis obseruatio votorum sit de iure diuino, tamen Ecclesia non abrogat votum cum habet materiam debitam, sed cum deest. Videlicet, quia esset vel inutile, vel cessaret maius bonum; & tunc votum corruit, quamuis hæc interpretatio sit eorum, qui habent vicem legislatorum. Sic etiam circa consecrandam vtranq; speciem non potest Ecclesia dispensare primo modo, sed secundo. Videlicet si quando inuenit Ecclesia hoc præceptum habere materiam impeditiuam magnorum bonorum, potest interpretari non esse materiam præcepti.

Tertium dubium. An requiratur determinata quantitas panis, & vini ad materiam huius Sacramenti? Resp. negatiuè. Sufficit enim vt sit substantia panis, & vini, & sit præsens quæ possit consecrari. siue autem illa quantitas maxima sit, siue minima, nihil refert; D.Tho.3.p.q.74.ar.2. & in 1.sent.d.11. q.2.ar.1.q.3. Dur.d.21.q.6. Gabr.q.2.ar.3.bub.1. & in canone missæ.lect.35. Palud.q. 1. ar. 5. Sot.d.9.q.1.ar.2. Petr.Soc. lect.2.de Euch. Vict. q. 57. Probatur; quia in tali quantitate seruatur debita materia; ergo nihil deest quò minus posset cõsecrari. Secundo probatur ex vsu fidelium qui sunt communicaturi; hic enim cùm sit indeterminatus, si necesse esset mõs panis, hic posset consecrari. Probatur; quia perfectio huius Sacramenti non pendet ab vsu actuali ipsius, sed debet sumi

à fine;

à fine; finis autem huius Sacramenti habentis materiam, est vsus fidelium absolutè; non horum, & horum; nam alioqui sequeretur, quòd quando adsunt duo fideles, non possent consecrari nisi duę particulæ. numerus verò fidelium absolutè est indeterminatus: ergo potest esse materia indeterminata in ordine ad sumptionem, & vsum Ecclesiæ. Obijcies; si mons panis posset simul consecrari, ergo & magnum dolium vini, at hoc repugnat formę, quæ dicit: *Hic est calix sanguinis mei &c.* Resp. quòd potest etiam dolium consecrari. quādo verò forma dicit, *hic est calix &c.* nomine calicis intelligit omne receptaculum vini. Secundo illud vocabulum *calix* non est de ratione formæ. Certum est autem, quòd grauissimè peccaret qui præter Ecclesię vsum consecraret magnam, vel panis, vel vini quantitatem, vel (è contra) minimam particulam, quæ cum reuerentia sumi non posset; quia consecratio fieri debet in ordine ad sumptionem, & vsum Ecclesiæ, vt dictum est.

Quartum dubium. An minus minimo naturali sit consecrabile. i. An pars minima indiuisibilis sit consecrabilis. Resp. Maior in 4. d. 10. q. 1. negat. qui dicit, quòd posita hostia, ego possem dicere, volo consecrare omnes partes proportionales pares, non tamen impares. qui est magnus error; quoniam nescirem quid esset consecratum nisi determinarentur. Idcirco dicendum est: quòd hoc minus minimo dupliciter potest considerari; vel enim est coniunctum cum reliqua hostia, & sic potest consecrari; quia tunc habet suum esse. Vel potest separari ita vt ibi non existat substantia panis, & sic non potest consecrari. Ex quo sequitur, quòd minima pars consecrabilis est illa, sub qua conseruatur minimum panis, ita vt si diuideretur, per solam diuisionem desineret esse panis. Idem est dicendum de Vino.

Quintum dubium. An materia consecranda debeat esse pręsens. Resp. Maior. in 4. d. 11. q. 2. ar. 2. dicit, non esse necessarium materiam esse præsentem, sed posse terminari consecrātis intentione; quia aliàs cæci non possent consecrare: cæcis enim perinde est materia præsens, ac absens. Secundo, quia potest consecrari quod non videtur; vt vinum in calice operto. & multæ particulæ consecrantur, quæ non omnes videntur; ergo quod non est præsens potest consecrari. Tertio; quia si præsentia esset necessaria, deberet definiri certum spatium distantiæ,

distantiæ, & at quis definiri? Sed oppositum dicit D. Tho. in 4.d.11.q 2.ar.1.q.3.ad 1.Dur.d.11.q.6.Palud. ibid. q.1.ar. 3. concl.3. Gabr. q.2.dub.2.ar.3. Sot.d. 9.q. 1.ar.2. Victor. 58. & est communis, quòd requiratur præsentia materiæ. Probatur ex vsu Ecclesiæ. Secundo ex intentione certa consecrantis, quæ non potest esse sine præsentia materiæ, vt volitio in illam dirigatur. Tertio patet exemplo Christi, qui in consecratione habuit materiam præsentem. Quarto patet ex ly *hic* & *hoc* hic est calix, hoc est corpus meum.quæ particulæ licèt in dialecticis (vt ait Maior) & in speculatiuis propositionibus abstrahant à materia sensibili,vt hic est homo,hoc est animal &c. in practicis autem propositionibus, & effectiuis, non abstrahunt, sed requirunt materiam præsentem. & quia forma consecrationis est practica, non est recurrendum ad propositiones dialecticas. Quinto quia sequeretur me posse consecrare totum panem qui est in mundo, & totum vinum. Ad exemplum cœci. Resp. cœcum posse sentire materiam præsentem partim per se tactu, gustu, odoratu; partim per ministrum; quamuis hoc secundum putet Sotus non carere peccato; quia exponit se periculo. Obijcies; si sufficit audire ex ministro, ergo si minister mihi referat hinc ad decem milliaria esse materiam, ego possem consecrare. Resp. requiri talem præsentiam, vt saltem per se possit aliquo sensu sentiri. Ad secundũ resp. etiam si non videatur materia secundum omnes partes, tamen more humano tota est præsens illa materia. Ad tertiũ resp. D. Tho. quòd cum Eucharistia consecretur in vsum hominum, debet tanta esse præsentia, vt more humano possit de materia verificari ly *hoc*, & *hic.hoc est corpus &c. hic est sanguis &c.* illa enim præsentia requiritur, quæ moraliter ex vsu hominum præsentia nuncupatur. ille namq; panis dicendus est præsens,quem communiter Sacerdotes vocant præsentem. Ledesm.1.v.q.15.ar.2. Sot.in 4.d.9. q.1.ar.2. Victor.q.52. ex quo infertur non posse consecrari hostiam, quę fit à tergo, vel post parietem, vel post maximam tabulam, vel in aere; quia moraliter non est præsens. Dices, quanta distantia materiæ requiratur. Resp. esse aliquod spatium de quo certum est non sufficere. vt si v. g. absit centum passibus; esse aliquod spatium de quo sit certum sufficere, vt duo, vel tres passus. Sex,vel decem passus fortè non sufficerent; nec ego communicarem Eucharistia

chariſtia ſic conſecrata. quare dico eum Soto ſupracitato, hoc ſpatium eſſe humana prudentia iudicandum.

Sextum dubium. Quæ intentio requiratur conſecrantis præſentem materiam. Reſp. ſi intentio Sacerdotis non fertur in totum præſens, ſed in aliquam partem in confuſo, nihil conſecrat; quia tunc ignoratur quid eſſet conſecratum. Si intendit in confuſo conſecrare omnes præſentes, non eſt neceſſe ſcire numerum; nam ſi omnes intendit, vitatur ambiguitas. Item ſi Sacerdos ignorans numerum hoſtiarum, habeat intentionem conſecrandi decem hoſtias; ſi facta conſecratione inuentæ fuerint vndecim, nulla erit conſecrata. Sylu. ver. Euchariſtia 2.q.6. Angel. Euchar.1.q.62. Armill. eod. §.17. ſi autem intendit conſecrare omnes quamuis in numero illarum erret, omnes erunt conſecratæ: vt ſi debeat conſecrare centū, & putat eſſe quinquaginta, omnes conſecrat; quia ſufficit intentio virtualis, vt aiunt doctores citati, & Scot. in 4. d. 12. Nau. cap. 21. nu. 91. Panorm. cap. Sacerdos de offic. ordin. quòd ſi aliqua hoſtia eſſet in altari relicta, vel gutta vini in pede calicis, non eſſent conſecratæ, quia illas Sacerdos non intendit conſecrare.

Septimum dubium. An vna pars hoſtiæ poſſit conſecrari ſine alia. Reſp. cum Riccar. in 4. d. 10. ar. 7. q. 2 & Ledeſm. 1. 4. q. 15. ar. 2. dub. vlt. quòd ſiquis habeat in manibus panem, & aduertat ad vnam partem, vel medietatem de qua habeat notitiam, & illam conſecrat, erit illa conſecrata. Secus ſi indeterminatè velit vnam, vel alteram conſecrare; quia tunc nulla eſſet conſecrata, vt docet Sylu. ver. Euch. 2. d. 5. & Sot. in 4. d. 9. q. 1. ar. 2. Simpliciter dicendum eſt non valere conſecrationem ſi Sacerdos intenderet conſecrare omnes partes proportionales hoſtiæ impares intercalando pares, vt docet Sot. ibid. contra Maiorem d. 11. q. 2. Dicamus nunc de qualitate materiæ panis, & vini Euchariſtię. & primo de pane. ſic ergo

Octauum dubium. An panis debeat eſſe triticeus. Agunt de hac materia Alber. in 4. d. 12. ar. 7. Alenſ. 4. p. q. 10. membr. 4. ar. 1. §. 4. Bonau. in 4. d. 11. ar. 1. q. 4. Riccar. ar. 2. q. 2. Scot. q. 6. Dur. q. 4. Palud. q. 1. ar. 4. Gabr. lect. 25. in canone miſſ. dub. 1. nunc reſp. primo certum eſſe inter omnes, quòd conſecratio facta in pane triticeo, valida eſt. probatur ex cap. in ſacro

de consecr.d.2. D.Tho.in 3.p.q.74.ar.3.Sot.in 4.d.9.q.vnica. ar.3. & est communis. Secundo certum est, non confici an fiat ex hordeo, vel millio, vel ex aliis frumentis quæ magis distant à tritico quàm millium, & hordeum. Hinc infertur non posse fieri hoc Sacramentum ex leguminibus, vt ex faba, cicere, lente &c. quia hæc differunt à frumento, secundum Plinium l. 18. naturalis histor. cap. 7. qui diuidit omnes fruges in frumenta, & legumina. Et Isidor. l. 17. etymol. cap. 3. & 8. qui dicit frumentum esse quicqu id aristas emittit. Et Varr. l. 1. de re rust. cap. 48. dicit, frumentum esse quicquid emittit culmum. Similiter sequitur à fortiori non posse confici ex fructibus, vt amygdalis, nucibus &c. quia non esset panis. Sot. supra. Dubium igitur esset de filigine, de spelta, de farre, de amido, seu amylo, & similibus. igitur sit

Nonum dubium. An ex siligne possit confici panis, qui sit materia apta huius Sacramenti. Albertus, & Alës. respondent negatiuè. D. Tho. & Thomistæ respondent affirmatiuè. Ego verò distinguo: duas esse siliginis species; vna quæ proprio nomine vocatur siligo, quæ est triticum conditum, vt ait Isidor. l. 3. etym. cap. 3. & l. 8. cap. 8. altera est quæ græce dicitur τριφη, in quam degenerat triticum teste Columella l. 2. & sequitur D. Tho. 3. p. q. 74 ar. 3. ad 2. & tandem ipsa transit in triticum, vt ait Plinius supra. Hac posita distinctione, Dico primo: si sumatur siligo primo modo, certũ est ex ea posse confici panem aptum vt sit materia Eucharistiæ; quia verè est triticum; de hac nemo dubitat. Secundo dico, si sumatur pro τριφα, esset dubium: aliqui enim dicũt posse, vt D.Tho. 3. p. q. 74. citatus. quia cum in terris malis nascatur siligo pro tritico, signum est non differre specie. Idem Sylu. verb. Eucharistia 1. q. 1. & 2. Palud. Alber. Sot. d. 9. q. vnica ar. 3. Victor. q. 55. Alij negant, vt Riccard. d. 11. ar. 2. q. 2. Angel. verb. Eucharistia 1. q. 2. Rosell. eod. q. 1. Ledes. 1. 4. q. 15. ar. 3. dubitat, & inclinat in partem negatiuam. cùm ergo res sit dubia, non licet consecrare in pane ex filigine. si tamen aliquis tot, & tantos Doctores sequutus, in necessitate consecraret in loco vbi non esset alius panis, non peccaret; quia cùm generetur ex tritico, censenda est species tritici. idem dico de germano, quæ est etiam ipsa species tritici.

Decimum dubium. An ex spelta possit confici panis, qui sit mate-

materia Eucharistiæ,de hac re sunt sexcentæ opiniones. D. Tho. negat, quia differt specie à tritico. Reliqui omnes vno ore, dicunt esse materiam idoneam, præter Scotum, de quo infra; differunt in ratione reddenda. Alens. ait, ideo esse materiam aptam, quia fortè non differt à tritico; sicut (inquit) & Candith. Dur. & Riccard. dicunt speltam quandam esse eiusdem speciei, aliam verò diuersam; primam probant, secundam non; quia (inquit Dur.) in agro Lorodicensi spelta nascitur ex tritico, ergo sunt eiusdem speciei. Improbant hanc rationem Riccard. & Palud. in 4.d.11.q.1.ar.4.quia id (aiunt) potest nasci ex malignitate terræ; imo frequenter ex tritico hordeum, & lolium nascitur; sicuti ex semine humano nascuntur monstra. Vnde Palud. sup. Caiet.art.cit.& Thomas de Argẽtina in.4.d.11.ar.1. dicunt speltam esse probandam,non quia nascitur ex tritico;sed quia multæ Ecclesiæ consecrant in spelta. Albert.in 4.d.2.ar.7.dicit,materiam Eucharistiæ esse omne frumentum, licèt differant specie. Sed dicit species frumenti tantum esse duas, .s. triticum, & speltam. Ego verò dicerem hanc quæstionem pendere ex philosophia;si enim spelta est species tritici, vera est sententia dicentium speltam esse materiam legitimam, vt tenent Albert. Thomas de Argentina, Palud. Dur. Caiet. Sot. in 4.d.9.q. vnica ar.3. Sed quando res est dubia, est tenenda sententia D. Tho.3. p.q.74.ar.3. ad 2. & in 4.d.11.q.2.ar.2.q.1.ad.2. Riccar.supra.Angel.ver. Euchar.§.2. Sylu.eod.q.2.§.3.Scot.in 4.d.11.Victor.q.55.præsertim quia Exichius vult speltam esse mediã inter triticum, & hordeum. Idem Mattheolus l.2. cap.2.qui vult esse idem, quod vulgo dicitur *biada*. quare in huiusmodi pane non est consecrandum.

Vndecimum dubium. An ex farre confici possit materia Eucharistiæ. Resp.D.Tho.Sylu.& alij negant, quia differt specie à tritico; quare esset temerarium in huiusmodi pane consecrare. eadem ratione excluditur & millium; vt notat Sot. sup. Dur. Palud. & Sot. affirmant, quia est species tritici .i. ex tritico generatur sicut & τρίφα. Primo Sotus simpliciter dicit siliginem, speltam, & far, esse eiusdem speciei cum tritico, quare esse aptam materiam. Solus Scotus fuit scrupulosus in hac materia; quia solum vult materiam esse triticeam; reliquas omnes improbat.

Duodecimũ dubium. An ex amido, seu amylo possit confici panis aptus ad materiã Eucharistiæ. Resp. Scotus ait amylum nunquam esse aptum, quia est diuersæ speciei à tritico Alber. & D. Tho. dicunt esse ineptum, quia est lac expressum ex tritico macerato; nisi hoc amylum redactum in formam panis ita possit comedi, vt ex sapore, & ex accidentibus alijs possit colligi adhuc manere substantiam panis. possunt fortè reconciliari per regulã Alberti, & Bonau. quia non immediatè cognoscimus substantiam, sed per accidentia; quòd si hæc probabiliùs ostendunt esse corruptam in amylo substantiam panis, est ineptum; sin minùs, est aptum. si verò dubium est, videlicet quia accidentia ostendunt esse in via ad corruptionem, tunc de rigore est vnum Sacramentum; tamen qui ita consecrat, peccat. omnes enim sentiunt vinum rediens ad acetum, esse materiam aptam Sacramento: ergo similiter in pane. Quare Palud. in 4. d. 11. q. 1. ar. 4. concl. 5. putat ex amylo posse confici Sacramentum. idem tenet Nau. & Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. Caiet. 3. p. q. 74. ar, 3. in fine. Ego dico, omnes conuenire in amylo liquido non posse confici Sacramentum, sicut neq; in spelte, & similibus. Sed quæstio est de amidi pane cum durescit amidum ita vt moliatur, & ex illa farina fit panis. Et de hoc dico quòd quamuis vtraque prædicta sententia sit probabilis, tamen puto esse grauissimum peccatum in huiusmodi pane consecrare, quia res est dubia, & contra vsum Ecclesiæ. Hinc infertur cõmunis regula, materiam debitam, & necessariam Eucharistiæ, esse id solum, quod communiter inter homines & panis dici solet, & in vsum commestionis venit; quod patet ex institutione Christi. narrat enim Euangelium, Christum Dominum ex pane confecisse Sacramentum, & dixisse; *hoc facite in meam commemorationem*. Sed panis simpliciter prolatus sumitur pro pane vsuali. quomodo in baptismo aqua simpliciter prolata sumitur pro elementari, quæ est in vsum ablutionis.

Decimumtertium dubium. An panis confectus ex tritico, sed permistus cum alio frumento, sit apta materia Eucharistiæ? Resp. si multa grana tritici etiam diuersarum specierum misceantur, quæ tamen in ratione tritici conueniant, non mutant rationem panis, vt docet Ledesma par. 4. q. 31. ar. 4. & sic est idonea materia. si autem vel maior, vel par admistio fiat

extra-

extraneorum frumentorum à tritico, vt hordei, farri, &c. tūc cùm sit magna admistio, non est apta materia; quòd si parua esset mistio, nihil referret, nunquam enim inuenitur panis triticeus ita purus quia alia grana alterius frumenti misceantur; non enim farina triticea inuenitur omnino pura, nisi diligenter grana. Ita D. Tho. 3. p. q. 74. ar. 3. ad 3. Riccad. in 4. d. 2. q. 2. ar. 2. Palud. ibid. e. 1. ar. 4. concl. 3. Anton. §. 1. tit. 13. cap. 6. Ledesm. p. 4. q. 15. ar. 1. dub. 1. Sot. in 4. d. 9. q. 1. ar. 3. ad 3. quare potius actiuitas spectanda est, quàm admistionis quātitas; nam fieri potest, vt in parua quantitate frumenti, extraneum corrumpat legitimum, & sic non erit apta materia. quòd tamen de vera mistione intelligi debet, non de iuxta positione quarundam partium legitimi, quarundam extranei, tunc enim priores partes tantum consecrarentur.

Decimumquartum dubium. An in massa, seu pasta cruda fieri possit consecratio? Resp. palud. in 4. d. 4. & 11. q. 1. ar. 4. tenet posse. Sed communis sententia negat. Scot. in 4. d. 11. q. 6. Caiet. 3. p. q. 74. ar. 3. Angel. q. 1. de Euchar. ar. 3. Victor. q. 55. Sot. d. 9. q. 41. ar. 3. Tab. Euch. 1. q. 11. probatur, quia pasta cruda non est verè panis nisi coquatur. Imo pasta cruda differt specie à cocta; vt ait Caiet. & Sot. & videtur D. Tho. in 2. d. 7. q. 3. ar. 1. ad 3. quod probabilius est, licet oppositū teneat Scot. & alij. hinc infertur multò minus posse consecrari in massa, vel aceruo triticeo ex granis frumenti; quia non est panis, neq; in lagana, neq; in pastillis, neq; in pulte elixo; licèt ex farina tritici fiant; quia non sunt propriè panis, quia elixantur, vel friguntur. Imo aliquando cum pane comeduntur. ita Caiet. & Sotus, supra citati.

Decimumquintum dubium. An si panis pinsetur ex aqua rosacea, vel alia quàm elementari, possit esse materia Eucharistiæ? Resp. D. Tho. 3. p. q. 34. ar. 7. ad 3. Riccar. in 4. d. 11. q. 7. ar. 2. Sot. ar. 6. Palud. ibid. q. 1. ar. 6. cōcl. 4. Tab. ver. Euch. 1. §. 13. Sylu. eod. q. 2. §. 1. & alij, tenent non posse consecrari in pane, qui non sit factus cum aqua naturali. Alens. veri. 4. p. q. 332. m. 5. ar. 1. ad vlt. Caiet. 3. p. q. 74. ar. 7. Alens. l. 4. tit. 9. ar. 2. contra sentiunt. & dicunt posse consecrari, nam aqua rosacea est quidem pars materiæ, sed transiens; quia decoctione exhalatur, nec variat speciem, quod neque negat Sotus. Dicerem tamen quòd qui hoc faceret, peccaret mortaliter; quia esset

contra

contra vsum Ecclesiæ. quod etiam concedit Alensis.

Decimumsextum dubium. An hoc Sacramentum sit in azymis, an in fermentato conficiendum? Resp. certum est, quod, si fermentum apponatur farinæ puræ, non variat Sacramenti validitatem. Certum est etiam, quòd consecrare in fermentato, non vacat ratione; nam significat mistionem verbi, & carnis; sic etiam consecrare in azymis rationabile est, vt significet Corpus Christi esse conceptum sine fermento feminis; tum ad significandum synceritatem communicantis Ecclesiæ 1.cor.5. Græci tamen contendunt Christũ in fermentato consecrasse. Et si secus fiat, irritum esse Sacramentum. sic ait Nicephor.l.10.hist. cap.34. Ansel.epist.4. Innoc.l.4. de myster. miss.cap.2. pro quo. Nota 1. Deus.exod.12. Instituit solẽnitatẽ Paschę, & voluit celebrari primo mense anni, quo egressus est Israel ex Aegypto; & fuit dies quartus ad vesperam, tum iubebat agnum immolari, & manducari cum pane azymo.& hic ritus azymorum durabat septem diebus, & decimaquinta die volebat esse festum Paschæ idem Leuit.23. Num.28.& 2.paral. 30. & 35. & Ezech.45. Nota 2. hic primus mensis incidebat in æquinoctium vernum sole ingrediente Arietem, vt habetur Exód. 34. mense enim verni temporis de Aegypto egressus est Israel. & Deut. 16. *obserua mensem verni temporis &c.* explicat Ioseph.l.3.cap.10. vbi dicit diem decimumquartum vocari decimamquartam Lunæ; & decimumquintum, decimãquintam lunæ. Nota 3. hoc nouilunium quod inchoabat primũ mensem, nunc erat ante æquinoctium, nunc post; nam ille erat primus mensis, cuius luna decimaquarta cadebat in diem æquinoctij, vel in sequentes. nam si luna 14. era pridie æquinoctij, huius lunæ nouilunium non inchoabat primum mensẽ, sed nouilunium proximè sequens; at si luna 14. erat in æquinoctio, vel post; ferebat ad vesperum panes azymos, & 15. ferebat Pascha. Christiani verò ne cum Iudæis conuenirent, statuerunt pascha non esse celebrandum in 15.lunæ,sed in proxima dominica. Euseb.l.7. cap.15. Nicephor.l.6.cap.18.l.11. cap.14.l.12.cad.31.Clem. Rom.l.5.cap.18. Epiphan. contra hæres cap.10.& 70.Ambr.ep.78. Aug.ep.119.cap.8.Beb.de ration.temp.cap.28.& de pasch. celebr. & alij. His positis, Dubitatur, quota luna Christus celebrauit phase. Prima opinio est Græcorum, asserentium Christum Dominum celebrasse

phase

phase 13. lunæ, & anticipasse tempus; quia præuidebat 14. lunæ esse crucifigendum antequam perueniret ad celebrandum phase. Hanc 13. lunæ, aiunt incidisse in feriam 5. & 14. in feria 6. & 15. in Sabbatum. Hinc inferunt vnum, quòd 13. lunæ nõdum erat cæptus vsus azymorum, sed comedebatur panis fermentatus, quare consequens esse, vt Christus consecrasset in fermentato; consecrauit enim panem appositum sibi, qui erat fermentatus. Vnde inferunt, etiam consecrandum esse nobis in fermentato, exemplo Christi. Secunda opinio est Latinorum, Christum vltimam cœnam celebrasse eadem nocte, qua fuit captus à Iudæis. nam prima die azymorum Christus iubet sibi parari pascha, & vespere discubuit cum discipulis suis, & post cœnam ait: *omnes scandalum patiemini hac nocte*. & Petro; *in nocte hac ter me negabis*, Math. 26. Mar. 14. Luc. 22. Secundo, quia post cœnam hymno dicto exierunt in montem oliuarum, & venerunt in Gethsemani vbi orat, & capitur. Io. 18. 1. cor. 11. *Ego accepi a Domino; quod & tradidi vobis, quod ea nocte qua Iesus tradebatur, accepit panem, benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, dicens; accipite, & manducate, hoc est enim corpus meum, similiter & calicem &c.* 4. Io. 13. post cœnam dedit buccellam Iudæ, & exiuit continuò, (erat autem nox) & mox continuat sermonem longum Iesus, & statim exit transtorrentem Cedron. Quare sit

Prima conc. Nox in qua Christus cœnauit, & captus est, fuit vespera feriæ 5. & dies crucifixionis fuit feria 6. probatur: noctem cœnæ consequutus est dies crucifixionis; sed diem crucifixionis consequutus est dies Sabbati, ergo crucifixio fuit feria 6. & cœna feria 5. maior probatur ex Matth. 26. ex cœna itur ad hortum in quo capitur, & eadem nocte ducitur ad Caipham, & Annam. & initio capitis 27. dicit, mane autem facto &c. ergo immediatè. Idem habetur Marc. 14. & 15. Luc. 22. & 23. Io. 17. & 19. minor probatur, quia Matth. 27. Christus moritur, & cum sero factum est, *vespere Sabbati quod lucescit in prima Sabbati pararunt aromata*. 2. Marc. 15. hora 9. emissa voce, expirat Christus. & mox erat parasceue, quod est ante Sabbatum 3. Luc. 23. & dies erat parasceues, & Sabbatum illucescebat. Et loquitur de sepultura. 4. Io. 19. *quoniam parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato*. Quinto, dicunt Sancti Patres quòd Christus fuit passus eodem die,

quo

quo peccauit Adam, ita Orig. tract. 35. in Matth. Theophyl. Bed. Ansel. in Matth. 26. Cyrill. Cathe. 14. Haym. homil. in Dominic. Palm. Sed Adam fuit creatus, & peccauit feria 6. vt habetur Gen. 3. ergo &c.

Secunda conc. contra Græcos. Anno quo Christus mortuus est, luna 13. non incidit in feriam 5. ad cuius vesperam (vt diximus) cænauit Christus, & captus est. nec 14. incidit in feria 6. nec 15. incidit in Sabbatum. Sed luna 13. quæ secundū legem est prima dies azymorum, incidit in feriam 5. & luna 14. incidit in feriam 6. in qua fuit festum Paschæ, vt Ecclesia semper credidit. prob. 1. ex Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Dominus cænauit prima die azymorum, & hæc erat 14. luna. Exod. 12. Secundo, quia hæc oppositio repugnat eclypsi Solis factæ moriente Domino. nam teste Dionysio in ep. ad Polycarpum hæc eclypsis facta est in maxima oppositione Solis, & Lunæ. & oppositio maxima, fit luna 15. ergo feria 6. fuit luna 15. & feria 5. fuit luna 14. & non 13. 3. ex Io. 13. qui vesperam qua cænatum est, vocat *ante diem festum paschæ*. at Exod. 28. & Leuit. 23. distinguitur immolatio paschę, & festum paschæ; quod 5. luna 14. ad Vesperam erat dies primus azy morum, & tunc agnus immolabatur. deinde sequenti die celebratur festum. hinc sic; vesperam cœnæ Ioannes non dicit fuisse ante primum diem azymorum, nec antequam agnus immolaretur, sed ante diem festum paschæ, sed dies festus celebratur luna 15. ergo cæna facta est luna 14. 4. ex Matth. 26. *Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur:* vbi notandum est quòd prime dicit *scitis* quia fiet) ergo loquitur de pascha communi, & publico Iudæorum; fiet enim absolutè, non à me, sed communiter. Præterea dicit *scitis* tanquam rem ordinariam; alioquin si dixisset de suo, debuisset dicere, *scito quòd a me fiet &c.* notandum est etiam dicit *tradetur*; quæ traditio fuit facta eadem nocte qua cænatum est. vt alibi: *ecce appropinquat hora, & filius hominis tradetur.* & mox: *surgite, ecce appropinquat qui me tradet.* hinc sic; Christus cænauit qua nocte traditus est, sed dicit quòd pascha legale erat futurum quando erat tradendus, sed pascha legale erat luna. 14. ad vesperam, ergo traditio, & cæna incidit in luna 14. Quinto, Christus inter cænandum intinxit panem, & Iudæ porrexit, & dixit illi, *quod facis, fac cito*; & alij

puta-

putauerunt quod diceret illi, eme quæ opus sunt nobis ad diē festum, & mox post buccellam exiuit continuò, *erat autem mox;* hinc infero, ergo dies sequens immediatè post cœnam erat festum. probatur, quia si pascha fuisset in Sabbato, ia mediabat dies vnus inter cęnam, & pascha, non opus fuisset exire noctù ad paranda necessaria paschæ; ergo signum est, quòd sequens dies immediatè erat pascha. 6. ex Io: 18. cùm Iudęi peterent crucifigi Christum, dicit Pilatus, *accipite, & crucifigite.* responderunt; *nobis non licet interficere quemquā.* cur? quia secundum opinionem cōmunem, cùm esset festum paschæ, non poterant eo die crucifigere, sed petebant vt facerent gentiles. ita August. tract. 14. in Ioann. Bed. in Io: 18. Haymō hom. fer. 6. maioris hebd. & Chrysost. hom. 82. in Io: & hom. 86. in Matth. Cyrill. l. 12. in Io: cap. 2. & 6. & alij.

Tertia igitur conc. hæc est. Certum est, quòd tam panis azymus, quàm fermentatus est vera materia huius Sacramenti, vt decreuit Conc. Florent. in literis vnionis Græcorum; ratio est, quia vterq; est verus panis ex D. Tho. 3. p. q. 74. Alens. 4. p. q. 32. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. Sot. in 4. d. 9. q. 1. ar. 4. Ledes. 1. 4. q. 15. ar. 4. Catechism. Rom. & Scholastici in 4. d. 11. Græci tamen non peccant, neq; vnquam peccauerunt conficientes in fermentato, contra Scot. Gabr. & Palud. & probatur ex Concil. Florent. vbi habetur vnumquemq; debere conficere iuxta Ecclesiæ suæ consuetudinem. Idem docet D. Tho. 3. p. q. 74. ex D. Greg. cum Sot. in 4. d. supra cit. Caiet. 3. p. q 74. ar. 4. hinc infertur, peccare Græcum qui conficeret in Ecclesia sua in azymo. Latinus verò consecrando in Ecclesia latina in fermentato, peccaret mortaliter; tum quia tenet Christum in azymo consecrasse: qui hoc Sacramentum in primo die azymorum instituit, qua die nihil fermentatum licebat Iudæis, domi habere, Exod. 12. tum ex Concilio Florent. cit. ex cap. has. de celebr. miss. Dices, quid si necessitas vrgeret? Resp. Maior. d. 9. q. 3. non esse peccatum. tamen probabilius est non licere, & in eo casu præstaret omittere communionem, quàm facere contra consuetudinem vniuersalem Ecclesiæ.

Quarta conc. Licet græcis apud latinos in fermentato consecrare, & Latino apud Græcos in azymo, secluso scandalo, Contra Armill. verb. Euch. §. 5. probatur ex Leone 1x. in ep. ad Michaelem Constantinopolitanum cap. 19. Licet etiam Græco

apud Latinos in azymo consecrare. Et latino apud græcos in fermento si nullum sit scandalum; quia licet sequi rationabilem consuetudinem Ecclesiæ in qua residet. Imo Armilla loco cit. vult peccare eum qui aliter facit. Nec obstat quòd Concil. Flor. D. Tho. & alij cit. dicant vnumquemque debere seruare ritum Ecclesię suæ; intelligitur enim, dum in sua residet: non enim negat quòd si resideat in aliena, non possit iuxta probatum illius ritum celebrare. Sit igitur

3 Decimumseptimum dubium. Quale vinum (an vitis) sit aptum calici? Resp. ex D. Tho. 3. p. q 74. ar. 5. quòd solum vinum vitis potabile sit materia huius Sacramẽti à Christo Domino instituta Matth. 26. *non bibã amodo de hoc genimine vitis*. & est de fide, ex Concil. Flor. & Trid. & cap. firmiter de summa Trinit. & fide cath. & can. 1. d. 2. & can. huic in sacrificando. eod. & est communis doctorum sententia, & vsus Ecclesiæ. Nomine autem vini, etiam mustum intelligite, can. cùm omne crimen. de consecr. d. 2. Innoc. L. 4. de myster. miss. cap. 30. Sot. in 4. d 9. ar. 5. quicquid dicat glos. in cap. sicut in sacrificãdo. de consecr. d. 2. est enim mustum verum vinum etiam ante concoctionem. Sed quoniam nondum adhuc est perfectum, & cùm multas habeat particulas crassas vuæ, ideo esset peccatum consecrare mustum sine necessitate, & rationabili causa. Hinc infertur primò, agrestam non esse materiam huius Sacramenti, neq; vuam maturam nondum expressam in torculari, quia non sunt vinum: & si sunt, non sunt potabile vinum, sed potius manducantur. Dices, can. didicimus. de consecr. d. 2. refertur consuetudo consecrandi vuas in altari, & reprehendit si fiat indebitè, quòd si debitè (inquit) fiat, placet nobis. Resp. non esse consecrationem eucharisticam, sed benedictionem à Sacerdote factam in gratiarum actionem. Infertur secundo, neq; mel, aut lac, aut ceruisiam, vinum pomorũ, palmę, vel granatorum, & similia, esse materiam aptam; quia non sunt vinum. multo minus aqua est apta materia huius Sacramenti; idcirco reiecti sunt hæretici dicti hydropanastæ .i. aquarij, qui consecrabant in aqua sine vino: in cap. omne crimẽ. de consecr. d. 2. 4. synod. Constant. in Trull. can. 32. & horũ fuit autor Hebion. contra quem Epiphan. heref. 30. tribuitur etiam Marcioni ab Epiph. hæres. 42. confutatur à Cypril. 2. ep. 3. & fusius à Chrysost. hom. 83. in Matth. ratio est; quia Domi-

nus

mus dixit, *nõ bibam amodo de hoc genimine vitis*. non de aqua. Armeni contra, offerebant sine aqua, vt refertur eadem 6. Synodo, decepti ex illis Chrysostomi verbis; *Christus post resurrectionem non aquam, sed vinum bibit.* Sed Ecclesia tenet vino miscendum esse parum aquę, vt in sequenti dubio dicemus. 3. infertur neq; in aceto posse fieri consecrationem; quia non est vinum, neq; enim vinj effectum, neq; proprietatem habet, D. Tho. 3. P. q. 74. ar. 5. & 4. d. 2. q. 2r. 4. Riccar. 4. d. 11. ar. 2. q. 5. Gabr. q. 2. ar. 2. Bonau. d. 11. q. 4. ar. 1. Sot. d. 7. ar. 5. Et licèt Glos. in cap. sicut in sacrificando, de consecr. d. 2. Alens. 4. p. q. 31. m. 4. Innoc. iij. l. 4. de offic. miss. cap. 3. 30. videantur significare in aceto posse confici. Vos tamen exponite cum Soto, intelligi non de aceto perfecto, & vino corrupto, sed de vino acido. Quarto infertur, consecrare in vino congelato putat Sot. esse temerarium, & non sine peccato. Ego dicerem cum multis recentioribus, duplicem esse congelationem; alteram leuem, cuius signum est, si adhibito igne, vel admotum vinum ori, statim liquefit, & redit in saporem pristinum; & hoc modo consecrabile est, quia est potabile. Alteram congelationẽ dicimus esse magnam, quando scilicet non facilè soluitur, & si soluitur, serò soluitur, nec recipit pristinum saporem; & sic non potest consecrari; nam signum est corruptæ substantię. quòd si facta consecratione vinum gelatur, non ideo desineret esse Sanguis Christi quamuis non sit potabile. Quid si sit dubium? in dubio venerandum est, mistione non soluente speciẽ. in Concil. Antisiod. quod fuit tempore Isidori can. 8. dicitur esse grande peccatum consecrare mulsum. i. vinum mellitum. Dices, an possit consecrari aqua vinata, seu aqua superfusa super acetum vuarum postquam ex his expressum est vinum? Resp. non posse; quia non est vinum, sed habet vini acumen. ita Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 1. Angel. Euch. 1. §. 13. Armill. §. 9. intellige cum aqua addita mutaret speciem vini; vt notat Armill. & Angel. tunc enim non valeret consecratio. quòd si species vini, ac virtus maneret, fieret consecratio; tamen esset abstinendum propter periculum: nisi cum aliud non potest haberi. Armill. ibid. & est cap. cùm omne. de consecr. d. 2. & cap. perniciosus. de celebr. miss. Quòd si tantum aquæ apponatur vt soluatur species vini, non potest perfici Sacramentum; D. Tho. 3. p. q. 74. ar. 3. & alij. Si enim adderetur parum, vel tantis

vt non soluatur species vini, tenet consecratio. Idem dicas de quacunq; alia admistione liquoris cuiuscunq; cum vino, vel aquæ rosaceæ, vel alterius artificialis. Peccaret siquis admisceret; sed si species vini remaneat, conficitur Sacramentum: Anton. sup. & Angel. deniq; sit regula: si mistio est parua, manente specie vini, est Sacramentum. si est magna, non tenet. in dubijs consecrare, peccatum est.

Decimumoctauum dubium. An permistio aquæ cum vino in calice sit de necessitate huius Sacramenti? Resp. confutatis duabus hæresibus dictis in dubio præcedenti hydropanistarũ, & Armenorum, sentit Ecclesia miscendum esse parum aquæ in vino. Patet primo, quia est traditio ducta à Christo, vt docet Cypr. l. 2. consecrauit enim Christus calicem dilutum; Concil. Carthag. iij. cap. 24. cui interfuit August. Concil. Bracar. iij. can. 1. Florent. in bull. vnion. Armen. & Trid. sess. 22. can. 7. & 9. Concil. Aphric. cap. 1. can. 4. sub Honorio iiii. & in 6. Synod. in Antisiod. can. 8. in Triburiens. can. 9. anno Domini 891. Secundo ex patribus, qui dicunt in mysterijs vinum esse diluendum aqua; Iust. in apolog. 2. pro Christianis. Irenæ l. 4. cap. 57. & l. 5. initio. Ambr. l. de Sacra. cap. 1. & de Eccl. dogm. cap. 75. Damasc. l. 4. cap. 14 Emyss. hom. 5. de pasch: Bed. in Matth. 26. Teophyl. in Io: 19. Clem. Rom. l. 8. Const cap. 17. Hierony. in Mar. 14. Tertio ex patrum liturgijs in d. Iacobi Apost. & recitatur 6. Synod. Constant. 2. Basilij magni, & allegatur ab eadem, vbi dicit esse traditionem Apostolicam. 3. liturgia est Ambr. & Chrysost. 4. ex Canonib. can. in Sacramẽtum, de consecr. d. 2. Alex. v. à Petro can. sicut. Cyprian. Papæ. can. scriptura. eiusdem can. non potest. Martini can. cum omne. Iulij, qui fuit tempore Athanasij. & de celebr. miss. can. cum arte. Innoc. iij. cap. perniciosus. Honorij iij. cap. per literas. eiusdem. Quinto rationibus; quia propriè loquendo calix, vel poculum quod bibitur significat vinum cum aqua. Secundo, quia Christus more Iudęorum cum cænabat miscebat aquã. Tertio, quia est signum temperantię. Quarto (& est ratio myca;) quia cùm hoc sacrificium sit memoriale sacrificij cruenti, debet imitari sanguinem, & aquam. Quinto. quia Apocal. 17. *aqua multi, populi multi*. mistio aquæ cum vino est symbolum vnionis populi cum Christo. Denique probatur ex figuris, & prophetis; sufficit vna, prou. 9. *sapientia ædificauit sibi domum*

i. Eccle-

.i. Ecclesiam; *excidit columbas septem*.i. septem Sacramenta, & *miscuit vinum*; ergo non est vinum purum. Dices primo. An hæc aqua sicut est de necessitate præcepti, sic etiam sit de necessitate Sacramenti? Resp. negatiuè. patet ex cap. Sacramenta. de consecr. d. 2. & ex Trid. sess. 22. cap. 7. & can. 9. & probatur; quia ponitur ad significandum aquam fluentem ex latere: at ex vulnere per se fluit sanguis, aqua per accidens in quandam significationem, vt diximus supra, tract. 2. cap. 2. dub. 1. Innoc. iiij. de offic. miss. obijcies: Christus instituit Sacramentum in calice diluto, ergo aqua est de essentia materiæ Sacramenti. Resp. non fuisse mentem Christi ponere aquam de necessitate Sacramenti, quod colligitur ex illo *; non bibam ex hoc genimine vitis*. obijcies 2. nã sunt multi canones, qui aiũt Sacramentum non posse esse perfectum sine aqua. Resp. loquũtur de perfectione congruentiæ, non necessitatis; siquis enim omitteret, peccaret. Vnde inferas vnum, quòd siquis loco aquæ elementaris infunderet rosaceam, valet Sacramentum; quia non est de essentia. Deniq; quòd sit de essentia præcepti, & non Sacramenti, videndi sunt D. Tho. 3. p. q. 74. ar. 3. & Victor. q. 60. Dices secundo; quanta debeat esse quantitas aquæ miscendæ. Resp. prima opinio est D. Tho. & communis, debere esse modicissimam, non autem rorem; dummodo possit conuerti in vinum antequam consecretur; nam alioqui manebit aquę substantia; nam D. Tho. credit non posse conuerti aquam immediatè in sanguinem; quare ordo prædicatorum habet in more vt initio missæ misceat. probatur autoritate Innocentij iij. cap. cum marthæ. de celebr. miss. vbi recitat tres opiniones. Prima est, quòd aqua admista vino perseuerat adhuc facta consecratione. quam confutat, quia repugnat Ambros. l. de ijs, qui myst. cap. 9. vbi ait, post consecrationem nihil manere nisi Corpus, & Sanguinem Christi; quia esset occasio idololatriæ materialiter in populo. Secũda opinio est, quòd sicut vinum transit in sanguinem, ita aqua admista vino trãsit in aquam quæ fluxit ex latere Christi. Confutat: quia sequeretur quòd sicut vinum consecramus seorsum à pane, ita possemus consecrare aquam sine vino. Tertio est, quòd aqua transit in vinum immediatè, & mox in vino & cum vino transit in sanguinem. & hanc putat D. Tho. esse probabiliorem Innocentio. Quarta opinio est recentiorum, qui dicunt mate-

riam calicis constare ex vna parte essentiali, & ex duplici integrali.i.aqua & vino, ita vt vtraq; pars integralis immediatè conuertatur in sanguinē,eo modo quo dicunt Theologi materiam chrismatis constare ex oleo essentialiter, & balsamo integraliter. in hac re dico: Secundam opinionem esse veriorem. Probatur ex Innoc. allegato, qui recitat tres opiniones. Prima sentit aquam & vinum transire immediatè in sanguinem, quia vtraq; elementa fluxerunt ex latere Christi. recitata hac opinione, Innocentius nihil dicit de illa, & statim aggreditur secundam quæ est hæc, aqua vertitur in vinum, & mox vinum in sanguinem. de hac Innoc. fert hanc censuram, dicens; *hæc incredibilis est, quia physici dicunt, facta mistione aquæ, & vini, posse aquam separari*. Tertia est, quòd aqua nec transeat in vinum;nec in sanguinem;sed maneat aqua circumfusa accidentibus vini, & probat; quia non est impossibile aquam perseuerare cum sanguine Christi, cùm in eius corpore crucifixo fuerit aqua, & sanguis. Positis his sententijs, ait Innocentius: inter has,prima est probabilior vt expressiùs eluceat Sacramenti natura; cùm aqua sit typus Ecclesię, quæ Christo coniugitur. Debet ergo conuerti aqua in sanguinem. Probat secundo, quòd tam paruo tempore quod fuit inter mistionem, & consecrationem, non potest aqua corrumpi; præcipuè cùm in Concilio Tribur. decernatur esse ponendam tertiam partem aquæ. Tertio, quia Christus sumpsit calicem dilutum, & de toto dixit, *hic est sanguis meus*; quę verba sunt conuersiua totius inuenti in calice. Confirmatur, quia Innocentius in cap. perniciosus.de celebr. miss. recitat quandam consuetudinem cuiusdam Ecclesiæ, in qua plus apponebatur de aqua, quam abolendam iudicat; quia sequenda est rationabilis consuetudo Ecclesiæ vt sit plus vini, quàm aquæ. ex quo colligo primo, satis esse si sit plus vini. Secundo, nec dicit quòd si quando apponebatur plus aquæ non fiebat Sacramentum; & tamen Paschasius l.de Corp. & Sangu. Domini, cap. 9. disertis verbis sentit aquam, & vinum transire immediatè in sanguinem. Obijcies, Concilium Florent.in bulla, decernit debere aquam modicissimam misceri, ita etiam & Trid. sess. 22.cap.19.Sot.in 5.d.9 q.1.ar.6.ergo fauet D. Tho. Resp. negando consequentiam. nam Concilium loquebatur ad cautelam, non ad necessitatem. Secundo obijcies, patres dicunt

sub

sub speciebus panis esse Corpus Christi, & sub speciebus vini esse sanguinem; non autem dicunt sub speciebus aquæ: ergo &c. Resp. primo retorqueo argumentum; quia fatentur Thomistæ in pane recenti adhuc superesse multum humoris aquei, & tamen si tunc panis consecretur, conuertitur substantia panis, & ille humor in Corpus Christi; & tamen non dicunt patres manere Corpus Christi sub speciebus panis, & humoris aquei. Secundo resp. directè, quia aqua non est conuertibilis in sanguinem Christi seorsum per se, sed vt admista vino, & ita mista, vt alterata aqua, vel refractis formis aquæ, consequenter totum quod est in calice, vinum esse dicitur. Dices, quid si in vino iam apposita fuit aqua in vase, vel in dolio, an debeat iterũ apponi in missa? Resp. affirmatiuè ex D. Tho. 3. p. q. 74. ar. 8. ad 3. Sot. in 4. d. 9. q. 1. ar 6. Riccard. d. 11. ar. 3. q. 6. Palud. q. 1. ar. 6. concl. 5. Ledes. 1. 4. q. 15. ar. 7. Angel. ver. Euch. 1. §. 1. Sylu. eod. q. 3. probatur; quia significatio quam Ecclesia intendit in eo ritu, id requirit; vt videlicet significetur vnio populi Christiani ad Christum, vt habetur in Concilio Flor. Dices, quæ quantitas vini sit consecranda? Resp. vt supra dubio 3. in ordine .s. ad sumptionem metiendam esse quantitatem. melius est tamen parum consecrare.

Remanent nonnulla dubia circa conuersionem panis, & vini, in Corpus, & Sanguinem Christi. Circa transubstantionem, circa modum quo Christus existit in hoc Sacramento. & circa accidentia quæ remanent in Sacramento. Idcirco eodem ordine, circa conuersionem panis & vini in Corpus, & sanguinem Christi, sit

Decimumnonum dubium. An repugnet per diuinam potentiam idem corpus numero esse posse in duobus locis. Resp. dupliciter hæc quæstio examinari potest; vel per absolutam Dei potentiam; vel in lumine naturæ. si procedamus per absolutam Dei potentiam; Dico; posse idem numero corpus poni in multis locis dimensiuè. Scot. in 4. d. 10. q. 2. Riccard. Mediau. d. 16. q. 2. ar. 2. Aureol. apud Capreol. ibid. q. 1. ar. 2. Gabr. d. 16. q. vnica ar. 2. & 3. dub. 3. OKan. d. 4. q. 4. Marsf. q. 7. ar. 4 qui putant dicere contrarium præiudicare fidei. Idem sentit Hugo de sancto Vict. l. 2. de Sacram. p. 8. cap. 11. & hanc opinionem vt tutiorem sequuntur omnes qui hoc tempore cõtrouersias habent cum hęreticis. Pro quo suppono vnum, hoc

mysti-

mysterium præsentiæ Christi in cœlo, & in Sacramento, esse vnum ex ineffabilibus mysterijs fidei, quæ non sunt humanis rationibus ventilanda;sed fide, & silentio veneranda;quia excedunt humanæ rationis capacitatem. Probatur ex scripturis, quæ dicunt, Dominum reuelasse multa supra captum. Eccles. 3. *altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scruteris, & in pluribus operibus Dei non eris curiosus* & Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit sensum multa cogitantem.* & Iob 38. *Exprobrat illi Deus inuestigationem rerum diuinarum, si difficilia existimamus quæ in terra sunt, quæ autem in cælo quis inuestigabit.* Confirmatur. opera Dei circa nos sunt nobis incomprehensibilia, ergo multo magis opera quæ facit circa filium suum. antecedens habetur ad Rom. 10. & Psal. 35. 138. & alibi. & omnes patres dicunt hoc mysterium esse inenarrabile. His sic stantibus, sit

Prima conc. Ex principijs creditis euidenter colligimus esse possibile idem corpus esse in cœlo, & in terra. Probatur primo ex multorum patrum autoritate, & liturgijs, vbi dicunt, non quoniam multis in locis offertur simul Corpus Christi, ideo sunt multa corpora, sed vnum. Secundo, quia multi etiā patres dixerunt, Corpus Christi esse vbique, non quidem ad mentem Brentianorum, qui humanitatem ex vi hypostaseos diuinæ vbique ponunt, sed dicunt Christum habere potestatē se exhibere præsentem vbiq; quando vult. Tertio ex August. l. de cura pro mortuis agenda, cap. 6. & 7. vbi proponit quęstionem, cùm Martyres simul diuersis in locis appareant, quærit, an sint ipsi martyres, an Angeli pro eis? & tandem non audet definire, quia apud Deum nihil est impossibile. Quarto ex scripturis: vbi habetur Christum apparuisse multis, & tamē ita est in cœlo vsque ad diem iudicij, vt nusquam cœlum deserat. Ita Petrus act. 3. *Quem oportuit cœlum suscipere vsq; ad tempora restitutionis omnium.* Confirmatur ex Psal. 110. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos &c.* & ad Hebr. 9. *non in manufacta sancta introiuit, sed in cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, semper viuens ad interpellandum pro vobis.* & can. 1. de consecr. d. 2. ait August. *donec seculum finiatur sursum est Dominus.* hinc sic; Christus nunquam cœlum relinquit, & tamen manens in cœlo sæpe apparuit in terris, ergo possibile est esse simul pluribus in locis.

appa-

apparuit Paulo act. 9. 22. & 26. hæretici dicunt istam apparitionem fuisse imaginariam. Contra: Sancti Patres dicunt non minus fuisse veram quàm apparitionem factam Apostolis post resurrectionem. Ita Orig. l. 2. contra Cels. Ambr. in 1. cor. 9. Chrysost. hom. 38. in 1. ad Cor. August. in illud Ioannis, *modicum & non videbitis me*. Arnob. l. 1. contra gent. ex Professo id tractat. itē quia Paul. 1. cor. 15. ad probandam veram Christi resurrectionem adhibet testimonia eorum quibus apparuit, *visus est Cephæ, & vndecim &c. nouissimè tanquam abortiuo visus est mihi*. Ergo verè apparuit Paulo, & non imaginarie. & act. 26. Paulus narrans apparitionem Agrippę, dicit; *Respondit mihi, ego sum Iesus; ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum quæ vidisti*. Item, quia Dominus apparuit Petro in via Appia Romæ, vbi nunc est oratorium in eius memoriam. cuius apparitionis meminit Egesippus l. 3. de Excid. Hirosolymit. & Orig. tom. 21. in Ioan. Athanas. in Apolog. de sua fuga. & sexcenties. 5. deniq; probatur conclusio ex regula illa Gregorij hom. 26. in Euang. vbi ait. *Hæc ipsa Redemptoris opera, quę ex seipsis scrutari non possumus, ex alijs factis pensanda sunt; vt ex mirabilibus mirabilia comprobemus*. Sic Ioan. 6. ex mirabili Christi Ascensione probat miraculum Eucharistię. & Luc. 5. ex eo quòd habeat Christus potestatem faciendi miracula, probat etiam se posse peccata dimittere. Et Paulus 1. cor. 15. probat resurrectionem nostram ex eo quòd Christus resurrexit. Regula igitur Gregorij optima est. Hinc sic ego assumo aliqua mysteria fidei quæ sunt valdè difficiliora: ergo sicut illa credimus, sic etiam & hoc credere debemus. Primum mysterium sumitur ex obedientiali potentia creaturę ad creatorem, quam Scriptura prædicat latiùs patere potentia naturali, primo ad plures species receptibilium. v.g. potest recipere genera linguarum, prophetias, miracula &c. & manna ad omnes sapores. Secundo, ad plures gradus intensionis intra eandem speciem eiusdem formæ receptibilis. patet exemplo Sampsonis, cui collata fuit fortitudo intentissima. & Isa. 30. *Erit lux Lunę sicut lux Solis &c.* Tertio, quo ad quantitatem discretam, vt patet in panibus multiplicatis in manibus Christi &c. in lecytho olei in manu Eliæ, & in vasis olei Elisæi. Quarto, quoad mensuram durationis; nam quæ natura-

turaliter parum durabilia sunt, durant etiam, vt vita Enoch, & Eliæ. & ea quæ natura facit in tempore, potentia obedientialis facit in instanti; vt organizatio corporis Christi, & translatio Abacuch in Babylonem, quæ fuit celerrima. Quinto, quoad potentiam receptiuam eiusdem formæ pluribus modis; nam naturalis potentia procedit à dispositione ad formam; sed obedientialis etiam potest procedere à priuatione ad habitum; vt in cæcis illuminatis, & mortuis resurgentibus. Sexto, quoad potentiam passiuam vltimò actuatam, iterum, & iterum actuabilem, & terminabilem. patet in potentia loci, quæ vocatur implebilitas, .i. postquam locus est impletus locato, habet vltimum actum; & tamen potest etiam impleri potentia obedientiali per penetrationem dimensionum. His positis dico primo, inter alias potentias passiuas creaturæ, est locabilitas, & huius potentiæ actus est locatio. Dico secundo, habito vno loco adæquato, per hanc solam adæquationem actuatur perfectè potentia corporis naturalis. Dico tertio, cùm actuata potentia naturalis circa vnum actum, adhuc maneat in potentia obedientiali ad alios actus; vt patet in omni genere potentiarum (vt supra ostendit) quòd facta perfecta locatione, potest adhuc fieri alia per potentiam obedientialem. Secundum mysterium est Trinitatis; nam non est minus incredibile nostro intellectui eandem numero essentiam esse in tribus personis, quàm vnum corpus esse in tribus locis; sed illud credimus, ergo & hoc. Probatur maior; quia sunt omnia paria, & quædam difficiliora ibi. Primo paria ex parte distinctionis, quia sicut locus, & locus distinguuntur realiter, ita personę, & personæ; & tamen vna essentia in tribus personis, ita corpus in tribus locis. Secundo ex parte oppositionis extremorum, quæ maior est in Trinitate; quia sicut locus & locus opponuntur situaliter, ita persona & persona relatiuè; quæ oppositio est multò maior quam localis. Tertio est paritas, quia hæc oppositio neutrobiq; redundat in tertium .i. essentia diuina vt est in patre, non opponitur sibi vt est in filio, & tamen manet oppositio extremorum, ita, quamuis locus & locus opponantur, tamen locatum non opponitur sibi vt est sursum, vel vt est deorsum. Confirmatur, quia in Trinitate essentia non distinguitur à personis nec realiter, nec formaliter à parte rei, & tamen cum tanta identitate potest
stare

stare oppositio relationum: at locatum distinguitur à locis realiter. Quarta paritas est; quia sicut essentia habet posse esse vnam in tribus personis, ex natura suæ illimitationis, quia est infinita; ita hoc locatum, quia secundum potentiam obedientialem in ipso exercitam, est factum illimitatius quàm quilibet locus, fit vt pateat latius quàm quilibet locus. Tertium mysterium est incarnationis. Non est minus incredibile vnum numero suppositum subsistere in duabus naturis, quàm vnum corpus in duobus locis, sed illud est credibile, ergo & hoc. Probatur maior. Primo sunt paria, quia est maior distantia entitatiua inter humanitatem, & deitatem, quàm distantia localis loci à loco; sed idem suppositũ est vtrobiq; ergo idem corpus potest esse vtrobiq;. Secundo sunt paria, quia sicut duo loca sunt inter se incompossibilia, ita duæ naturæ sunt incompossibiles in vno supposito; sed duę naturę sunt in Christo, ergo &c. Tertio sunt paria, quia magis forma substantialis multiplicat suppositum suum, quàm accidens suum subiectum; quia est intimior dependentia inter naturam & suppositum, quàm inter accidens & subiectum; sed in Christo sunt duæ formæ substantiales in vno supposito, ergo multo magis manebunt cum vno locato duæ vbicationes, quia sunt accidentia. Quarto, sicut suppositum ideo subsistit in duabus naturis quia est illimitatum, ita etiam locatum, quia est illimitatum per potentiam obedientialem. Quartum mysterium ex Resurrectione. Magis distat quòd desijt simpliciter esse ab esse, quàm esse locatum hic, ab esse locato illic; quia plus distat esse à non esse, quàm vbi ab vbi; sed Deus in resurrectione mortuorum multa accidentia quæ desierant esse reducet eadem numero, & huic identitati nihil obstat discontinuatio tot seculorum inter idem esse, & idem esse; ergo multo minus locorum discontinuitas distabit identitati numericæ eiusdem beati. Quintum mysterium ex corporum penetratione, Vnitas loci est indifferens ad locati adæquati tam vnitatem, quàm pluralitatem, quia idem locus potest secum cõpati vnum, & multa locata per penetrationem: ergo vnitas locati est indifferens ad vnitatem, & pluralitatem loci adæquati. Probatur conseq. quia si duplicatum .s. locum repugnat esse commensurabile nisi duobus locatis, simplum & locum repugnabit esse commensurabile nisi vni locato: quæ enim

est proportio inter duo, & duo; eadem est inter vnum, & vnū sed non repugnat esse vnum cum duobus; ergo nec duo cum vno. Sextum mysterium ex æternitate, quæ cùm sit vnum instans, tamen potest coexistere temporibus disconrinuis, & coexistens præterito non sit præteritum: & futuro non sit futurum; & hæc tempora non fiunt vnum, sed plura; cùm æternitas ex sui illimitatione sit vna; ergo idem locatum si fiat locis illimitatius, poterit coexistere cum multis locis. & sicut vnum tempus non coarctat æternitatem, sic vnus locus non coarctat locatum. Ex his patet ex principijs creditis, non repugnare per diuinam potentiam idem corpus numero esse posse in pluribus locis. Examinemus nunc idipsum contra Philosophos in lumine naturę. Supponendo in rerum natura esse aliquod agens, cuius potentiæ actiuę obiectum sit, quicquid non implicat contradictionem. quod probat D. Tho. in 1.p. de potentia Dei. Sit igitur

Secunda conc. Enti vt enti non repugnat idem totum esse localiter extra se totum sine sui diuisione. i. per continuitatem. Probatur primo à posteriori in omni substantia immateriali, Deo, Angelo, & anima rationali, nam tota, & eadem anima est in capite, pede &c. & tamen tota anima vt est in capite, distat localiter à se tota vt est in pede, sine tamen diuisione, quia continuatur per pedes, & crura &c. Dixi (localiter) nam non est extra se tota entitatiuè, sed localiter. Idem de Angelis & Deo. 2. à priori. coextendi posse spatio quanto maiori, & maiori, est intrinseca perfectio substantiarum etiam immaterialium: sed coextensio diuisibilis, & commensurabilis partium locati ad partes spatij locantis est imperfectio repugnās substantijs immaterialibus, ergo præter istam diuisibilem coextensionem, danda est alia, per quam totum singulis partibus coextendatur sine sui extensione. Probatur maior, primo ex parte agentium per contactum, quæ quò maiori spatio coextenduntur substantialiter, eo habent maiorem perfectionem. prob. mino. 1. quia coextensio physica est passio propria corporis materialis, quæ est diminutum ens; quare non potest quadrare substantiæ immateriali. Secundo, quia vbi est coextensio diuisibilis, ibi est compositio in substantia ipsa, quæ multum habet potentialitatis, & minus de actu, & est dispositio naturalior ad corruptionem substantiæ, quàm ad perma-

dentiam, quæ debetur substantiis immaterialibus. Tertio, quia est maioris independentiæ si identitas entitatis, & substantiæ abstrahat ab identitate localitatis, quàm si ex naturali necessitate pars ad partem nectetur. Quarto, quia est perfectius sufficere pluribus sine sui diminutione, quàm cum diminutione, at diuisibiliter sufficit pluribus cum sui diminutione, quia pars est in parte &c.

Tertia conc. Huius numericæ vnitatis quam seruat substantia spiritualis existens in pluribus partibus distantibus localiter; nec est ratio, nec requisitum intrinsecum est indiu isio, vel continuitas. est Scot. Gabr. OKan, Marsil. & multorum Thomistarum. Probatur, quia secundum hos theologos non repugnat Deum posse separare brachium à reliquo corpore, vt conseruaret animam eandem in brachio separato, ergo erit vtrobique. Probatur assumptum testimonio doctorum allegatorum, & ratione: quia quicquid est conseruabile effectiuè per secundam causam, est conseruabile etiam à Deo solo præcisa secunda causa; quia omnipotentia Dei vel formaliter, vel eminenter est omnis actiuitas creaturæ. & hoc genus causalitatis effectiuæ nihil ponit imperfectionis in agente, sicut materialis, & formalis; sed anima humana vt est forma brachij in sui conseruatione vel non pendet ab anima vt est in pectore; vel si pendet, pendet effectiuè; ergo potest suppleri à Deo. prob. minor, quia pendet solum per subministrationem spirituum, qualitatum, & dispositionum, quæ sunt necessariæ vt anima sit forma brachij; ergo sit effectiuè.

Quarta conc. Est probabile hoc ipsum quòd in 2. conc. à posteriori demonstrauimus esse demonstrabile à priori. Primo continuitas indiuisa est posterior formali identitate, ergo non repugnat hanc abstrahi ab illa. Prob. consequentia, quia prius est à quo non conuertitur subsistendi consequentia, quia prius est à quo non conuertitur subsistendi consequentia. Probatur anteced. per id quod anima in brachio sit talis, per idem fit idem animæ in corpore: sed in brachio anima est talis non propter continuitatem, sed quia habet tale esse formale: imo quia anima in brachio est talis, & in corpore est talis; ideo est continua, non contra. Secundo, aliquid non est vnum sibi quia est continuum sibi, sed veriore quadam vnitate; quia continuitas est propria partium & partium. quare soluta con-

tinuitate

tinuitate perit vnitas partium. totum verò & totum non est vnum sibi hac continuitate; quia constituitur ex toto, & toto; neq; quia continuatur sibi; sed quia est idem sibi. Tertio identitas entitatiua est ad se, & est quid absolutum; sit etiam continuitas, vel indiuisio, si quã est sui ad se; ergo potest stare multiplicatis vbicationibus; quia absolutum absolui potest à relatiuo; at vbicatio vel est respectiuum formaliter secundum Scotum, vel saltem intrinsecè includit dependentiam ab alio. Hinc infertur quòd istius numericæ vnitatis animę in brachio, & in corpore, cùm non sit ratio illa continuitas, potest assignari duplex alia ratio. Prima est independentia naturalis à locali determinatione, quia est spiritus. Secunda quia spiritualis substantia habet plenitudinem sui esse per quam potest sufficere pluribus locis sine sui diminutione, ita vt quodammodo possit dici quòd hoc esse immateriale est pluries ipsum totum, ita vt secundum vnum totum se applicet vni loco; secundum aliud est alibi. Sed contra has duas conclusiones obijcies, primo substantia immaterialis non habet partes, ergo repugnat diuidi. Probatur conseq. quia mensura diuisionis est præexistentia, & vnio diuidentium in diuiso; quia diuisio non generat nouas partes, sed quæ erant, separat; & in substantia spirituali non sunt partes; ergo &c. Resp. est duplex diuisio; vna propriè, & hæc supponit in diuiso vnionẽ partiũ: & hæc est corporum. Altera impropriè, quæ supponit vnionem totius, & totius; quia idem totum pluries est; & hęc diuisio non facit esse partem extra partem, sed facit totum extra totum. Secundo obijcies, si supponitur totum, & totum, & diuisio facit totum semel, videlicet in brachio solum: ergo sequitur quòd supponitur maius totum, & fit maius totum; quia plus est esse bis totum, quàm semel; at habere magis & minus, est corporum. Resp. maius & minus primo sumitur vt fiant per additionem, vel subtractionem partis & partis, vel nouę entitatis, & hoc est proprium corporum. Secundo fit non per additionem, vel subtractionem, sed per replicationem eiusdem totius entitatis; nam dicit Marſ. in 4. q.7. ar. 1. ad 2. in substantia spirituali est duplex totalitas, prima totaliter, vel simpliciter, secunda partialiter, vel secundum quid. in anima humana ante omnem diuisionem est totalitas simpliciter; quia est pluries eodem, sed post diuisionem remanet tota-

totalitas secundum quid.

Quinta conc. Non repugnat eundem numero spiritum esse in pluribus locis, non coextendendo intermedijs. Probatur; quia si idem spiritus potest à se discontinuari, parum refert an parum, an multum à se distet. Imo addo, quòd animæ vt existenti in brachio, & vt positæ in cælo, per accidens est quòd anima remaneat in mundo quæ fuit in corpore; quia non pēdet hæc ab illa in esse, vel conseruari.

Sexta conc. Non repugnat idem corpus esse in pluribus locis distantibus in vno quantitatiuè, in altero incircumscriptiuè. probatur primo, quia potest esse in multis locis simul, cùm nón repugnet enti vt enti; Si repugnaret corpori vt sali enti: Sed nulla est ratio cur repugnet corpori cùm non repugnet spiritui; ergo &c. probatur min. quia triplex disparitas fingi potest. Prima ratio, quia corpus naturaliter est determinabile ad dependentiam localis distantiæ; quod non est in spiritu. non obstat primo, quia licèt aliqua priora, & posteriora naturaliter non possint separari, tamen quandoquidem prius in suo formali conceptu non includit posterius, non repugnat separari; sed substantialis, & entitatiua vnitas corporis prior est secundum se, quàm eius determinatio ad localem distantiam, ergo quamuis aliter possit esse corpus sine hac dependentia, tamen potest supernaturaliter. Secundo ex Aureol. Deus potest facere quicquid non implicat contradictionem, sed si Deus ponat idem corpus, quamuis naturaliter determinatum ad situm ponat in multis locis, non sequetur affirmatio, & negatio de eodem; quia non sequitur quòd idem plurificetur, & non plurificetur; quia plurificari cadit super vbificationes, non plurificari cadit super corpus, sed non est idem corpus, & vbi. Secunda disparitas, quia corpus addit enti vt enti necessitatem continuitatis, quæ est propria passio quātitatis; sed hoc non obstat: primo quia saltem posset constitui idem corpus in pluribus locis continuis. secundo, quia continuitas est partium, & partium propriè, & hæc seruatur; quia in vtroq; loco sunt omnes partes sibi continuæ; sed præter istam continuitatem est alia, quæ propriè vocatur indiuisio, quæ est totius, & totius; & hæc propriè est spiritus. Vnde si distantia localis propriè non soluit in diuisionem entis immaterialis, ergo neq; materialis. tertio, quia impedimentum

tum

tum ne quid ſit in pluribus locis ſimul, non eſt quantitas, ſed vnitas eſſentialis, quæ videtur diſtrahi per diſtantiam localē; at hæc vnitas eſt communis vtriq; enti, materiali, & ſpirituali; ergo ſi in vna non impedit, neq; in alia. maior probatur, quia id quod primò ſit per diſtantiam inter idem & idem; eſt, quia idem bis ponitur; at idem bis ponere directè opponitur vnitati eſſentiali. quòd autem ſit idem bis modo diuiſibili, non facit eſſe magis vel minus bis. Tertia diſparitas eſt ex imperfecto genere entis; quia corpus non eſt adeo ens plenū, & perfectum, vt poſſit ſufficere pluribus ſine ſui diminutione. non obſtat, nam retorqueo; quia etiam locus naturaliter cùm ſit imperfectum genus entis, non ſufficit de ſe pluribus locatis ſine ſui diminutione, & tamen poteſt fieri, vt vnus locus ſufficiat pluribus locatis. ſic etiam, quamuis corpus locatum non ſufficiat pluribus locis ſine diminutione, fieri tamen poteſt per Dei potentiam. Secundo ſoluo, quia ſicut potentia obedientialis facit locum illimitatiorem locato, ita locatum loco, vt idem ſufficiat pluribus locis. Sed in hac illimitatione eſt primum dubium. iſta illimitatio vel addit aliquid corpori, vel non; ſi ſecundum, ergo relinquit ipſum vt antea, & ſic vni loco tantum ſufficit. Si primum, ergo ipſum magis extendit vſq; ad monſtroſitatem. Reſp. hęc illimitatio dupliciter intelligi poteſt: Primo per nouam extenſionem factam vel eiuſdem corporis rarefactione, vel additione nouæ quantitatis; & hoc non ponimus nos. Secundo, non per nouam extenſionē, ſed per eiuſdem totius replicationem; quia idem bis ponitur, ſicut diximus de ſpiritu. Secundum dubium de ſpiritu facilè intelligimus eſſe replicabilem; quia cùm habeat plenum ens ſæpiùs eſt idem totum; ſed de corpore non ita; quia corpus ſemel eſt totum, quomodo ergo poteſt replicare? Reſp. naturaliter verum eſt corpus eſſe irreplicabile, tamen dicimus quòd ea quæ competunt ſpiritui naturaliter, poſſunt obedientialiter corpori competere, excepta naturali habitudine, in qua conſiſtit ſpecifica differentia. Probatur primo, quia eſſe indiuiſibile eſt proprium ſpirituum; at ſi Deus auferat corpori quantitatem, remanebit quidem indiuiſibilis actu, ſed diuiſibilis potentia. non ſic in ſpiritu; quia neq; potentia quidem diuiſibilis eſt. Secundo, quia coexiſtentia multorum ſuppoſitorum in eodem loco eſt propria ſpirituum, & tamen Deus ſuperna-

supernaturaliter facit multa corpora existere in eodem loco. Tertio, quia moueri non motu progressiuo partis post partem, sed totius, & totius immediatè, est proprium spiritus, & tamen communicabitur corpori glorioso. Quarto, quia incorruptibilitas est naturalis spiritui, & supernaturalis corpori glorioso. Hinc infero, quòd sicut naturalis aptitudo ad hæc quæ numeraui est differentia specifica spiritus, & in communicabilis corpori, & tamen sunt hæc communicabilia corpori, ita replicabilitas &c. Tertium dubium: pro quo genere replicationis Deus replicat idem corpus in pluribus locis? nā de spiritu constat esse motum localem. Resp. prima opinio est, non posse idem corpus replicari sæpius, nisi iterata eiusdē productione. ratio est, quia cùm replicationes substantiales secundum distantiam localem sit naturalis enti immateriali, vt eas habeat, sufficit vna productio æquiualens multis productionibus sæpius ponentibus eandem substantiam multibi. Sed cùm istæ replicationes non sint naturales corpori, non potest ei noua aduenire nisi per nouam productionem. Secunda opinio, quòd sufficit ad hoc faciendum motus localis. Vtra sit verior, definiemus in dubio sequenti de transsubstantiatione. Circa quam sunt duæ nouitates; vna in termino à quo, qui desinit esse; & hic terminus est substantia panis, & vini, quæ cōuertuntur in substantiam Christi. altera est in termino ad quē, qui est substantia corporis, & sanguinis, & nouitas est; quia incipit esse vbi non erat. Oritur igitur dubium de termino à quo. Quare sit

Vigesimum dubium. An substantia panis, & vini maneat, ita vt sint duæ substantiæ, videlicet panis, & Christi? Resp. omissis hæresibus cum suis captiunculis, & vetustissimis cantilenis, certissimum est ex omnibus patribus, Concilijs, & Scripturis, in hoc Sacramento nihil substantiæ panis, ac vini remanere. Patet primo ex forma institutionis, *hoc est corpus meum.* in quibus verbis etiam ipse Lutherus fatetur illud *est* propriè accipi, non metaphoricè. hinc sic: propositio in qua vnum suppositum, vel pars suppositi prædicatur in recto de supposito altero per terminos absolutos, falsa est; nam non possum dicere, *hic paries est Petrus*; connotatiuè potest dici: vt, *hic paries est marmoreus*, non *marmor*. sed *hoc*, est nomen suppositi, vt patet ex vsu omnium linguarum. Item *corpus*

significat vel suppositum, vel partem suppositi, potest dici, *panis est lapis*: licèt possit dici *lapideus*. quare facit Christum mendacem. Secundo, si *hoc* significaret panem: deberet cum pane conuenire secundum syntaxim grammaticam. Vnde debebat dicere, *hic est corpus meum*. cum ergo dicit *hoc*, significat nihil aliud esse quàm Corpus Christi. Primum effugium suppeditatum à Scoto, quòd *hoc* non est necesse vt significet substantiam, sed accidens; videlicet hoc accidens contentiuũ corporis. Sed contra: quia in omni vsu loquendi cum quis absolutè de aliquo substantiali profert *hoc*, non vult significare accidentia, sed substantiam; & si scriptura haberet aliquos loquendi modos quàm nos habemus, esset inutilis. Secundum effugium ex Durando, quòd *hoc* significat indefinitè, & vagè, videlicet non determinat hanc, vel illam substantiam an panis, an Corporis Christi. q.d. inter alia quæ hic continentur, vnum contentum est etiam *corpus meum*. Sed contra: primo, quia abhorret hoc ab auribus summulistarum, vt *hoc* significet vagè. Secundo, quicunq; ostendit vniuersaliter aliquid sine vlla limitatione, consequenter ostendit totum quod ibi est, alioquin mentiretur. Vnde si ibi sunt plura, & vnum tantum exprimitur, falsa est propositio; vt si de crumena plena argento, & auro, dicerem, hoc est aurum; falsò dicerem. Sic, si sub speciebus Sacramentalibus lateret panis, & Corpus Christi, falsò diceret, *hoc est corpus meum*. Tertio probatur ex figuris testamenti veteris, quæ figurarunt conuersionem, 1.cor.10.de manna, & de aqua quæ fluxit ex petra; at in vtraq; hac figura expressa fit conuersio; nam in manna probatur ex Sap. 16. *omne delectamentum in se habentem, & omnem saporem*. de aqua, habetur Psal. 17. de aqua educta de petra. quomodo? Psal. 113. *Qui conuertit petram in stagna aquarum &c.* Dices primo, hæc doctrina est contraria sensibus. primo, quia experimur ex Eucharistia diligenter custodita nasci vermes; at vbi est generatio naturalis, ibi est materia. Secundo experimur nutriri hominem Eucharistia si multum sumat; at nutrimur substantia, non accidentibus. Tertio experimur manere accidentia quæ ante erant. Sed repugnat accidentia esse sine subiecto. Resp: quòd in rebus diuinis non est standum experientiæ, sed verbo Dei miraculis confirmato, alioquin sequeretur primo Christum non fuisse Deum, sed hominem tantum

tum, quia in Christo experiebantur esse omnia humana. Secundo, sequeretur diuinas processiones, & origines esse tollendas; quia experimentum docet generationes esse rerum corruptibilium, quæ cùm non possint eadem numero perseuerare, conseruari volunt in specie. Tertio, tollenda esset resurrectio mortuorum, quia experimur non dari regressum à priuatione ad habitum. De illis autem experientijs dicemus infra. Secundo dices. multi Sancti Patres docuere substantiam panis manere; & sunt duo præcipui, Theod. dialog.1.& 2.cõtra Euthychium negantem in Christo esse duas substantias, videlicet humanam, & diuinam.probat posse esse; nam & tu Euthyches fateris in mysterijs esse simul substantiam panis, & substantiam Christi. eodem argumento vtitur & Gelasius Papa l.de duab.natur.contra Euthychetem. & ad verbum affert idem argumentum. Est etiam Ambr.l.4.de Sacram.cap.4.vbi dicit; quòd si fuit facile Deo creare omnia ex nihilo, multò facilius erit facere vt quæ sunt maneant, vt sanctificentur in Corpus Christi; ergo manet panis. Resp. de Theodoreto, & Gelasio, dico primo; quòd aliqui conantur illos interpretari, & fortè non malè, quia Theodoretus dicit, quòd manet natura panis .i. proprietas, non autem quid panis. Secundo dico, quod vix possunt exponi illi duo, quia clarè de hac re multa verba loquuntur. Dico tertio, quòd præualet autoritas tot Sanctorum vni, vel alteri. Imo Theodoretus statuit hæresim de Spiritu sancto. & in Conc. Ephes. habitus est hæreticus. De Gelasio dico, quòd non est Gelasius Papa, sed quidem Cęsariensis conciuis Eusebij, quem sæpe allegat, & laudat. & Theodoretus sæpe allegat hunc Gelasium. at Gelasius Papa Romanus damnauit Eusebium vt hæreticum. can. sancta Romana Eccl.d.25. Ad Ambrosium dico, hæc esse verba Ambrosij; si potuit ex nihilo sermo Christi facere quæ sunt, quantò magis faciet vt sint quæ sunt, & in melius commutentur? quæ verba nisi in sensu catholico exponantur, fatua sunt; nam si manet panis, ergo non in melius commutantur quæ sunt. Tertio dices, ex 1.cor.10. *Et panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est?* Frangi non competit Corpori Christi; ergo debet ibi substineri aliud Corpus. Resp. quòd frangitur panis, idest id quod panis videtur secundum speciem visibilem.

Vigesimumprimum dubium. An saltem maneat pars substantiæ panis, videlicet materia? Resp. Durand. in 4. d. 11. q. 3. putat duo distingui in hoc Sacramento, videlicet substantiam facti, vel operis; & dicit, hanc non esse miraculosam, sed naturalem; quia putat manere materiam panis, & informari anima Christi, eo modo quo facta commestione, materia alimentorum manebat, & informabatur anima Christi. & quia videbatur hoc indignum anima Christi in statu glorioso, ideo dicit non esse indignum; quia Christus post resurrectionem comedit. cur? ad probandam veritatem carnis resuscitatæ. quod non probasset, nisi digessisset; nam sola traiectio cibi non est actio vitalis. Secundo distinguit modum operis, & facti, & dicit hunc modum esse miraculosum, tum quia fit virtute agentis infiniti, quòd potest cōuertere quidlibet in quodlibet, si non repugnat. Probat Dur. primum argumentum ex definitione conuersionis. Ecclesia decreuit panem verè conuerti in Corpus Christi; at conuersio est successio mutua duarum formarum in eodem subiecto. Secundum, Ecclesia in Cōcilio Later. decreuit istam mutationem esse transubstantiationem. at si non maneret materia panis esset annihilatio. Primò, quia si non manet substantia panis nec in se, nec in alio, nihil est. Secundo, quia si in naturali corruptione forma corrupti compositi non rediret in potentiam subiecti remanentis, annihilaretur; at vos dicitis hic formam & materiam panis in nullam rem redire, nec manere; ergo &c. Tertium, dicunt Thomistæ mutari materiam panis in materiam Corporis Christi; & formam panis in formam Corporis Christi; hoc est impossibile, quia mutabilium reciproca est mutatio; sed repugnat formā Christi conuertit in formā panis, ergo etiā formā panis in formam Christi. Probatur min. quia forma Christi spiritus est, at spiritus non potest desinere esse, nisi per annihilationē; sicut nō potest incipere esse nisi p creationē. Quare sit hæc Conc. Nihil materiæ neq; formæ panis permanere in hoc Sacramento, sed in totam substantiam conuerti. Quare permanentia materiæ non solum non est necessaria conuersioni Sacramentali, sed ei repugnat. primo, quia nulla materia naturaliter est animabilis anima rationali, nisi habeat humanā organizationem, & complexionem; sed materia panis caret his, ergo non potest informari anima Christi. Probatur minor

nor de organizatione; quia organizatio est quædam figuratio quantitatis;at quantitas in Sacramento videtur;& permanet, non habet figuram humanam; ergo deest complexio quæ fit ex certo temperamento,& mistione qualitatum; at in quãtitate panis non est humanum temperamentum, quia si essent humanæ qualitates cùm coextẽdantur quantitati extensæ panis, essent nobis sensibiles. Obijcies. Idem argumentum fieri posse de corpore Christi. Resp. est dispar ratio, primo in organizatione; quia quantitas quæ videtur, non est quantitas Christi, sed panis; vnde figura quantitatis Christi nobis inuisibilis est; & qualitates Corporis Christi non coextenduntur quantitati panis, sed sunt sub quolibet indiuisibili; quare sunt insensibiles; quia sensibile diuisibile est. at cùm qualitates materiæ panis sint coextensæ, si materia panis reciperet qualitates, essent sensibiles. Secundo, hęc materia panis vel se penetrat cum materia Corporis Christi, vel non;si secundũ, ergo est extra species Sacramentales, ergo non informantur anima Christi; quia anima Christi non est extra species.si primum, contra; sequeretur primo Corpus Christi verè, & formaliter addensari. Secundo,sequerentur multæ monstrositates ex hac addensatione. Pobatur primum, quia addensatio requirit primùm multum materiæ simul poni. Secundo, hoc totum materiæ simul collectum, continuari. at si consecretur ingens panis, & quidem densus, tunc multum materiæ coalesceret cum materia Corporis Christi, & vtrunq; materiæ cõtinuaretur; quia continuatio materiæ fit per eandem formam vt apparet in cibis. & quia per Durandum materia panis informatur anima Christi, sequitur vt cõtinuetur materiæ Christi. Probatur secundum prima monstrositas,quia naturaliter diaphaneitas,& perluciditas corporis gloriosi non potest stare naturaliter cùm tanta densitate materiæ opacæ ex se. Secũda, quia euerteretur dispositio propria multorum sensoriorũ, & organorum sensuum, quæ requirunt quandam raritatem, & non maiorem, vt apparet in oculo, & sic Christus erit cęcus in Sacramento. Tertia quia sanguis in calice esset terreus, & non liquidus. Tertio sequeretur aliquando prolatis verbis consecrationis, non totam materiam consecrari, quia etiam secundum Philosophos omnia viuentia habent terminos suæ magnitudinis extra quos non sunt naturaliter. Vnde quælibet

bet forma etiam rationalis est determinata vt tantam materiam possit informare, & non maiorem. Vnde si quis consecraret ingentem panem, aliquæ partes possent informari anima Christi, aliæ non. Quarto, sequeretur Christi corpus in Sacramento esse passibile, vulnerabile, &c. quia ista quantitas quæ est immediata sensibus nostris, & actiuis extrinsecis, est quantitas materiæ panis secundum Durandum, & materiæ informatę anima Christi; at experimur hanc quantitatem posse frangi; ergo materia quæ informatur anima Christi, frãgeretur, vel vreretur; & sic Christus pateretur etiam in anima. Quinto, sequeretur quotidie animam Christi assumere, & deponere multas materias; nam istæ materiæ vel semper remanent cum Christo, & sic Christus secum traheret ingentem montem materiæ. Vel deponit Christus materias. contra: nã (vt benè ait Caiet.) sicut Corpus Christi est incorruptibile, ita multò magis decebat animam Christi esse immutabilem; at quæ maior mutabilitas quàm informare tot materias, & mox desinere?&c. Sexto, secundum Dur. & secundum veram philosophiam, materia prima est subiectum immediatum accidentium, saltem quantitatis; quare manente materia panis, accidentia panis non essent sine subiecto; imo in subiecto suo permanerent; at hoc est damnatum in Concilio Const. sess. 8. ar. 2. contra Ioannem Vuiglef. Item, quia patres dicunt post consecrationem nihil manere sub speciebus panis nisi Christum; ita etiam Conciliũ Later. de summ. Trin. & fide Cath. cap. firmiter. vbi decernitur panem transubstantiari in corpus Christi; quod vocabulum semper ita intellexit, vt tota substantia transeat in totam substantiam per ineffabilem conuersionem, non autem per illam mutationem, quæ ferè ordinaria est. prętera ex Concilio Trid. sess. 13. can. 2. totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus. Ex quo colligitur primo, opinionem Durandi nunc esse hæreticam. Secundo colligitur semper fuisse hæreticam; quia postquam Concilium hæc docuit, subdit; hanc admirabilem conuersionem Ecclesiam vocasse transubstantiationem. quare etiam à Concilio Later. conuincitur Durandi opinionem fuisse damnatam. Idcirco ad argumenta Durandi Resp. Ad suppositum, dico esse falsum; nam ille cibus fuit mansus, & in stomachum demissus,

missus, sed resolutus miraculosè in præiacentem materiam, ex Maior. in 4.d.11 q.1. Et fuit vitalis illa actio, primo, quia ille motus masticationis fuit à principio intrinseco actiuo, & vitali, qualis non est Angeli. Secundo, quia alterauit, & immutauit verum tactum, & gestum Christi. Tertio, quia nihil prohibet illam cibi resolutionem fuisse factam concurrente etiam calore Christi. Quarto, quòd cibus conuertatur in substantiam aliti, non est de essentia vitalis actus, vt patet de habentibus stomachum frigidum, & non potentibus digerire. Ad primum igitur negatum est. Ad reliqua infra dicetur.

Vigesimumsecundum dubium. An substantia panis & vini totalis resoluatur in aliam materiam? Resp. substantia panis, & vini, quæ definit esse, non resoluitur in præiacentē materiam. Probatur, quia duplex materia præiacens fingi potest. Primo, materia nuda, quod vel impossibile est secundum Thomistas; vel si possibile est, non sine miraculo: at miracula non sunt multiplicanda nisi cogat veritas mysterij. Secundo materia quatuor elementorum; sed neq; hoc. Primo quia Sacramentum tantum efficit quantum significat; sed non significat vllam resolutionem panis & vini in quatuor elementa: ergo non efficit. Dices, saltem finis Sacramenti id exigit; quia finis est ponere corpus Christi. contra; quia finis est vt desinat substantia panis, est, vt conuertatur in corpus Christi; quod nullam requirit resolutionem. Secundo, hæc elementa in quæ fingimus resolui substantiam panis, vel manent sub speciebus panis, vel exeunt; non manent, quia hæc accidentia panis cùm faciant mistionem aptam corpori mystico, videlicet corpori Christi, non possunt inhærere elementis. Preterea, quia falsa esset forma, *hoc est corpus meum*; nam vnum tantum ostenditur, cùm ibi duo contineantur, videlicet corpus Christi, & elementa. Non exeunt; quia sensui paterent; nam quatuor elementa possunt sentiri. Tertio, resolutio naturalis misti in quatuor elementa fit successiuè; at positio Christi, & desitio panis sunt istantaneæ, & non oportet coaceruare miracula. Igitur concludimus substantiam panis, & vini non conuerti in aliud mistum.

Vigesimumtertium dubium. Cùm substantia panis, & vini in se non maneant in Sacramento, an saltem maneant sub alio esse? Resp. Henricus quodl. 9. q. 9. & quodl. 11. q. 4. &

quod

quod l. 12. q. 10. dicit primo, substantiam panis & vini non annihilari; sed ea remanet aliquitas .i. id quo aliqd est aliqd in mundo formaliter. Secundo dicit, quòd hæc aliquitas non manet in seipsa eadē numero realiter, alioqui nō esset conuersa. Tertio dicit, quòd non manet hæc aliquitas in vllo alio ente, præterquam in termino .i. in corpore Christi. Probat; quia si aliquitas nec in se, nec in alio manet, annihilaretur; at hoc abhorret Ecclesia. Parum ab hac opinione differt Caiet. 3. p. q. 75. ar. 4. qui dicit tria dicta. Primum. terminus istius conuersionis Sacramentalis non est terminus aliquis simpliciter enunciabilis, quia non terminatur conuersio in corpus Christi; sed in hoc, videlicet, quòd erat panis, nunc est corpus Christi; ita vt panis perdiderit suum esse quod habebat, & acquirat nouum esse quod est, esse corpus Christi; idq; cum mutatione panis, non corporis Christi. Et quoniam D. Tho. in 4. d. 11. q. 1. ar. 4. dicit hanc propositionem, quod erat panis, nunc est corpus Christi, esse falsam, & impropriam; glosat D. Tho. sic; quòd ista propositio, primo sumi potest infra latitudinem mutationis, vt nempè ly *quod* denotet subiectum manens sub vtroq; termino mutationis, & in hoc sensu est falsa. Secundo sumi potest solum ad exprimendos terminos conuersionis, & sic est vera Propositio; quia *quod* est relatiuum substantiæ; at verum est, quòd id quod erat substantia panis, nūc est substantia corporis Christi. Secundum dictum. Cùm duplex sit constitutum substantiale panis, vnum commune, videlicet prædicatum entis, & prędicatum substantiæ; aliud proprium, & specificum, videlicet, quod sit tale ens, & talis substantia: inter hęc duo constitutiua illud interest, quòd cōmune constitutiuum etiam facta conuersione sic saluatur, & manet, vt id in quod fit conuersio, recipiat eandem prædicationem prædicati communis. Saluatur autem (ait) non in se ipso, sed in alio; quia entitas corporis Christi est conuersa quædam entitas; quia non est solum corpus Christi, sed etiā id quod erat panis, & nunc est corpus. Sed, prædicatum proprium & specificum panis non saluatur nec in se, nec in alio; quia postquam est facta conuersio, non licet prædicare de termino conuersionis quòd sit panis. Tertium dictum. cum dicitur commune prædicatum saluari, & remanere, non in eo sensu hoc dicitur, quia remanet in suo simili .i. non quia id quòd

succedit

succedit est simile ei; nam alioqui non esset maior ratio cur in hoc ens, quã in aliud conuertatur, cùm omnia communicent in ratione entis. Sed quia sic conuertitur in quodam ens, vt verè, & propriè hoc ens sit illud idem omnino quod præfuit panis. probat Caiet. quia inter conuersionem Sacramentalē, & naturalem, est ponenda aliqua proportio; sed in naturali conuersione manet quod erat commune, sed desinit quod erat proprium: ergo in Sacramentali conuersione debet saluari quod erat commune, sed non quod erat proprium, & specificum constitutiuum. Secundo, quia patres sæpe dicere solent, quod erat panis, nunc est corpus. quod non esset verum nisi id quod erat panis maneat verè; at non manet vt panis, ergo vt ens. Probatur ex Ambr. vt sint quæ erant, & in melius commutentur. Tertio, ex D. Tho. q. 75. ar.4.ad. 3. vbi videtur fauere Caietano. Sed nihilominus contra hanc sententiam sit hæc

Conc. Communis opinio est, quòd substantia panis, & vini omnino desinit esse, ita vt nihil eius maneat. Quare primum dictum primæ sententiæ vbi dicitur, Panem fieri idem corpori Christi, impugnatur sic: Hoc est impossibile, nec est intelligibile. Potest enim intelligi, primo non à parte rei, sed ex parte cognitionis nostræ, & sic concedimus quòd nihil manet de pane nisi ens rationis. Secundo, vt dicant à parte rei sic, videlicet, vt terminus conuersionis sit quodam totum conflatum ex duabus partibus realiter distinctis, videlicet ex pane, & corpore Christi, & hoc hæreticum est. Tertio, quòd terminus conuersionis sit quodam totum vnum realiter, sed constans ex duabus rationibus formalibus, videlicet panis, & corporis Christi vt maneant sub vna formalitate, & existentia; ergo non manet existentia panis, ergo panis omnino desiijt esse. Quarto, quòd sic identificetur panis corpori Christi, vt sit idem omnino, & formaliter; & tunc ista vna quiditatiua ratio vel est composita, vel simplex; si composita, contra: nam repugnat ex duabus quiditatibus completis compleri vnam tertiam quiditatem. si simplex, quæro, vel est quiditas sola panis, & tunc negamus existentiam Christi in Sacramento. Vel est solum Christi, & sic negatur substantia panis, quod nos volumus. Vel est tertia quædam, in quam illę duæ sunt corruptę, & hoc est plusquam hæreticum. Secundum

dictum eorum qui dicunt, quod erat panis, nunc est corpus Christi, impugnatur: hæc propositio habet duplicem sensum; primus, vt ad desitionem panis succedat substantia corporis Christi, & succedat modo commestibili, & ex vi vnius actionis; & tunc est bona propositio, & catholica, & non est contra nos. Secundus, vt ista non sit successio vnius post alterū, sed facto vnius altero .i. vt vna substantia fiat altera, contra; hic secundus sensus vel non includit illa quatuor quæ sunt inclusa in primo sensu, vel includit; si non includit, perit vera transsubstantiatio; quia illa sunt de substantia transsubstantiationis; videlicet, primo, vt progrediatur à termino à quo qui sit substantia. Secundo, vt terminetur in substantiam. Tertio, vt id fiat per vnam actionem; quia si per duas, tunc vna à substantia inciperet, sed non in substantiam desineret. Quarto, debet esse modo commestibili; quia etiam si transsubstantiatio in genere non requirat modum commestibilem, tamen transsubstantiatio vt Sacramentalis requirit modum commestibilem; quia Eucharistia est per modum commestibilem. Si iste secundus sensus includit illa quatuor, vel includit illa tantum quatuor, & sic conuenit cum primo sensu. Vel addit quintū, & tunc hoc quintum vel se tenet ex parte termini à quo, vel ad quem, vel ex parte transitus medij inter terminum, & terminum. non ex parte termini à quo, quia huic termino quintum nihil afferre potest nisi vel vt magis, vel vt minus desinat; at cùm ex Isidoro istius termini à quo nihil substantiale maneat: diceret Caiet. nihil substantiale panis manere, sed tantum prædicatum entis, quod saluatur in corporis Christi entitate, quæ est entitas conuersa. Vbi nihil est, non est quærere vtrum magis, an minus maneat. Vel ex parte termini ad quem; & huic non potest aliud afferre, nisi vel vt non mutetur accidentaliter, vel vt substantialiter; at quodlibet horum factibile est per primum sensum tantum; ergo frustra ponitur secundus. vel ex parte transitus, & hoc non; nam vel hoc quintum requisitum facit transitum faciliorem, vel difficiliorem; non faciliorem, quia tunc transitus fit facilior cum ex transeunte termino à quo remanebit aliquid, quod hic non habet locum. confirmatur, quia sic se habet substantia panis ad substantiam corporis Christi, vt se habet in naturalibus conuersionibus forma ad formam; quia neq; hic, neq; illic determi-

terminatio à quo aliquid manet. at conuersio naturalis non fit facilior, quia succedit terminus ad quem; & quia forma aliqua præcessit. neq; fit difficilior, n am vel est difficilior ex remansione aliqua panis, at remãsio facit facilem transitum; vel ex non remansione; at non remansio erat in primo sensu. Tertium dictum, quod dicit; non esset vera conuersio nisi aliquitas panis saluaretur in corpore Christi; impugnatur. primo ex Scoto: Terminus alicuius mutationis vt sic, includit non esse alterius termini, ergo vt sic non includit aliquid alterius termini. probatur cõseq. quia alioqui esset contradictio si sub eadem ratione formali termini esset compossibile cũ altero termino, quod requirit habitudo inclusi ad includẽs, quia quod alterũ includit cõpossibile est alteri, & simul esset incompossibile per habitudinẽ termini ad terminũ. antecedens prob. quia omnis mutatio fit inter terminos oppositos, & incõpossibiles; ergo terminus vt terminus includit incõpossibilitatem cũ termino; at corpus Christi non habet alium respectum ad panẽ, nisi respectũ termini puri: ergo repugnat habere aliquitatẽ panis. antecedens prob. quia in omni mutatione terminus est purus .i. substantia pura ratione termini, vel est terminus cõmunicans cũ subiecto: at hoc secundũ non est in hac cõuersione; ergo vt primum. Secundo, ex eodem Scoto, corpus Christi nullo alio modo se habet in se post conuersionẽ, quàm ante conuersionem .i. nullum esse habet quod ante non habebat. consequentia patet, quia per id vnumquodq; est tale formaliter, quod habet in se; sed corpus Christi tale est post, quale ante: ergo non habet aliquid post conuersionem, quod non antea. Hinc vlterius. panis non conuersus nullo modo habet aliquam aliquitatem in corpore Christi, ergo neq; postquam est conuersus. probatur conseq. quia tunc faceret vt aliquid haberet post conuersionem, quod non ante. Tertio, sequeretur corpus Christi fieri maius, quia habet aliquitatem quam habebat, & accipit aliquitatem panis. ergo &c. Quarto, si aliquitas panis manet in corpore Christi, vel manet vt formaliter est aliquitas panis, & hoc est hæreticum; quia panis est conuersus, & hoc fatetur Henric. vel vt aliquitas corporis Christi; at hoc non potest esse, quia de aliquitate panis & corporis Christi prædicantur contradictoria; ergo aliquitas vna non est aliquitas altera. prob. quia de aliquitate panis præ-

dicatur est conuersa, & non manet; de aliquitate Christi prædicatur non est conuersa. & manet. Quinto ex Scot. si panis post conuersionem est aliquid, ergo est rei; quia etiam per Henr. res, & aliquid conuertuntur ex Arist. 1. met. 5. tūc quæro, vel est res quiditate sua, vel quiditate corporis Christi; si sua, ergo nō est cōuersa hæc realitas. si realitate corporis Christi, contra; cū quiditatū sit contradictoria distinctio, repugnat aliquid esse quiditate alterius. Quartū dictū est propriū Caietani. Saluatur prædicatū cōmune entis in pane facta cōuersione, sed non est propria, & specifica panis. & licèt Caiet. negat differentiam panis amoueri, & manere genus panis, tamen quia deinde multa alia addit ex quibus id videtur dicere, ideo recensiores meritò hanc illi opinionem imponunt. posito ergo quòd id dicat, sic argumentor: licèt communis ratio entis, vel substantię abstracta per intellectum sit indifferens vt coniūgatur vel cum hac differentia entis, vel cum illa; tamen communis ratio entis postquam existit in rerum natura, non est separabils ab ea differentia cui coniuncta est; ergo falsum est dictum eius. Secundo, esto hæ duę rationes communis, & propria, sint separabiles; tamen hæc separatio esset inutilis; quia cùm corpus Christi habeat suum gradum genericum entis, & substantiæ, non indiget remissione gradus entis qui erat panis. Tertio, vniuersale non habet esse in natura, nisi in aliquo indiuiduo, vel particulari; ergo quo modo manet indiuiduum, etiam manet vniuersale. & quomodo desinit indiuiduum, etiam desinit vniuersale; at per Caietanum particulare panis non saluatur nec in seipso, nec in alio, sed omnino desinit esse; ergo idem est dicendum de vniuersali ente. & sic patent responsiones ad Caietanum. Illud de D. Tho. habet difficultatem. Verba sunt hęc: *cùm Deus sit creator omnis entis, potest ponere quod entitatis erat in vno, ponendo in in alio; ablato quod erat proprium*. Resp. D. Tho. loquitur obscurè. Sed possumus exponere sic: proprium est quicquid est meū, tota autē entitas est mea: & sic sublata tota mea entitate, potest me in aliud cōuertere, & substituere aliud loco mei.

Vigesimumquartum dubium. An substantia panis, & vini annihiletur. Resp. Durand. in 4. d. 11. q. 3. dicit, non annihilari, quia manet materia panis, sed hanc sententiam confutauimus supra, dubio 21. Secunda opinio est Scoti in 4. d.

11. q. 4.

11.q.4. quod de facto nihil substantiæ manet, sed prorsus annihilari. Probat primo, si panis desineret non succedente sibi corpore Christi, annichilatio esset. sed quòd succedat corpus Christi post panis desitionem, non facit aliquid panis manere quàm si non esset successio; hæc ergo successio nihil derogat annichilationi. Confirmatur, quia quod est per se, non variatur per id quod est per accidens; at successio corporis Christi per accidens est, quia Deus potest panem corrumpere ita vt Christum non ponat ibi. ergo &c. Secundo, in hac conuersione sunt duæ mutationes: Prima, ab esse panis ad non esse panis. Secunda, à non esse Christum hic, ad esse Christum hic. Secũda mutatio est positiua quædam mutatio, quia ponit aliquid; sed prima mutatio est merè deperditiua, ergo merè annichilatiua. Probatur antec. quia ab esse mutatur in nihil. Tertio, ex Dur. si panis qui desijt esse debere per Dei potentiam redire, crearetur; ergo nunc est vera annihilatio. Pobatur conseq. quia qui est terminus ad quid annihilationis, est terminus à quo creationis. Probatur antec. quia si panis rediret, cùm non possit educi de potentia alicuius subiecti, ergo crearetur. His non obstantibus. Tertia opinio est communis, quòd non annihilatur. est D. Tho.& Bonau.in 4.d.11.ar. 1.q.3. Riccard. ibid.ar.7. Palud.& Capr.ibid. Marsil.l.4.q.7.ar.1. Egidij Rom. theorem.1.& 2. Henr.quod l.9,q.9. & quodl.11.q.4. & quodl. 12.q.10.& ante hos August. Vict. l.de Sacram.p.8. cap. 9. vbi hanc opinionem recitat vt catholicam. & Innoc.iij.l.4.de myster.miss.cap.20. Probatur esse catholicam doctrinam.nam ratio naturalis docet transubstantiationem, & annihilationem differre plusquam genere. Sed Ecclesia tanquam de fide decreuit panem transubstantiari, ergo decreuit non annihilari, quia ista sunt opposita. Differunt tamen hi doctores in modo dicendi, quo modo non fit annihilatio. Primus modus est Egidij, qui dicit primo, hoc ipso quòd Deus ponit formam Christi sub speciebus panis, materia quæ erat panis fit materia corporis Christi. Probatur, quia tota distinctio numerabilis est à materia. Secundo dicit, facta hac conuersione materiæ panis in corpus Christi, non est annihilatio, quia cùm materia panis nunc sit materia corporis Christi, ergo cùm ex illa materia sit educibilis adhuc forma panis, nõ fuit annihilata, quia fuit redacta in potentiam materiæ. Sed contra hunc multa Scot.

tâ Scot.q.3.ar.2. Mihi verò displicet primo,quia dicit, posita forma Christi hoc ipso materia panis fit materia corporis Christi. displicet; quia materia, & forma se ipsis singulæ indiuiduæ sunt, quia materia est priusquam forma, ergo prius materia hæc,& indiuidua, quàm induceretur forma. Secundo, displicet; quia ponit subiectum commune. Contra; hoc subiectum commune est, vel quia materia panis saluatur, & hoc impugnatum est supra, dubio 21. contra Dur. vel subiectum commune vocatur, quia materia panis, & corporis Christi communicant in esse subiectum: & tunc male dicit; nam si ideo panis non est annihilatus, quia remanet materia altera, videlicet corpus Christi similis sibi ex qua possit educi, sequeretur quòd nihil potest annihilari, quia semper remanet alia materia similis. Secundus modus est Capr. & Palud. Non annihilari panem, quia remanet in potentia obedientiali corporis Christi; quia sicut Deus potuit conuertere panem in corpus Christi, ita potest conuertere corpus Christi in panem. Non placet, quia Deus potest omne ens creatum conuertere in ens annihilatum,& sic nihil esset annihilabile;quia semper aliquid est in potentia obedientiali vt fiat id quod est annihilatum. Tertius modus D.Tho.& Caiet.præsupponit quòd omnis mutatio specificatur à termino ad quem,& non ex termino à quo. Tunc sic; conuersio panis in corpus Christi est vna mutatio quæ terminatur per se in terminum vnum positiuum.s. corpus Christi, & non in nihil; ergo est annihilabile. Ad argumenta secundæ sententiæ Scoti. Resp.ad primum,quòd duo requiruntur ad annihilationem. Primo, vt nihil de re maneat. Secundo, vt nihil succedat rei iam desinenti. in primo conueniunt annihilatio, & conuersio panis. in secundo differunt, quia panis sic est nihil, vt aliquid positiuum ei succedat. Ad secũdum resp. duæ sunt mutationes partiales,& sunt illæ quas ponit Scot. sed vna est mutatio totalis, quia ambæ mutationes fiunt vna numero actione Dei per se. & quia ista actio totalis habet terminum ad quem positiuum, ille specificatur vt non sit annihilatio, sed transubstãtiatio. Ad tertium resp. communiter, quòd creationi sufficit vt fit ex nihilo, vndecunq; sit hoc nihil; siue hoc nihil vnquã præextiterit, siue præextiterit, & desierit non per annihilationem. & ratio est, quia creatio est operatio exigens infinitam virtutem propter infinitam distantiam

stantiam inter terminum à quo, & ad quem; at annihilari nõ sufficit vt nihil de eo maneat, sed opus est, vt nihil ei succedat. Hæc resp. est bona, sed est difficultas; quia si ideo est creatio, quia reductio à quouis nihilo ad esse, habet infinitam distantiam; ergo quicquid sit nihil erit annihilatio, quia eadem est infinita proportio. Dicerem igitur, quòd præter rationẽ dictam; hoc etiam accedit, quia in reditu panis, totalis actio habet terminos proprios creationi, videlicet nihil, & esse; sed in desitione actus totalis non habet terminos proprios annihilationis, quia alter terminus est non esse vnius, & alter, esse alterius. Hucusq; dictum est de termino à quo. Nunc dicamus de termino ad quem, videlicet, quo genere mutationis ponatur Christi corpus in Sacramento postquam substantia panis desijt. Idcirco sit

Vigesimumquintum dubium. An corpus Christi incipiat esse sub Sacramento sine reali mutatione. Resp. & Nota primo, Theologos distinguere duo genera mutationum. in primo ordine sunt mutationes in competentes statui glorioso, vt sunt corruptiuæ mutationes; & sic conuenit inter Theologos Christum fieri præsentem sine vlla huiusmodi mutatione. & hoc est de fide. in secundo ordine sunt mutationes competentes cuilibet creaturæ, vt nunc moueri, vel loqui: aliàs non. Sic etiã adesse, & abesse. & de hoc secundo genere est quæstio. Secundo Nota, Aliter & aliter se habere, aliquando conuertitur cum mutatione, aliquando latiùs patet quàm mutatio: conuertitur, quando id quod aliter & aliter se habet, sumitur vt subiectum passiuum, & receptiuum, at potentiale non conuertitur & latiùs patet quàm mutatio, quando id quod aliter, & aliter se habet non habet rationem receptiui, sed potest habere rationem actiui .i. transit à non agente ad agens sine sui mutatione, & rationem terminatiui.& hoc quatrupliciter, primo, cum est terminus suppositalis, quomodo verbum ex non supponitante factum est supponitans. Secundo, vt terminus alicuius realis mutationis, vt locus immobilis per lationem acquisitus, sic nihil terminat annihilationem. Tertio, vt extremum relatiuum, quomodo siquid habet fundamentum relationis antequam in altero extremo ponatur simile fundamentum, hoc non terminat illius habitudinem, sed post acquisitum alterum terminum, terminat. Quarto, vt obiectum pote-

potentiarum immanenter operantium; vt paries transit à non viso ad visum sine sui mutatione. at si est obiectum potentiarum transeunter operantium, mutari subiectum opus est. Tertio Nota, realis præsentia alicuius in aliquo loco, vel in aliqua re est duplex: vna dimensiua, & ista est effectus proprius quantitatis. altera vocatur à Scoto præsentia simplicis coexistentiæ .i. cum aliquid alteri est præsens, & hæc non est propria quantitatis, sed communis omni enti; nam est substantia; sic est præsens. Quarto Nota, quòd dupliciter potest aliquid fieri præsens vtralibet reali præsentia; vno modo, quia fit præsens simpliciter, & absolutè .i. quia ante nec erat vbi nunc per locum realem, nec per imaginariam; altero modo secundum quid, quia res erat ante ibi præsens secundum locum imaginarium, sed non per locum realem, & tunc acquirit præsentiam per locum realem. Sic vltima sphera est in loco imaginario nunc. at si ei circumponatur alia sphæra, erit præsens per locum realem. His positis, sit

Prima conc. omne ens finitum necesse est si in mundo existat, esse præsens alicui loco realiter vel præsentia simplici, vel quantitatiua. & suppono quòd quicquid ab altero distat, necesse est alicui rei esse præsens. Probatur; quia cùm hæc distantia finita sit, oportet esse tantam, & tantam .i. tantam, & non minorem, nec maiorem: at si distans ab aliquo non esset alteri præsens, non esset ratio cur tantum, & tantum distat; quia hoc debet mensurari ab extremis. nunc probatur conc. omne ens finitum habet finitam sphæram actiuitatis, vt non possit in totum vniuersum, sed in partem vniuersi à se distantē; ergo habet aliam partem sibi præsentem. Confirmatur; quia omne agens cui respondere potest aliquid passum aptum pati ab eo, si illud passum sit vltra sphæram actiuitatis suæ per motum localem, potest hoc agens facere illud passum vltra sphæram actiuitatis suæ per motum localem, potest hoc agens facere illud passum intra sphæram suæ actiuitatis, ergo supponitur esse in loco; quia si potest moueri aliò, ergo alibi erat; quia omnis motus est à termino à quo in quo est, ad terminũ ad quem quem acquirit. Secundo, vt se habet diuersum ad idem, ita distans ad præsens; quia sicut se habet esse simpliciter ad non esse simpliciter, ita esse hic ad non esse hic: sed diuersum, & idem opponuntur secundum esse & non esse simpliciter;

citer; distans, & præsens opponuntur secundum esse hic, & nõ esse hic; sed inter diuersum, & idem repugnat dari medium; ergo quicquid est in mundo vel est alteri præsens, vel distans. Probatur conseq. quia duo requiruntur vt aliquid sit diuersũ alteri, vnum vt existat in mundo; alterum, vt non sit illud. Sic etiam duo requiruntur ad esse distans: vnum, esse in mundo; alterum, non esse ibi.

Secunda conc. Non repugnat aliquid incipere esse in loco secundum quid, sine sui reali mutatione vlla. Prob. quia vltima sphæra nunc est in loco secundum quid; & si circumponatur sphæra, accipit locum secundum quid sine sui mutatione. Sic etiam Deus incepit esse in mundo secundum quid, & si Angelus ponatur in vacuo, & postea opponatur corpus; incipiet ibi esse secundum quid sine sui mutatione.

Tertia conc. Repugnat etiam per Dei potentiam absolutã esse aliquid in loco simpliciter sine sui reali mutatione. quare etiam corpus Christi incipit esse sub Sacramento in quo prius non erat, necesse est mutari realiter. Probatur primo, sicut se habet non esse simpliciter ad esse simpliciter, ita se habet non esse hic, ad esse hic; sed repugnat aliquid transire à non esse simpliciter ad esse simpliciter sine sui mutatione reali simpliciter facta, quæ recipiatur in ipso tanquam in potentiali receptiuo; ergo repugnat aliquid à non esse hic, transire ad esse hic sine mutatione secundum quid, quæ fit in ipso secundum esse potentiale. Secundo ex Okan. Respectus præsentiæ realis requirit aliquod fundamentum, & hoc non potest esse esse absolutum rei præsentis, nec loci cui fit præsens; ergo est aliquid medium inter locatum, & locum. Probatur antec. quia stat locatum existere in mundo, & locum existere in mũdo sine reali ipsorum præsentia: ergo &c. quod commodè applicatur Christo: quia si ipsius esse absolutum, & si esse absolutum panis, vel specierum panis esset fundamentum istius præsentiæ, sequeretur quòd posito Christo in mundo, & facto quolibet pane, oporteret statim Christum fieri præsentem; præsertim si Deus spoliaret panem substantia. quod est falsum. Tunc vlterius; Hoc fundamentum medium non est quid incausabile, quia est ens creatum, nec est causabile nisi in subiecto quod fit præsens, ergo hoc subiectum quod fit præsens recipit aliquam causationem in se: & hoc est mutari. Confirmatur

matur ex eod. Variato subiecto, variatur etiam respectus presentiæ. Sed subiectum presentiæ tam ad species, quàm ad locum specierum facta conuersione variatur; quia ante subiectum huius præsentiæ erat substantia panis, nunc verò corpus Christi; ergo variatur respectus. at id cui primò acquiritur respectus est veræ mutationis, tale est corpus Christi. Concludimus igitur contra Dur. in 4.d.11.q.1. Christum fieri presentem Sacramento per realem sui mutationem. & contrariū repugnare etiam diuinæ potentiæ, videlicet fieri præsentem vbi non erat sine sui mutatione. Ita Scot. in 4. d. 10. q.1. ar. 1. OKan.l.4.q.4.& quodl.5.q.3.Gabr.l.46.in can.miss.

Vigesimumsextum dubium. In quo genere motus sit illa mutatio, qua Christus ponitur in Sacramento. & quænam sit illa actio, quæ replicat vnum corpus in duobus locis. Resp. D.Tho.& Scot. sentiunt non posse aliquid esse præsens vbi non erat ante nisi vel per motum localem, vel per conuersionem alicuius in ipsum. Scot. autem quem sequitur Gabr. ferè idem dicit .s. quòd potest aliquid fieri loco præsens per duplicem transubstantiationem; vna dicitur ab ipso adductiua .i. motus localis. alia productiua, & hanc puto respondere conuersioni positæ à D.Tho. quia conuersio species est productionis. Scot. verò vt vniuersaliter loqueretur, & complecteretur conuersionem naturalem, quæ est generatio, & supernaturalem quæ est creatio, vocauit nomine generico productionis. quæ opinio vera est, licèt neq; à Scoto probetur, neq; à D.Thoma. vt verò probetur, suppono primo, quòd illa actio per quam ponitur res in loco nouo, non potest imprimi alteri subiecto nisi rei ponendæ in loco nouo; quia ipsamet res recipit hunc actum transeuntem per quem transponitur. Secundo, suppono quod ista actio debet fieri ibi vbi res præerat; quia si non fieret ibi, non imprimeretur rei tanquam subiecto. Suppono tertio, quamcunq; rem antequam in locum nouum transferetur, non posse præexistere, vel præesse, nisi vel in potentia causæ, vel actu, & in loco aliquo. His positis, Dico: Res antequam transferetur aliò, non potest præesse nisi vel in potentia causæ, vel actu; si in potentia causæ, debet inde extrahi vt hic ponatur; & hoc est produci. Si actu præcedebat in loco, & debet transferri inde vbi præerat, debet transferri vel successiuè, vel istantaneè; si successiuè, est motus localis; quia hæc

est

est definitio motus localis, vt sit acquisitio successiua loci noui. transferri verò instantaneè, repugnat; quia hæc translatio vel fit non per transitum medij, vel per transitum; neutrum, ergo &c. non sine transitu medij, quia hæc mutatio transpositiua vel afficit rem dum est in termino à quo, vel ad quem, vel vt in medio; non à quo, quia ibi quiescit; non ad quem, quia etiam ibi quiescit; ergo in medio; ergo transit per mediũ. Si transit per medium, non potest transire nisi successiuè; quia si in medio sint multa loca adæquata transeunti, iam id quod transit esset in multis locis adæquatis simul. Dices, hoc argumentum solum probat naturaliter, non supernaturaliter. Resp. quòd etiam supernaturaliter hæc replicatio corporis nõ potest fieri nisi vel per motum localem, vel per productionem; nam hæc replicatio debet transferre rem vbi inuenit. Vel ergo inuenit in potentia causæ, & erit productio; vel inuenit in actu, & tunc transferet vel traducendo per omnia media vnũ post aliud successiuè, & erit motus localis. vel transferet per quædam media, & tunc licèt D. Tho. concedat quòd potest Angelus transire ab extremo ad extremum sine medio, tamen non negabit quòd per simplicem coexistentiam sit in medio. Finge enim terminum à quo esse A. medium B. terminum ad quem C. quando res est in A. est circa medium. cum est in C. est vltra medium: ergo est transposita vltra B. cum est in C. ergo aliquando fuit in B. quia repugnat aliquid esse in trãsposito esse vltra aliquid. & quòd nunquam fuerit in transponi. Sed hoc fuit in transposito esse vltra B. ergo aliquando fuit in transponi in B. ergo aliquando fuit in B. vel tertio transferet per omnia media instãtaneè, & hoc potest fieri per productionem, & non per translationem; quia cùm res ponitur in loco per solam productionem, non pendet nisi à causa productiua, quæ si præfuit in loco nouo, potest ibi operari. & quia Deus est vbiq; ideo si vult, se ipso in instanti potest rem vbiq; ponere. Sed si hæc positio non fiat per productionem, sed per translationem, tunc hæc positio pendet, primo ex impressione cuiusdam traslatiuæ mutationis. secundo à reipsa vt in loco præexistente, quia hæc mutatio non potest imprimi nisi rei vbi ante præfuit; at præfuit hic, ergo hic debet imprimi actio. & cũ hæc actio nõ faciat aliquid de nouo, sed esse quod ibi fuit huc transfert, debet transferre per medium. Obijcies. alimentũ

cum conuertitur in animal præexistens vbi non priùs erat anima nostra, anima incipit esse in alimento; peto per quem motum? non per localem neq; per productionem; non enim anima mouetur localiter, quia est forma; ergo non mouet seipsā. Resp. anima bruti esse ibi per sui productionem partialem; anima verò rationalis incipit esse ibi per verum motum localem, non quidem animasticum .i. qui sequatur apprehensionē, & appetitum, sed naturalem, vt lapis mouetur; idq; hoc modo, quia ipsa anima sæpius tota est in se, aliquando verò sui totalitatem per alimentum extendit. Igitur Sacramentalis conuersio in Sacramento cùm differat à verbo in assumptione hypostatica cum natura humana, quia cùm verbum sit præsēs in omni loco, & creaturæ, idcirco non opus habet motu locali, & productione: in Sacramento verò quia Sacramentalis conuersio supponit veram distantiam inter Christum in cœlo, & in Sacramento, non potest vinci hæc distantia inter Christum, & panem, nisi vel per motum localem, vel productionē. quod si fingatur non esse distantiam inter Christum, & panem, concederem posse fieri hanc conuersionem sine productione, vel motu locali. Vt si Christus se penetraret cum pane.

Vigesimumseptimum dubium. An fit per motum localem, an per productionem. Resp. est communis opinio Christum non fieri præsentem in Sacramento per motum localem. differunt in rationibus. Prima ratio, quia omnis motus localis debet fieri successiuè; at conuersio panis est instantanea, ergo non per motum localem. Et hic nota, quod si quando Gregorius, & alij Patres dicunt, aperiri cœlum, & Christum descendere, sunt exponendi tropicè, sicut in incarnatione, cum dicitur verbum descendisse. hæc ratio est necessaria, & demonstratiua, & puto esse de fide. Secunda ratio est D. Thomę, si per motum localem fieret præsens, cogeretur cœlum relinquere. Hæc ratio impugnatur à Scoto. Sed puto rationem D. Thomæ esse demonstratiuam, quia repugnat idem secundum idem eodem loco & tempore quiescere, & moueri. Sed si manens in cœlo Christus per motum localem acquireret locum in Sacramento, idem secundum idem eodem loco & tempore quiesceret & moueretur, quia cum corpus replicatur idem numero, quamuis maneat vnum entitatiuè, tamen fit tanquam duo localiter. & vt est in loco in quo ante erat dicatur A. &

vt

vt fit alterum localiter, dicatur B. tunc sic; hic motus localis qui imprimitur huic corpori, imprimitur vt A. vel vt B. si vt A. sequitur contradictio, quia vt A. quiescit per suppositum nostrum, videlicet, quia remanet ibi, & mouetur: quia imprimitur motus. neq; corpori vt B. quia nullum accidens facit sibi subiectum tale, quale si non esset non potest ab eo recipi; sed tale subiectum supponit vt prius natura. Sed hoc corpus vt est B. fit per motum ipsum, nam ante motum erat A. per motum fit B. ergo non potest imprimi ipsi B. quia fit B. per motum localem. Confirmatur; quia in motu locali ordinario quia subiectum motus est tantum in loco vno, non potest simul quiescere, & moueri; ergo repugnat vt remaneat vbi ante erat, & moueatur. Obijcies. in augumentatione anima rationalis quiescens in corpore, mouetur ad nouam partem corporis, & quidem eadem tota, ita vt tota quiescat & moueatur simul. Resp. eadem anima tota mouetur, & quiescit, sed non secundum eandem totalitatem, & replicationem: & quia in corpore nō præexistunt hæ multæ totalitates, sed vna, ideo si tota moueretur simul & quiesceret, secundum eandem totalitatem fieret. Tertia ratio D. Thomæ, quia si localiter moueretur, non posset simul consecrari in diuersis altaribus. hæc ratio bona est; & confirmatur, repugnat idem secundum idem moueri ad diuersos terminos diuersis motibus; at hoc sequeretur si simul moueretur ad duo altaria diuersa; quia si termini sunt diuersi, id quod est in ambobus terminis debet esse diuersum, saltem localiter; at hæc non solum est in terminis, sed etiam in vijs; ergo id quod est in diuersis vijs, & medijs, debet esse diuersum localiter. & hæc diuersitas localis supponitur in ipsis substantijs, non autem debet fieri per motus.

Vigesimumoctauum dubium. An hęc mutatio licèt non sit propriè & simpliciter motus localis, sit tamen motus localis impropriè, & secundum quid. Resp. Scot. in 4. d. 10. q. 1. ar. 1. & quodl. q. 10. Gabr. l. 46. & 50. in can. miss. dicunt, hanc mutationem non esse motum localem propriè. Sed verè esse motum localem diminutè. Nota primo, quòd in motu locali secundum Scot. quando vnum corpus alterum expellit, fiunt quatuor mutationes, & sunt octo termini. Duæ mutationes sunt ex parte corporis expellentis; duæ ex parte coporis expulsi.

pulsi. Prima mutatio fit à termino positiuo à quo, ad terminum priuatiuum eiusdem ad quem .i. amittit terminum quem habebat, acquirit terminum quem non habebat. Secunda mutatio à termino priuatiuo à quo, ad terminum positiuum ad quem .i. à non esse hic, ad esse hic. Tertia mutatio, ex parte corporis expulsi, respondet primæ corporis expellentis. & quarta secūdę. Nota secūdo, si corpus quod acquirit locū de nouo posset nō expellere corpus quod ibi præerat, essent duę mutationes tantum; videlicet duæ primæ. Nota tertio, si corpus expellens posset non solum non expellere alterum corpus, sed etiam non relinquere locum in quo erat: fieret tantum vna mutatio, videlicet à non habendo locum nouum. His positis, contēdit Scot. motum localem habere in Sacramento hanc tantum mutationem. Probatur primo, quia corpus Christi non amittit locum in quo erat. Item, non expellit substantiam panis ex se, quia possent esse simul, quamuis non sit substantia panis ex beneplacito Dei. Secundo, quia motus localis propriè fit ad acquirendum vbi, quod sit circumscriptio passiua locati à locante; at Christi præsentia non est vbi, sed est simplex præsentia; quid verò est hæc simplex pręsentia? dicit primo, non esse relationem continentiæ, quia relatio præsentiæ reciproca est, non autem continentiæ. Dicit secundo, quòd hæc præsentia potest reduci ad vbi, quia licèt non sint nisi decem pręedicamenta, tamen Philosophi non assignarunt definitionem prædicamentorum ita latè vt oportuit; quia necesse erat ponere prædicamentum realis præsentiæ, & hoc subdiuidere in præsentiam commensuratiuam, & simplicem. idē dicit d. 11. q. 3. ar. 2. & concludit, hanc translationem non esse productiuam, sed adductiuam, quia affert præsentiam Christi. ita Scot. & Gabr. Ego puto hanc opinionem non posse defendi. & probatur ijsdem rationibus præcedentis dubij. primo, hæc mutatio loci necessariò debet esse successiua, quare non est competens Sacramentis. prob. antec. quia successio est intrinseca loci nouæ acquisitioni, non propter derelictionem loci præhabiti, nec propter expulsionem corporis à loco in quem venitur; quæ Scot. putat deesse huic mutationi. Sed est intrinseca propter distantiam, quæ non potest transiri nisi successiuè. & quia Scot. cogitur inter Christum in cœlo, & in altari ponere distantiam, cogetur etiam ponere successionem.

Secundo,

Secundo, quia mutatio transpositiua quæ nec relinquit locum, nec expellit corpus quod prçerat, debet imprimi corpori Christi, & si imprimitur dum est in loco præhabito, simul mouetur & quiescit. si in alio, ergo iam supponitur motus, per quem fit corpus factum extra locum præhabitum. Tertio, quia hæc transpositio est transitus ad diuersos terminos .i. ad diuersa altaria. quare si sunt diuersa media ad altaria diuersa, debent supponi multa corpora localiter, & non debent fieri per hanc mutationem.

Vigesimum nonum dubium. Cùm ostensum sit hanc mutationem non esse motum, quæritur, An hæc mutatio sit productio? Resp. Scot. & Gabr. mordicus contendunt non esse productionem. prob. primo, quod habet esse iam substantiale, non potest illud accipere, quia ideo philosophi inter principia generationis posuerunt priuationem; at produci est acquirere esse substantiale, ergo illa mutatio in Sacramento non est productio. Secundo, sequeretur quòd esset vera creatio, quia fieret ex non subiecto; panis enim non est subiectum, sed terminus à quo; ergo quando Christus desinit esse in Sacramento, tunc annihilaretur; quia nihil apponit vt corruptiuum creationi nisi annihilatio. Tertio, productum & productio sunt vna res; tunc quæro, vel hæc productio per quam in Sacramento fit, est diuersa ab illa quæ est facta in vtero Virginis, vel eadem; si diuersa, ergo Christus diuersus; si eadem, tunc sequitur quòd idem motus, & eadem actio successiua rediret eadem numero; quod repugnat; quia vnitas motus sumitur ex temporis vnitate. Quarto, si in cęteris mutationibus miraculosis potentia passiua creaturæ terminata naturaliter iterum est terminabilis sine sui noua productione, cur nō idem dicemus in hac mutatione? Confirmatur; quia ad multa propria spiritibus corpus est eleuabile sine sui productione; ergo ad hoc etiam; videlicet, est bis totum, quod est proprium spiritus, corpus erit sine sui productione eleuabile. Quinto, Christus per consecrationem vel acquirit esse simpliciter, ergo supponitur nunquam fuisse; vel acquirit esse hic, at hoc est accidens, videlicet noua vbicatio; ergo non est productio quæ terminatur in substantia. Sexto, cùm productio creaturæ sit mutatio substantialis, est in competens statui gloriç, cui repugnat etiam mutatio accidentalis. Hęc sententia non est bona,

bona, ideo pro solutione argumentorum sit hæc

Conc. Actio, qua ponitur Christus in Sacramento non est simpliciter vlla species mutationum, quas philosophi cognouerunt, sed est singularis, & ineffabilis mutatio (vt dicitur à Concilio Trid.) participans eminenter aliquid de singulis mutationibus .i. sine imperfectione. Hęc conclusio fuit Halens. 4.p.q.10.m.5.ar.3.§.4. quem refert, & sequitur Bonau. in 4. d. 11.ar.1.q.2.& Riccar.d.16.ar.1.q.5.ar.6. Alber.d.16.ar.5. D. Tho.ibid.q.1.ar. 3.q. 1. & 3. prob. de singulis mutationibus. Primo, hæc mutatio differt à motu locali, quia nec fit successiuè, nec per medium. Item, quia non relinquit locum in quo pręfuit. Item, quia simul ad diuersa altaria tendit. Conuenit verò, quia acquirit nouam, & realem præsentiam ad species, & locum specierum. Secundo, conuenit cum augumentatione, quia hoc corpus quodammodo extenditur ad plus spatij, vel ad plura spatia recuperanda. Differt verò, quia hoc plus spatij non acquirit per veram extensionem, nec per nouam quantitatem, sed per sui realem replicationem. Tertio, conuenit cum nutritione, quia nutritio est mutatio alimenti ad præexistens aliquid; ita in hac conuersione est mutatio substantialis panis in Christum præexistentem. Ideo Damasc.l. 4.cap. 14.comparat hanc mutationem nutritioni. Differt verò, primo, quia non est conuersio partialis, vt in nutritione, sed totalis. Secundo, quia in nutritione aliquid substantiale alimenti remanet in nutrito, scilicet materia; hic verò nihil. Quarto, conuenit cum alteratione, quia corpus Christi ponitur realiter sub nouis qualitatibus, & quasi acquirit nouas qualitates. Differt verò, quia acquirit has qualitates nō per modum formæ, & subiecti, sed per modum continentis, & contenti. Quinto, conuenit cum naturali conuersione, quia est mutua successio duarum substantiarum ex vi vnius, & eiusdem actionis. Differt verò, quia deest subiectum commune in quo, & ex quo se expellant substantiæ succedentes. Sexto, differt à creatione; quia corpus Christi fit ex aliquo; at creatio non fit ex aliquo. Conuenit, quia neutrum fit ex subiecto; sed corpus Christi fit ex pane tanquam ex termino. Septimo, differt à productione sumpta in genere. Primo, quia productio est acquisitio prima esse non præexistentis; at hic est esse præexistens. Secūdo, quia hęc mutatio corporis Christi emi-

eminenter continet omnes mutationes, quod non competit productioni. Conuenit verò, quia sicut per productionem accipitur esse substantiale, ita per hanc mutationem; & quia in conuenientijs, & differentijs cum alijs mutationibus omnes doctores conueniunt, tamen in productione discrepant; negant enim posse dici productionem? Ideo hoc mihi nunc est probandum. probatur igitur primo, Concilia, & Patres definierunt istam mutationem esse veram, & realem conuersionem; sed in omni genere linguarum, & in omnibus scripturis cum ponitur conuersio substantiæ in substantiam semper denotat quandam speciem productionis; quare si dicimus esse conuersionem, dicimus etiam esse productionem. Dices, quòd eadem conclusio, & patres faciunt quædam peculiaria huic conuersioni, quæ non conueniunt alijs productionibus. Ideo &c. Resp. quòd duo sunt peculiaria conuersioni. Primo, quòd hæc conuersio est in præexistens; at supra probatum est posse reproduci præexistens. Secundo; quia in hac conuersione est desitio formæ, & materiæ; in alijs verò solius formæ, sed hoc magis fauet productioni, quia id est magis productio, quod magis dat esse totius; at magis dat esse totius totale quod sic conuenit vnum in aliud, vt nihil conuersi saluet in termino conuersionis; ergo &c. Secundo probr. Christus secundum fidem acquirit nouam, & realem præsentiam vbi ante non erat, .s. in altari; sed supra probatum est non posse aliquid incipere esse vbi ante non erat nisi vel per motum localem, qui repugnat; vel per productionem; ergo &c. Tertio, corpus non eleuatur regulariter ad conditiones præsertim positiuas proprias substantijs immaterialibus, nisi prævia, vel media aliqua mutatione; quia indiuisibilitas non datur corpori, nisi depta quantitate. Item, penetratio non datur in corpore nisi per mutationē impedientem ne quantitas quantitatem excedat. Item, impassibilitas non datur corpori nisi per nouum vigorem, sed replicabilitas est propria spiritus, quia ex sui esse plenitudine habet multas sui replicationes; ergo si datur corpori, debet dari per mutationem. Vel ergo per motum localem, & hoc repugnat; vel per productionem; ergo &c. Quarto, ex Scot. Gabr. & Okan. & omnibus præter Caiet. Deus poterat ponere Christum in Sacramento ante eius incarnationem, sed illa impositio ante incarnationem fuisset

vera productio; ergo & nunc, quia preexistentia Christi in cœlo non variat naturam actionis reponentis Christum in Sacramento, cùm sit illi extrinseca, & per accidens, & impertinens, ac si nusquam esset. Quinto, Christo competit duplex esse, substantiale, & præsentiale, vel locale: quæro, vel Christus per hanc conuersionem Sacramentalem accipit solum esse locale, & hoc est hæreticum; quia non esset hic substantialiter. Vel solum substantiale, & hoc est hæreticum, quia non esset hic substantialiter. Vel solum substantiale, & hoc est hæreticum, quia reuera est præsens Sacramento. Vel habet vtrunq; & tunc quæro, istius mutationis vtrum esse sit terminus primus, & formalis istius mutationis? Primo resp. potest, quòd terminus primus sit esse substantiale, ad quod deinde sequatur esse locale; sed hoc est produci. Secundo, quòd sit esse locale, & hoc est hæreticum; quia esse locale accidens est, & si hæc conuersio terminaretur in accidens, esset transaccidentatio, non autem transubstantiatio. Scot. conatur soluere: sufficie (ait) ad naturam transubstantiationis quòd ibi substantia ponatur materialiter .i. quãuis non acquirat esse substantiale. Hoc effugium est peius opinione; quia transubstantiatio non specificatur à substantia sumpta materialiter, sed sumpta formaliter, quia debet esse acquisitio esse substantialis; alioqui omnis motus localis esset transubstantiatio. Deniq; omnes patres frequenter inculcant in hoc Sacramento Christum fieri substantialiter. Et aliquando vtuntur hoc verbo productionis, vel æquiualenti. quare

Ad argumenta Scoti. Resp. ad primum sufficit priuatio, ibi debet produci; quòd verò sit alibi, impertinens est. Ad secundum dicetur infra. Ad tertium cùm productio sit modus dependentiæ, & posterior, multiplicabilis est, non multiplicato priori. Ad quartum, de alijs concedo; de hoc nego. & ratio est, quia ista replicatio ponit substantiam in loco; ergo vel ipsam adducit ex causa vbi præfuit, & est productio; vel ex loco in quo præfuit per motum localem, & hoc est confutatum. Ad quintum resp. quòd incipit esse simpliciter, quia terminus formalis huius inceptionis est esse substantiale, non esse locale. Hic vero, quia locus concurrit non vt terminus primus mutationis, sed vt naturale consequens, & vt conditio sine qua non. Ad sextum, resp. primo, concedo esse substantialem

stantialem mutationem, sed competentem statui glorioso; quia ista mutatio primo non est deperditiua, sed acquisitiua. deinde acquisitiua rei quam habere est gloriosum .s. esse gloriosi. praeterea non supponit acquisitionis imperfectionem. .s. non habere quod acquirit. Secundo resp. non esse mutationem substantialem; quia non est productio noua, sed conseruatio primae productionis facta hic. i. Deus eandem actionem qua produxit Christum, ipsum conseruat, & eandem replicat in altari. & hunc modum puto esse castigatiorem. & sic volo omnes loquamini. & hoc in reuerentiam huius Sacramenti. Sit nunc

Secūda conc. Ista actio licèt simpliciter nulla sic naturaliū mutationum, tamen propriè, & simpliciter dicitur conuersio Sacramentalis, seu transubstantiatio. Ad probandum hāc conclusionem vtar definitione conuersionis secundum suum praecisum esse metaphysicum: conuersio est vnus à tota substantia in totam substantiam naturaliter sibi incompossibilē transitus, ex cuius vi sequatur vnum fieri ad alterius desitionem, & esse vbi alterum fuit. (Vnus transitus) primo à priori sic; conuersio est mutatio, & talis mutatio. quā mutatio est, afficit duos terminos, à quo, & ad quem. quā verò est talis mutatio, afficit terminos sic .s. vnum destruendum, & alterū sufficiendo in locum alterius. tunc vel sufficit vna actio vtriq; termino sic afficiendo, ergo quaecunq; alia actio addatur, erit impertinens. vel requiruntur duo, & tunc harum duarū actionum ea est conditio, vt vnius ad alterum sic naturalis dependentia, & connexio, & potentialitas, & sic est pro nobis; quia tunc erit vna mutatio totalis conflata ex duabus partialibus; quia ex duobus fit vnum, cùm praesertim vnum sit in potentia ad aliud. Vel nulla est dependentia vnius ad alterum; & tunc sequitur conuersionem esse vnum aggregatum per accidens ex duabus mutationibus specie differentibus. Secundo, probo idem à posteriori; si conuersio non requireret vnitatem actionis, sequeretur omnem duarum rerum mutuam successionem in eodem loco, vel subiecto per plures actiones esse conuersionem ex quo, vt ait Altisiodor. tract. 1. de Euchar. cap. 1. q. 2. sequeretur quòd praeceptor praeceptori in eadem cathedra ad legendum succedens, in eum mutaretur. Neq; obstat remansio abeuntis, quia con-

uersio non requirit essentialiter interitum abeuntis; vt patet ex anima rationali cum discedit ex corpore, & corpus in aliud mutatur. Secundo, sequeretur omnem motum localem esse conuersionem; quia omnis motus localis excludit vnum corpus pro altero ponendo. Tertio, sequeretur omnẽ agriculturã esse conuersionem quando vellet vnam plantam in locum alterius inserere. Quarto, sequeretur successionem generationum in politijs humanis esse veram conuersionem, videlicet, antiqui Romani essent conuersi in nouos. (à substantia in substantiam) ratio est; nam omnes aliæ combinationes terminorum in mutationibus sunt impertinentes ad hanc conuersionem; nam si transitus est à non ente ad ens, est creatio; si ab ente ad non ens, est annihilatio; si à non ente ad non ens, nihil est; si à quolibet ente ad quodlibet ens, nõ est necesse vt sit conuersio, vt patet in accidentarijs mutationibus. Vnde non est alia combinatio nisi quòd transeat à substantia ad substantiam. (In substantiam naturaliter sibi incompossibilem) non dico simpliciter quòd vna substantia alteram excludat, quia posset excludere effectiuè, quomodo si vna substantia exclusiua alterius, effectiuè corrumpatur vt altera conseruetur, vel fiat: non è conuersio. Sed requiritur vt sit exclusio formalis; ratio est primo, ex inductione naturalium conuersionum, in quibus nunquam fit conuersio nisi quando forma vna est alteri formæ incompossibilis, nam si compossibilis sit, non est conuersio: vt multi censent de formis elementorum in mistis. Secundo, quia debet esse vnica operatio: quærò ista operatio quæ corrumpit conuersum, & trãsformat in hominẽ conuersiones, vel est mera subtractio operationis, & tunc non est conuersio; quia per hanc terminus ipsius conuersionis reperitur vbi ante non erat, at non potest aliquid poni vbi ante non erat per subtractionem solam actionis; nam vel est actio positiua, & tunc vel actio ponit aliquid compossibile cũ altero, vel non; si non; habetur intentum. si primum, ergo posito hoc per hanc actionem, requiritur deinde alia actio quæ excludat aliud: ergo erunt duæ actiones, ergo non erit conuersio. Tertio, actio corruptiua vnius vel simul est alterius productiua, & sic constat harum formarum incompossibilitas, cùm esse vnius sit connexum cum non esse alterius. Vel actio corruptiua vnius non est alterius productiua, & tunc esset mera suc-

ra successio; quia non esset actio quæ vtrunq; terminum afficiat. (ex cuius vi sequeretur vnum fieri ad desitionem alterius) .i. terminus conuersionis non debet solum affici aliqua actione ponente ipsum, sed etiam faciente ipsum, ratio, quia terminus conuersionis incipit esse vbi ante non erat .i. vbi præfuit conuersum; ergo vel per motum localem, vel per sui productionem. Si secundum habemus intentum. Primum verò esse non potest, quia motus localis quamuis faciat successionem naturalem incompossibilium, non est conuersio. Confirmatur, quia conuersio à Philosophis numeratur inter species productionum, ita vt dicatur fieri aliquid ex alio, ad differentiam creationis. Confirmatur, quia sequeretur si Deus nunc crearet formam ignis extra materiam, & post annum hanc formam poneret in materia aquæ vt formaliter excluderet formam aquæ, sequeretur inquam, quòd esset conuersio. Sed non est; quia id quod succedit, non fit, sed erat factum antea. (& esse vbi alterum fuit) .i. debet acquirere idem vbi, vbi erat aliud. probatur primo inductione; quia in naturalibus conuersionibus ordine sibi in eodem susceptiuo succedunt. Secundo, quia si non esset idem vbi, ac receptiuum vtriusq; non esset exclusio terminorum. ideo enim excluduntur, quia simul esse non possunt. Confirmatur, quia si reciperetur in diuersis vbi, non posset esse vna actio vtrunq; terminum afficiens. Confirmatur secundo, quia alioqui sequeretur non esse maiorem rationem cur conuertatur hoc in hoc, quàm in quodlibet aliud; quia non magis attingeretur hoc ab illius desitione quàm quodlibet aliud, si non esset actio vtriusq; in idem vbi. (à tota substantia in totam substantiam.) dupliciter transit tota in totam: Primo, totaliter .i. secundum quodlibet sui, & hoc est propriè transubstantiatio. Secundo, non totaliter; quia quamuis manet ratio totius, tamen manet pars totius .s. materia. & hæc est conuersio vniuersalis. Dico secundo, quod cùm conuersio sit quædam productio, & productio ordinetur ad existere, sicut esse simpliciter est totius, ita etiam conuerti & produci est totius. contra verò, sicut esse secundum quid conuenit esse formæ, & cuilibet parti, ita produci, & conuerti (quamuis secundum quid, & impropriè) conuenit esse formæ; quia esse secundum quid etiam conuenit formæ. Ex his soluuntur quædam alia dubia.

Trigesi-

Trigesimum dubium. An sit possibile per Dei potentiam absolutam quodlibet ens conuerti in quodlibet ens. Resp. prima opinio est Scot. in 4. d. 11. q. 1. 2. & 3. & Gabr. l. 40. super can. miss. & Caiet. 3. p. q. 75. ar. 4. & forte D. Tho. huc inclinat, & est responsio affirmatiua. i. posse per Dei potentiam conuerti quodlibet accidens in quamlibet substantiam; & corruptibile in incorruptibile; & contra: tantum sit ens. Fundamentum est, quia plus distat ens, & non ens, quàm ens & ens. sed per Dei potentiam non ens potest transire in ens; ergo ens in ens. Secunda opinio est Dur. in 4. d. 11. q. 2. & est negatiua. Fundamentum primum est ex August. l. 7. in Genes. ad lit. cap. 4. & Boet. l. de duab. nat. cap. 7. vbi dicunt nullo modo posse corpus cõuerti in spiritũ nec spiritũ in corpus. Secundo, quia cõuersio requirit intrinsecè incompossibilitatẽ formalem terminorum; at multa sunt entia quæ non repugnant simul esse; ergo non possunt esse termini conuersionis. Tertio, non esset ratio cur non posset quælibet creatura conuerti in Deum, & rueret argumentum præcipuum contra Eutychetem dicentem humanitatem assumptam conuersam fuisse in diuinitatem; at si in quodlibet ens conuerti posset, cur non in Deum? cùm præsertim isti autores dicant non esse necessariam remansionẽ vllius partis termini conuersi, & non esse necessariam mutationem termini in quod conuertitur. Gabr. & Scot. effugiunt; quia conuersio debet esse cum aliquid desinit vt per aliud fiat, vel conseruetur. potest autem Deus destruere aliquam creaturam ea lege, vt nisi eam destrueret, non conseruaret aliam creaturam; hoc autem non cadit in Deum, quia Deus non eget conseruatione. Hoc effugium est macrum. Dico enim sequeretur, quòd si quis haberet duos greges vnum hominũ, & alium asinorum, & dicat, ego non possum vnum conseruare nisi alium interficiam, quia non possum alere, sequeretur quòd conuerteret homines in asinos. Secundo à priori. id quod desinit, vel antequam desineret afficiebat, vel aptum erat afficere terminum conuersionis aliqua actione læsiua, vel non; si secundum, sequitur quòd desitio vnius est impertinens ad illius conseruationem. si primum, sequeretur inter multa entia non posse fieri conuersionem; quia multa entia sunt pacifica ita vt vnum aliud non corrumpat. Ad fundamentum Scoti dico primo, quod inter non ens, & ens, non est propria

conuer-

conuersio; tamen si esset conuersio possibilis, concedo quòd etiam quodlibet ens conuerteretur in quodlibet. Secundo dico, quòd non implicat transitus à non ente ad ens, quia fit infinita virtute supplente quicquid non est rei quiditatiuum; at non est de rei quiditate vt fiat ex aliquo. Contra verò, quia terminorum incompossibilitas est quiditatiua conuersioni, non potest Deus illam supplere.

Trigesimumprimum dubium. Cùm dicat fides conuerti panem in corpus Christi positum in altari; quæritur, An possit conuerti in Christum vt in cœlo manentem, nec in altare descendentem? Resp. Scot. Dur. & Gabr. affirmant, ita vt species panis remaneat in altari, & tamen dicatur panis conuerti in corpus Christi in cœlo. Capreol. limitat hoc.s.si species panis trasferatur in cœlum, & circumuelet corpus Christi. Tertia opinio est OKan. qui negat.

Prima conc. Opinio Scoti est mala. prob. quia desinente substantia panis, non esset ratio cur conuertatur panis in Christum potius quàm in Franciscum; quia actio quæ determinat terminum conuersionis, vel est actio purè immanens in intentione tantum, & tunc non esset conuersio realis, sed conuersionalis: Vel fit per actum transeuntem; ergo hic actus vel transit in Christum, vel in panem, vel in vtrunq; si in Christum, ergo Christum mutat. Si in panem, ergo vel hæc actio est non conuersiua, vel conuersiua; si non, ergo repugnat Christum esse terminum conuersionis. Si conuersiua, ergo necessariò facit, & ponit terminum conuersionis. Confirmatur, nam alioqui non esset ratio cur hic panis possit in Deum conuerti: alia ratio, quia Christus facta hac conuersione, vel acquirit realem habitudinem termini conuersionis ad panem, vel non: si non, ergo nihil facit: si adquirit, ergo per fundamentum aliquod in ipso positum. de hoc fundamento ego quæro. Quare fit

Secunda conc. etiam si species Sacramentales desinente subiecto transferantur ad circumuelandum Christum in cœlo, non esset conuersio. prob. quia id tantum fieret duabus actionibus, vna destructiua panis; alia transpositiua localiter specierum è terra in cœlum. & conuersio est vna actio. Secundo, istius mutationis terminus primus, & formalis esset substantia materialiter, & non formaliter; ergo non esset conuersio.

prob.

prob. antec. quia id quod circumuelatur his speciebus, substantia est; sed non fit substantia formaliter, sed solum acquirit esse accidentarium.s. velari, & vestiri. Tertio, non magis esset ista conuersio, quàm si alicui vestis detraheretur vt alteri imponatur: quia siqua esset disparitas, duplex fingi posset: Primo, quia in veste non corrumpitur subiectum cui detrahitur vestis vt alteri imponatur; at hęc nulla est: quia finge hominem cui ablata est vestis, mori. Secundo, quia in conuersione accidentia siqua manent in termino ad quem præinhærebant termino à quo, vestis autem non præinhęret. non valet; quia si sequamur quod experimur in conuersionibus naturalibus, sicut naturalis conuersio præexigit præinhærentiam accidentium in termino à quo, ita subsequentem inhærentiā in termino ad quem; at hic non inhærent accidentia. Quarto, quia debet conuersio fieri inter ea quæ naturaliter se propter naturalem incompossibilitatem excludunt, at hic desineret substantia panis non propter incompossibilitatem cum Christo, sed aliunde.

Trigesimumsecundum dubium. An materia panis destruatur tanquam incompossibilis materię, vel formæ Christi. Resp. quòd materia panis est incompossibilis substantię Christi non primo, & per se; sed consequenter, & per aliud; quia forma Christi se ipsa excludit formam panis, nec introducit aliam formam in materiam panis. quare relinquitur materia sine forma, & hoc ipso desinit esse. probatur; quia D. Tho. 1. p. q. 66. ar. 1. dicit, repugnare materiam esse sine forma. & Scot. in 4. d. 10. q. 6. si materia (inquit) Christi in Sacramento priuaretur forma, desineret esse. patet ratione; quia licèt materia prima ex se habeat actum entitatiuum, & subsistentem quidem secundum me, tamen adeo habet diminutum, vt sine forma conseruari non possit, cuiusmodi multa sunt in natura; vt patet in lumine, & in speciebus intentionalibus.

Trigesimumtertium dubium. An priùs natura desinat substantia panis, quàm adueniat substantia corporis Christi? Resp. Scholastici nihil de hac re. Sed dicunt priùs natura desinere esse panem, quàm Christum incipere esse. Ego dico primo, vtrunque modum esse possibilem; nam priùs natura desinit panis. nam cùm verè desinat esse vnum propter aliud sibi naturaliter incompossibile, necessariò est vera conuersio.

Obijcies

Obijcies; nam sequeretur non esse vnam actionem; quia si priùs adueniret Christus, & se ipso panem corrumperet, esset vna actio; sed desitio panis antecedit; ergo videntur duæ actiones, vna destruens panem, alia ponens Christum. Resp. desitio panis non fit per actionem aliquam, sed per subtractionem actionis. & cum dicimus requiri vnam actionem ad conuersionem, nunquam excludimus subtractionem actionis primæ causæ conuersionis, nec in naturali quidem corruptione. Explicatur hic modus; quia Deus adaptat se naturis rerum. si quando duæ res naturaliter incompossibiles concurrunt, Deus quia voluntate vult eas coniungere, eadem vult vnam naturaliter non conseruari. Secundus modus; vt prior sit positio Christi, & hic formaliter excludat panem. & hoc videtur magis naturale. Dico secundo, de facto verus est primus modus. probatur primo, autoritate communi Theologorum à qua non est recedendum. Videntur enim omnes præsupponere quòd prius panis desinit. Secundo, quia cùm hæc conuersio fit maximè in substantialibus, decuit magis exerceri ordine substantialium conuersionum quàm accidentalium. at priùs natura in substantialibus formis corrumpitur vna forma quàm alia introducatur; in accidentarijs potest priùs vnum introduci quàm aliud expelli; vt priùs natura introducitur vnus gradus caloris, quàm expellatur gradus frigoris.

Tregesimumquartum dubium. Quibus modis loquendum est circa Eucharistiam, ne incidamus in hæresim? Resp. circa loquendi modos debemus esse valdè cauti. Idcirco notandum est, posse de Eucharistia formari propositiones duplicis generis. In primo, sunt illæ propositiones, quæ vtrunq; extremũ .s. panem. & Christum ponunt in recto, & copulant verbo substantiuo, vt panis est corpus Christi. In secundo, sunt quæ ponunt alterum extremorum in obliquo, alterum in recto; vt ex pane fit corpus Christi. & panis transit in corpus Christi. In primo ordine iterum sunt duplices propositiones. prima est quando affirmatur vnum de altero secundum actum, vt panis est Corpus Christi. Secunda, quæ habet vtrunq; in recto, sed affirmat vnum de altero secundum potentiam; vt panis potest esse corpus Christi. vel, panis erit corpus Christi. vel, panis fit corpus Christi; quia per *fit*, significatur po-

tentia mista cum actu. De hoc primo ordine sit prima regula; istæ propositiones tam secundum actum, quàm secundū potentiam absolutè sunt falsæ, & non catholicæ. prob. de singulis: quia est de ratione omnis mutationis vt non habeat vtrunq; extremum simul in actu. At (*est*) significat simultatem actualem vtriusq; extremi. & de rigore significat actualiter esse simul panem, & corpus Christi, quare hæretica est. illæ verò propositiones de potentia fundantur in potentia subiecti, quod transit ex vna forma in alteram; vt cum dico, aqua potest esse aer .i. habet subiectum quod est transmutabile sub vtraq; forma. & quia hic non est subiectum commune, ideo falsa est. Secunda regula. istæ propositiones possunt esse veræ ex accommodatione similitudinaria .i. quia remanent accidentia communia tanquam commune subiectum possunt recipere eandem prædicationem quam reciperent subiectum permanens. Hæc est doctrina D. Thomæ. Sed contra hanc dico primo, propriè potest dici panis fit corpus Christi, & non similitudinariè. probatur, quia sancti Patres ita loquuntur frequentissimè, & Ecclesia: *Fitq; sanguis Christi merum. &, Verbo carnem efficit.* & in can. miss. *Vt nobis corpus, & sanguis fiat.* Itaq; est vera de rigore. Dico secundo, panis potest esse corpus Christi in sensu diuiso, est propria, & vera, non autem in sensu composito. sicut etiam, reprobatus à Deo potest saluari; in sensu diuiso, est vera. Ad obiectionem D. Thomæ. Resp. quòd isti loquendi modi supponunt quandam potentiam sed non semper subiecti. aliquando enim agentis; vt mundus potest esse, .s. non per sui, sed per Dei potentiam. In secundo ordine sunt adhuc duplices propositiones: quædā, in quibus terminus à quo ponitur in recto, & ad quem in obliquo cum verbis conuersiuis; vt, panis conuertitur, transit, transubstantiatur, mutatur in corpus Christi. De his est regula, quòd istæ propositiones verè formantur in conuersione Sacramentali, & in naturali generatione, non autem in creatione. non enim dicitur, nihil transit in aliquid. aliæ sunt in quibus terminus à quo, est in obliquo; ad quem, in recto, cum verbis factiuis; vt, ex pane fit corpus Christi. & de his sit regula contra D. Thomam, quòd sunt veræ secundum omnem rigorem; quia tam (*De,*) quā (*ex,*) non semper connotant subiectum ex quo aliquid fiat; sed aliquando solam coordinationem

nationem terminorum. Neq; est audiendus D. Tho. qui hoc solum admittit in (*ex*.) nã autẽ in (*De.*) ego nescio istas grãmaticationes. Nunc de modo dicamus quomodo Christus existit in hoc Sacramento. ideo fit

Trigesimumquintum dubium. An totus Christus contineatur sub hoc Sacramento? Resp. affirmatiuè, tamen ex vi Sacramenti est id in quod panis, vel vinum conuertitur directè, prout significatur per verba formæ. ex concomitantia autem id quod realiter est coniunctum rei.

Trigesimumsextum dubium. Corpus Christi quod ex vi Sacramenti sub specie panis reperitur, quid præcisè includat? Resp. primo, etiam si quantitas non includatur in termino per se conuersionis, sed ei adueniat concomitanter, tamen naturaliter extenderet partes corporis Christi vt sint extra alias, & extenduntur, nisi nouo miraculo aliter fieret. Secũdo, corpus quod per se terminat conuersionem, non est materia cum modo quantitatiuo, vt ait Egid. theorem. 28. 29. & 30. sed cum organica dispositione includente naturalem quãtitatem, figuram, & dispositiones naturales qualitatiuas. Tertio, corpus quod est per se terminus conuersionis nullam formam substantialem includit, sed tantum materiam affectam organicis dispositionibus. probatur, quia nihil impedit quin anima ponatur positis illis dispositionibus. Dices impedimẽtum esse variabilitatem; quia cùm nunquam materia sit sine forma substantiali, sequeretur quòd variaretur. Resp. imo contrarium; quia quęlibet forma substantialis subiacet variabilitati, debemus eam excludere. Objicies, quid dicemus in triduo? Resp. cum Marsil. & Gabr. quòd in sepulchro tantum fuit materia nuda cum dispositionibus. prob. quia fuit possibile quòd materia prima cùm habeat actum entitatiuum, & subsistentem, potuit esse sola per Dei potentiam. fuit etiam congruum, quia non decebat pro tribus diebus tantum assumi nouam formam à verbo, *quod enim assumpsit, nunquam dimisit.* Præterea, quia si ibi necessariò esset forma cadaueris, oporteret verba consecrationis esse æquiuoca, quia in vita significarent corpus vt affectum anima: in morte verò forma cadaueris. at corpus sic & sic est æquiuocè corpus.

Trigesimumseptimum dubium. An totus Christus contineatur sub vtraq; specie in hoc Sacramento? Resp. affirmatiuè, quia

quia ita esse debet, & est in rei veritate.

Trigesimum octauum dubium. An totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis, & vini. Resp. primo, est de fide, post fractionem hostiæ esse totum Christum sub qualibet parte hostiæ. ità Concil. Flor. in bulla vnion. Armen. Trid. sess. 13. can. 3. & cap. 3. & can. singuli. de consecr. d. 2. ex August. & can. vbi pars. ex Hilar. Papa. Cypr. l. 4. ep. 7. Bern. ser. de cœna Dom. & Paschas. l. de corpore Christi cap. 17. D. Tho. in Luc. 22. vbi vtitur exemplo sigilli impressi diuersis ceris, & vocis peruenientis ad diuersas aures. ratio est, quia constat de fide species posse diuidi; ideo enim dicitur *panis fractio* in scriptura. & de vino dicit, *accipite, & diuidite inter vos*. tunc si non totus Christus esset in singulis partibus, sed pars in parte, sequeretur quòd corpus Christi in frusta concideretur. qualem modum intellexerunt Capharnaitæ, & ideo abierunt retrorsum; August. in Ioan. 6. Resp. 2. Ante diuisionem totus Christus est in singulis particulis hostię etiam indiuisibilibus sub punctis. Est communis Theologorum; habuit initium ab Innoc. iij. de myst. miss. prob. primo, si corpus Christi ante diuisionem non esset totus in singulis partibus, ergo nec post diuisionem, quia facta diuisione, per quid poneretur totus in qualibet parte? Si per consecrationem, ergo ante diuisionem. si non per consecrationem, ergo per diuisionem; at diuisio est actio purè humana, ergo non potest ponere Christum vbi ante non erat. Secundo, siquid obstaret, esset, quia cùm semel consecretur materia, semel potest poni; at si esset in singulis partibus, pluries poneretur. at hoc non obstat, quia sicut vna consecratio, & vna intentio consecrantis potest ponere Christum pluries in pluribus hostijs, ita etiam pluries in vna hostia. Tertio, oporteret diuersas partes Christi applicare diuersis partibus hostiæ, & sic mota hostia sequerentur motus Christi indecentissimi; vt pedibus sursum, capite deorsum &c. Quarto, sequeretur sectionem cadentem super partes hostię, etiā cadere sup partes corporis Christi; quia ex supposito sunt penè cōmensuratæ. Quinto, si cōsecretur hostia maior Christo, in multis partibus illius nō esset Christus. Sexto, cū partes hostiæ sint homogeneæ, non est maior ratio cur vna pars Christi ponatur in vna parte hostiæ, & nō in alia. Dices, si Christus est in qualibet parte, quæro an sit tantū sub quolibet

mi-

minimo naturali hostiæ, an etiam sub minori? Resp. ex communi sententia quòd etiam in minoribus minimo. prob. quia alioqui non tota hostia conuerteretur in Christum; at Ecclesia totam hostiam adorat. Secundo, quia si in illo primo minori non esset Christus, idem dicam de alio minori; & quia quodlibet minimum componitur ex his minoribus, ideo à toto Christus excluderetur. Tertio, ideo non esset, quia non potest conseruari substantia panis nisi in minimo, & non in minori; & quia Christus succedit in locum substantiæ, ideo non potest conseruari in minori. at hæc ratio non valet nisi facta diuisione. Dices secundo. An ante diuisionem Christus sit non solum in partibus minoribus, sed etiam in puncto? Resp. ex communi sententia affirmatiuè; si puncta sunt actu in continuo. & ratio est, quia si totus Christus coextenderetur alicui diuisibili, & quanto, etiam ipsum fieret diuisibile, & consequenter Christum diuideret diuisio illa.

Trigesimumnonum dubium. An sub vna parte hostiæ sit Christus sibi continuus vt existenti in alia parte, an tantum contiguus? Resp. D. Tho. 3. p. q. 76. ar. 3. ad 1. dicit quòd Christus est sibi continuus, ita vt semel dicatur esse in tota hostia, sed per multiplicem sui replicationem, sicut anima rationalis. prob. primo, quia Christus succedit in locum substantiæ panis, quæ quia ante diuisionem sibi continua erat, etiam corpus Christi erit sibi continuum. Secundo, quia Christus debet adaptari speciebus quibus continetur, & à quibus pendet in essendo, & in desinendo esse; at species sunt sibi continuæ. Tertio, quia Ecclesia can. ego Berengarius. de consecr. d. 2. comprobauit vt catholicam confessionem Berengarij, in qua clarissimè dicitur non solum frangi Sacramentum, sed etiam ipsum corpus Christi frangi, & dentibus atteri. Sed hæc diuisio non potest esse partis à parte, ergo totius à toto; ergo totum toti erat continuum. Quarto, si Christus est discontinuus, ergo est actu totus multoties; ergo est infinitus actu; quia Christus est sub quolibet puncto hostiæ, & sub quibuslibet partibus proportionalibus, quæ dicuntur esse infinities potentia, quia non sunt diuisæ adhuc; sed Christus est actu diuisus, ergo est infinitus etiam actu. Obijcies, si Christus totus à se diuideretur, ergo corrumperetur, vel doleret. Resp. Thomistæ, sicut continuitas propriè non est totius cum toto,

toto, sed partis cum parte: ita diuisio propriè est partium, ex quo fit, quod cùm totum à toto non propriè diuidatur; ideo non patitur corruptionem; ideo enim partes corrumpũtur, quia non sunt cum alijs partibus cum quibus conseruantur: at hoc non valet in toto & toto. Neq; sequitur dolor, quia dolor nascitur ex intemperie partium diuisarum, at in toto sunt omnes qualitates in sua temperie. Secunda tamen sententia est recentiorum, quòd Christus est sibi discontinuus. prob. quia non possum capere quomodo hoc diuidi non sit quodam pati indignum Christo. Imo hoc ipsum diuidi ex sua natura horribile est, & malum ex suo genere. Quare ad primum argumentum Resp. quòd debet succedere in locum substantiæ, salua sui impassibilitate. Ad secundum dico idem. Ad tertium Resp. primo, dicunt aliqui ideo dici corpus Christi frangi, quia franguntur species quibus continetur. Hæc solutio est catholica, sed non quadrat verbis Berengarij, qui dicit non solum Sacramentum, sed etiam corpus Christi tractari, & frangi, & dentibus atteri. quare resp. secundo, quòd diuisio, vel fractio dicit duo; primo, motum localem simplicem; secundo, alterationem, vel corruptionem. nunc ergo attritio, & diuisio vtrumq; exercent vt cadunt in species Sacramentales. Sed istę eædem passiones vt cadunt in Christum solum, obtinent vim motus localis. quod est de fide. Ad quartum dicetur infra, dubio sequenti.

Quadragesimum dubium. Si Christus est sibi discontinuus, & est in omnibus partibus proportionalibus, cùm illę si essent actu diuisæ, essent infinitæ, ergo cùm Christus sit sibi discontinuus, erit actu ibi infinitus. Resp. omissis opinionibus de continui diuisione, Dico; quòd partes quæ continuum componunt sunt aptæ numerari vel per actualem diuisionem, vel per actualem designationem, & quæcunque absurda sequuntur ad primum, sequuntur etiam ad secundum. Vnde sicut non possunt actu infinitæ diuidi, sic neq; actu infinitæ designari. quare Christus est sub omnibus hostijs quæ sunt aptæ designari per actualē designationem; quare est ibi finities. Dices, sint centum partes, ergo erit ibi centies. Sed quia post consecrationem sunt designabiles etiam centum aliæ, quæro, facta hac designatione, eritne Christus ibi? si non, est absurdum, si sic, à quo ponitur? Resp. Christus succedit in locum substantiæ

tiæ panis, & ideo quod dicitur de substantia panis, idem dicendum de Christo. De substantia panis dicunt quòd sine noua productione substantiæ per solam diuisionem possunt acquiri nouæ partes in actu. Idem dico de Christo, quòd sine noua sui consecratione erit in illis alijs centum partibus.

Quadragesimumprimum dubium. Corpus Christi est sub quolibet puncto: vocetur hoc punctum A. quæro, Christus immediatus extra illud punctum A. eritne sub alio puncto B. an sub quanto? si sub B. ergo sunt duo puncta immmediata, si sub quanto, ergo erit ibi Christus diuisibilis. Resp. quòd hæc difficultas est communis omni continuo. nam accipio tempus post instans A. id quod sequitur immediatè vel est alius instans B. quod ipsi non admittunt, vel sequitur tempus; ergo multæ partes temporis sunt simul, quod esse non potest.

Quadragesimumsecundum dubium. An in hoc Sacramento sit quantitas dimensiua corporis Christi. Resp. & est communis opinio D. Tho. 3.p.q.76.ar.3. Scot. in 4.d.19.q.1. Alber. in 4.d.13.ar.10. Riccard. ibid.d.10.ar.6.q.1. Bonau. ibid. ar. 1.q.4.& Maior.q.3. Halens.4. p.q.10.m.7.ar.3.§.7. dicunt in Sacramento esse realem quantitatem dimensiuam corporis Christi, per quam corpus Christi est & diuisibiliter, & indiuisibiliter: Diuisibiliter in ordine ad se, & in ordine partium ad partes, & partium ad totum, idest illa quantitas sic extendat corpus Christi, vt pars sit extra partem cum distantia. Indiuisibiliter, in ordine ad species Sacramentales, vel in ordine ad locum specierum; quia vna pars non est extra locum alterius, sed omnes partes extensæ in se, sunt inextensæ in ordine ad species. Vnde sequitur partes Christi se penetrare secundum quid, non simpliciter. non simpliciter, quia partes sunt extra partes, nec subintrant inuicem: secundum quid tamen, quia simul sunt in eodem loco. Dices ex OKan l.4.q.4. Designo particulam hostiæ, & dicatur A. hic pono caput Christi; tunc secundum regulam Aristotelis 4. Phys. quia termini loci, & locati sunt simul, oportet terminos capitis esse terminos particulæ A. esse simul, sed pedes per vos sunt extra terminos capitis, ergo extra terminos A. quia vtriq; termini sunt simul. Et confirmatur exemplo clariori; Fingite esse duas lineas paralellas quæ procurrunt à dextro in sinistrum; & fingite,

& fingite formicam currentem in vna linea si excedit terminum vnius lineæ, etiam excedet terminum alterius lineæ parallelæ; sic caput est in A. si pedes excedunt extra caput, ergo etiam extra A. confirmatur magis, quia quæcunque sunt eadem, vel simul vni tertio, sunt etiam eadem vel simul inter se; sed pedes, & caput sunt simul cum particula A. ergo etiam sunt simul inter se. Resp. ex Gabr. l. 43. in can. miss. qui tentauit soluere hoc negotium; quòd sicut non repugnat idem corpus coexistere multis locis, quæ simul coniuncta essent maiora illo corpore duplo, triplo, vel quadruplo &c. ita non repugnat eandem particulam hostię indiuisibilem coexistere multis partibus corporis Christi, quæ simul coniunctę sunt maiores hostia. Hæc solutio est acuta, sed non placet; quia corpus ideo potest coexistere multis locis, quia sæpe ponitur, & replicatur; imo sæpius producitur, vt supra dictum est. at hęc particula hostiæ semel tantum ponitur. Dico igitur primo, non repugnaret concilio Later. dicenti, omnia argumenta contra fidem esse solubilia, siquis affirmaret hoc argumentum esse insolubile intellectui viatoris. ratio est, quia Concilium dicit esse solubilia in se, non autem à meo intellectu. Vnde Arist. dicit, non ideo non esse motum, quia nescimus soluere argumentum Zenonis. Dico secundo, posse solui. & ideo notanda est primo hæc regula; cum aliquid est posterius aliquo priori, prius potest absolui à posteriori respectu vnius non remanens absolutum ab eodem posteriori respectu alterius. probatur reg. primo, in fornace Babylonica ignis fuit absolutus per diuinā potentiā ab actuali combustione respectu puerorum, sed non respectu Chaldæorum. Secundo, quātitas est prior exclusione aliarum quantitatum naturaliter; inde fit vt quantitas panis post consecrationem absoluitur ab ista exclusione respectu quantitatis corporis Christi; & tamen non absoluitur ab hac exclusione respectu aliarum quantitatū. Notandum secundo, coexistere cum altero licèt vniuersaliter sit inseparabile à quolibet existente, quia nihil est in mundo, quin alteri coexistat; tamen à quolibet alio in particulari separabile est coexistere. ratio est; quia coexistere est posterius quàm existere. Nunc ad argumentum, caput Christi positum in A. habet coexistentiam cum A. sed quia hæc coexistentia est posterior existentia Christi, ideo potest absolui caput

put ab hac coexistentia respectu pedum, & non cum particula hostiæ scilicet, A. explico; eidem igni applicentur omnimodo æqualiter duo combustibilia, tamen Deus potest suspẽdere actionem cum vno combustibili, & non cum alio. inde fit vt pedes sint extra caput; & tamen pedes & caput sint intra A.

Quadragesimumtertium dubium. An corpus Christi sit in Sacramento definitiuè. Resp. D.Tho.3.p.q.76.ar.5.negat esse neq; definitiuè, neq; circumscriptiuè. non definitiuè, quia esse definitiuè in loco nihil aliud est, quàm sic esse hic, vt non sit alibi; at Christus est alibi Sacramentaliter, & in cœlo naturaliter. Neq; est circũscriptiuè, quia non coextenditur. dicit etiam in cœlo esse in loco circumscriptiuè, quia est in loco coextensum. Definitiuè, quia sua quantitate, & modo quantitatiuo sic ad locum illum limitatur, vt ex modo existendi in cœlo, non exigat esse alibi. Addit etiam, quòd quicquid est circunscriptiuè in loco, est etiam definitiuè, & non contra; quia esse circunscriptiuè in loco, mensuratur per quantitatem terminantem rem sic, vt sit in tanto, & non maiore loco. Definitiuè verò est esse hic, & terminari non virtute sua, sed agentis. Melior tamen videtur opinio Okan, quodl. 4. q. 4. & Gabr. l. 43. in can. qui dicunt, nihil aliud est esse definitiuè, quàm esse totum in toto, & totum in qualibet parte totius; nec refert vtrum alibi similiter sit. Corpus autem Christi (aiunt) non esse in Sacramento circunscriptiuè, sed definitiuè verè, & propriè. Sed hæc est quæstio de nomine.

Quadragesimumquartum dubium. An corpus Christi vt est in Sacramento realiter ita moueatur, vt sit verum subiectum lationis? Resp. Durand. in 4.d.10.q.3. ponit duas admirabiles conclusiones. Primo, dicit corpus Christi nec per se, nec per accidens moueri ad motum hostiæ, ita vt nullo modo sit subiectum motus. prob. primo, quia priuatio, & positio non minus opponuntur quàm affirmatio, & negatio. Sed motus & quies opponuntur priuatiuè, ergo repugnant similiter eidem; at corpus Christi est in cœlo, & quiescit; & in Sacramento est idem; ergo hic non mouetur. Secundo, nihil mouetur localiter nisi quod est in loco vel per se, vel per accidens; sed corpus Christi non est in speciebus panis per se, vel per accidens vt in loco, sed per simplicem ordinem præsentiæ, vt

Agelus in lapide quem mouet, sed moto lapide non est necessarium ipsum moueri; ergo &c. Tertio, quia moueretur eodem tempore motibus erectionis, vel depressionis in diuersis hostijs. Quarto, quia deberet etiam subiacere fractioni ad fractionem hostiæ sicut subiacet motui. Secunda conclusio Dur. est; corpus Christi sine vllo motu sui semper esse præsens hostiæ siue motæ, siue immotæ & dat duos modos quibus id fieri potest. Primus modus, sicut facta consecratione corpus Christi cum non esset præsens hostiæ acquisiuit nouam præsentiam in hostia, & in loco hostiæ sine sui ipsius mutatione; ita facta mutatione hostiæ acquirit nouam præsentiam ad locum hostię sine sui mutatione, solum cum mutatione specierum hostiæ. Secundus modus, negat Dur. corpus Christi acquirere nouam præsentiam ad locum, sed solum habet præsentiã ad hostiam; & sicut Angelus non acquirit propriè præsentiã realem ad locum, sed sine noua præsentia sui ad locum potest agere vbi priùs non agebat, ita &c. Caiet. laudat Durandum. & quod peius est eandem opinionem D. Thomę inpingit. & probat primo, quia D. Tho.3 p.q.76.ar.6. dicit corpus Christi secundum se nec moueri per se, nec per accidens. Secundo, quia D. Tho. negat corpus Christi desinere esse in Sacramento per motum localem, quia secundum se nec incipit esse in Sacramento per motum localem, nec illum recipicit. Secunda opinio est Scot.in 4.d.10.q.5.vsq;ad 9.OKan.l.4.q.5.Gabr. l.45.in can.& est communis, quòd corpus Christi verè, & realiter mouetur, vt sit subiectum motus, & per motum sui acquirat nouam præsentiam ad locum, sed mediantibus speciebus. Ego dico, puto D.Thomam sequi secundam opinionem; quia disertis verbis dicit, quòd licèt corpus Christi vt est secundum se in cœlo non moueatur nec per se, nec per accidens; tamen in Sacramento mouetur per accidens; at moueri per accidens secundum Philosophos est moueri realiter, licèt per aliud; ergo &c. Secundo, quia fatente Caietano in via D. Thomæ corpus Christi moueretur secundum esse Sacramentale, & esse habitudinale; ergo etiam subiectum mouetur. Tertio, quia D. Tho. dicit moueri corpus Christi ad motum hostię, vt mouetur forma ad motum compositi. Ad id de Angelis D. Tho.3.p.q.53.ar.2.ad 2. negat posse Angelum realiter transire ab extremo ad extremum sine medio, sicut anima

ma poteſt cogitare extremum, & extremum ſine medio; quia anima quando cogitat non applicat ſuam ſubſtantiam extremo, vel medio; at Angelus applicat ſuam ſubſtantiam medio; quia præſupponitur operari in medio. Ad primum Caiet. Reſp. quòd D. Tho. dicit, corpus Chriſti vt in cœlo non mouetur nec per ſe, nec per accidens. Ad ſecundum Reſp. nihil eſſe ad rem; nam aliud eſt incipere, vel deſinere per motum localem, aliud dum eſt in Sacramento moueri. Ad reliqua ; dictum eſt. Dico ſecundo, opinionem Dur. eſſe malam. prob. nam ex Scot. corpus Chriſti ſe habet ad hoſtiam vt contentum ad continens, neq; vt Angelus ad lapidem ſicut vult Dur. quia in Concil. eſt definitum corpus Chriſti verè contineri, ſed repugnat moto continente non moueri contentum; ergo &c. Tertio, quia hæc Philoſophia Dur. procedit ex illo ſuo malo principio .ſ. quòd Angelus eſt vbiq; Ad primum Durandi reſp. quòd hic mouetur, & ibi non mouetur. Ad ſecundum quòd corpus Chriſti eſt in loco, quia verè continetur. quamuis hęc continentia non ſit commenſurationis, quia tunc oporteret eſſe maius continens contento, ſed continentia circumuelationis, vt loquitur D. Tho. Ad tertium, iamdiù cõceſſum eſt. Ad quartum reſp. quòd eſt duplex diſparitas, primo, quia alteratio eſt corruptiua, non autem motus localis. Secundo, quia non poteſt diuidi, cùm ſit modo indiuiſibili; at motus localis nec indiuiſibili quidem repugnat; quia puncta etiam mouentur per accidens.

Quadrageſimumquintum dubium. An corpus Chriſti moueatur phyſicè à mouente hoſtiam, an à ſe, vel à Deo tantũ. Reſp. ex D. Tho. 3. p. q. 76. ar. 6. & ex communi ſententia, corpus Chriſti ad motum hoſtiæ moueri à mouente hoſtiam. quæ ſententia eſt vera ſimpliciter; nam de fide eſt nos verè manducare, & bibere carnem, & ſanguinem Chriſti Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem &c.* ergo eſt de fide quòd nos moueamus corpus, & ſanguinem Chriſti. probatur conſeq. quia manducatio & bibitio requirunt motũ localem ſic & ſic faciendum. Secundo, quia hic motus localis ſit ab ipſo manducante, & non ab alio. quod patet, nam manducatio eſt actus vitalis, de quorum actuum eſſentia eſt vt fiant ab ipſo à quo recipiuntur. Confirmatur, quia ſi dormienti in os ventus ingrediatur, non dicetur ille comedere,

ventum. Tertio, quia in confessione Berengarij can. ego Berengarius. de consecr. d. 2. dicitur Sacerdotem suis manibus tractare, mouere, & diuidere etiam corpus Christi. Confirmatur, quia de fide est succedere Christum in locum substantiæ panis, & ad modum substantiæ panis; sed qui moueret accidentia panis, moueret etiam substantiam, ergo qui mouet species, mouet ipsum corpus Christi. Quarto, probatur ratione, ex 2. top. 3. motis nobis, mouentur omnia quæ sunt in nobis; sed corpus Christi verè est in speciebus, ergo his motis naturaliter Christus mouetur. dixi, (*naturaliter*,) quia si Christus resisteret, posset aliter fieri. Confirmatur; quia dimensio gloriosa corporis Christi adhuc est vera, & realis dimensio, ergo naturaliter excluditur ab alia dimensione; ergo sicut mouens hostiam verè excludit illam sua diuisione, ita consequenter dimensionem Christi, nisi fiat miraculum. Dices ex Scot. Christum neq; per se moueri, neq; à mouente hostiã; & probat: nam corpus Christi si esset extra species non moueretur à mouente eas, ergo neq; intra. probatur conseq. quia positum intra species nec facit vnum cũ speciebus sicut actus, & potentia, vt anima & corpus; neque est in speciebus vt pars in toto: neq: sicut aliquid naturali necessitate coniunctũ cum speciebus, vt graue cum eo cui innititur, sed solum est cõiunctum spontanea voluntate. Confirmatur; quia Angelus si se applicet lapidi, moto lapide non necessariò mouetur. ideo tantum quia liberè se applicuit lapidi. quod idem est in corpore Christi; ergo &c. Secundo, dicit Scot. In homine esse duplicem potentiam motiuam; vnam organicam quæ facit motum progressiuum, quæ mouet partem post partem, & per partem; alteram inorganicam, quæ mouet immediatè totum corpus. & probat esse hanc duplicem potentiam in homine, & in Christo. primo, quia cùm constet hanc potentiam inesse Angelo, nec vlla ratio apparet cur sit neganda animę rationali quæ est etiam spiritus, non debet negari, quia natura ex possibilibus semper facit id quod melius est, vt ait Arist. l. 2. de gen. tex. 79. Secundo, quia non esset frustra, tum quia haberet saltẽ vsum in patria in qua mouet anima corpus gloriosum immediatè; & sicut multæ potentiæ quarum vsus sunt in hac vita permanent etiam in patria, & non frustra, quamuis ibi non habeãt vsum; solum quia habuerunt vsum in hac.

sic

sic contra; quamuis sic non habeat vsum potentia inorganica; tamen quia habebit in patria, ideo &c. Addit tertio, quòd Christus in Sacramento potentia organica nec se, nec alios mouet. Inorganica verò aliud, sed non se; nam potentia organica est materialis, & non potest agere nisi in applicatum sibi dimensiuè; quale non est corpus Christi in se, nec aliud. Inorganica verò potest mouere aliud, quia potest aliud ei applicari modo naturali, vt patet in motu specierum, quæ aliquando nullo mouente motæ sunt. & non est inconueniens quòd sit motum à Christo Sacramentum. sæpe etiam species mouent manum sacerdotis, non autem se; quia cùm ibi sit modo supernaturalissimo, non potest subiacere vlli accidenti, nisi Deo, qui habet potentiam in modum supernaturalem. Quoad hanc difficultatem dico, quòd secunda opinio est Okan. & Gabr. qui consentiunt cum Scoto, Christum non moueri à mouente hostiam; differunt, verò quòd licet Christus potentia organica se mouere non possit, tamen potest se mouere potentia inorganica, quam OKan putat esse voluntatem. probat; quia ratio Scoti non valet; nam modus supernaturalis est tantum modus indiuisibilis; at potentia inorganica quę est indiuisibilis, potest agere in indiuisibile. Quare dico, quòd si in corpore Christi admittitur potentia inorganica, non est improbabile quòd possit seipsum mouere. & hoc probatur rationibus OKan. Ad exemplum de Angelo resp. quòd Angelus potest dupliciter se lapidi applicare: Primo, vt se relinquat lapidi sustentare si hoc factibile est, & tunc mouebitur ad motum lapidis. Secundo, vt non ita, sed vt lapidem moueat; & tunc, vel Angelus vult continuare motum in lapide moto, vel non; si primum, tunc ex se ipso mouetur cum lapide. si non, tunc moto lapide, non mouebitur, quia non habet quantitatem, quę cedat impulsui alterius quanti.

Quadragesimumsextum dubium. Corruptis speciebus Sacramentalibus, quomodo desinat ibi esse Christus? Resp. prima opinio est D. Tho. & Thomistarum 3.p.q.76.ar.6. qui dicunt quòd Christus desinit esse ibi sine sui corruptione, & sine sui motu locali; sed solum desinit esse per accidens .i. ad desitionem specierum; sicut si corrumpatur creatura, desinit ibi esse Deus. sicut etiam anima rationalis resecto brachio desi-

pit

nit esse in eo fine sui corruptione. Sed contra hanc opinionē est prima difficultas; quia exempla quæ adducit sunt controuersa. Primum de Deo, multi sentiunt; quamuis in creatura desinat esse Deus, tamen pergit esse in loco illo imaginario in quo illa creatura præcedebat. & ratio est, quia Deus non est in rebus per solam actionem, sed etiam per suam substantiam; ergo corrupta actione potest esse ibi per suam substantiam. Secundum exemplum, multi sentiunt secto brachio animam se retrahere ad seipsam vt in corpore. & dicunt consequenter; quia esse formæ secundum se, est distinctum ab actu informatiuo, & est prius ipso; at corrupto actu informatiuo, quæri potest quid fiat de esse formæ quod erat in brachio? confirmatur; quia sicut in augumentatione anima in nouum alimentum extendit aliquam sui replicationem, ita cessante actu informatiuo naturale est vt ad se retrahat. Secunda difficultas, quamuis esse substantiale corporis Christi in altari, & in cœlo sit idem numero; tamen vt est in altari, hoc esse substantiale verè distat ab illo. præterea hoc esse est subiectum præsentiæ Sacramentalis, quomodo non est subiectum vt in cœlo; quæro, corruptis speciebus corrumpitur præsentia; sed quia hæc præsentia habebat pro subiecto corpus Christi; quæro, hoc esse substantiale vt distabat ab illo quod est in cœlo, quò iuit? augetur difficultas, quia hoc subiectum Sacramentalis præsentiæ vel est in mundo, vel non; si non, ergo corruptum est; si est, vbi est? Tertia difficultas; hoc corpus Christi vt est in Sacramento est obiectum replicationis, quæ est noua quędam productio; quæro, vel Deus continuat eandem replicationem speciebus corruptis, vel non; si primum, ergo est alicubi, si non; ergo corruptum est. Quarta difficultas, quia hoc corpus vt erat sub tali præsentia existeret in mundo, quia non fuit corruptum; & non existeret; quia si existit, vel est indistans ab altari, & sic est ibi; vel distans, & sic est motus localiter. Quinta difficultas. Vt repugnat aliquid moueri & non acquirere vbi, vel locum; sic repugnat fuisse motum ad locum, & non acquisiuisse locum: sed Christus verè acquisiuit locum illum non per motum localem, sed per replicationem æquiualentem motui locali; ergo repugnat non esse in acquisito esse, nisi vel corrumpatur, vel faciat alium motum localem. Secunda opinio est Scoti in 4. d. 10. q. 2. vbi habet

ista verba: *Cum corpus aliquod habet duo vbi, potest in vno desinere esse, si virtus quæ ipsum conseruat, desinat conseruare, manebit tamen totum esse absolutū, quia vbi est relatiuum.* Ex quo videtur dicere, quòd Deus Christum non conseruat. Sed non conseruare est annihilare. Contra hanc opinionem est prima difficultas: quia videtur impossibile substantiam aliquam corrumpi hic, & non vbiq; quia esse substantiale est esse absolutum, independens ab esse hic, vel ibi; quare si corrumpitur hic absolutum ipsum, ergo vbiq;. Secunda difficultas, quia ipsum annihilare est mutatio priuatiua, & priuatiua ipsius esse substantialis; ergo est indigna Christo. His duabus potest responderi ad mentem Scoti. ad primum concedo aliud esse esse absolutum, aliud vbi; sed hoc esse absolutum potest dupliciter se habere in deperditione. Primo, vt deperdat solum vbi transeundo ad aliud vbi. Secundo, vt deperdat esse subiecti, vt hoc sit tanquam terminus primus, & immediatus deperditionis; consequenter verò deperdatur vbi vt terminus secundarius. & quia potest idem corpus esse subiectum plurium vbi, & vt est subiectum vnius vbi non dependet à se vt subiecto alterius vbi, nihil vetat posse perdi esse subiectum vnius vbi, & non perdi esse subiectum alterius vbi. Ad secundum resp. quòd ista mutatio non est indecora Christo nec ex parte deperditi, nec ex parte modi deperditionis. non ex primo, quia quòd careat hoc vbi Sacramentali, non est imperfectio, & deperdere hoc esse substantiale hic; & quia totum idem esse substantiale remanet in cœlo, nihil indignum est. non ex secundo, quia hęc deperditio esset instantanea, quare careret omni dolore; sed reuera huic secundæ difficultati vix satisfit; nam terribile est, & fugiendum, quòd deperdatur esse in Sacramento. Confirmatur, quia sequeretur Christum iterum mori; quod est contra Paulum. Tertia opinio est Marsil. in 4. q. 7. ar. 2. hæc sunt verba: *Verisimile est, deficientibus speciebus, vel successiuè ascendere Christum in cœlum, vel subito se ponere ad locum sibi deputatum.* Contra hanc est prima difficultas; quia si Christus desinit esse in Sacramento per recessū successiuum, ergo cæpit esse in Sacramento per motum, & accessum successiuum; quod est hæreticum. Secunda, quia aliquo tempore esset in aere. ibi verò quomodo erit? vel modo Sacramentali; & hoc non; vel modo naturali, at ita est in cœlo.

lo. Tertia difficultas. si totum erat in cœlo, & accessu sui ad cœlū non fit maius, nec gloriosius, ergo frustra ascendit. Quarta difficultas. corpus Christi non potest moueri in cœlum nisi speciebus corruptis; at species desinunt esse per primum sui non esse; at in hoc instanti vel Christus erit sub speciebus, vel mouebitur; non in speciebus, quia iam sunt corruptæ. si mouetur, ergo motus inchoabitur in instanti. Potest tamen responderi ad mentem Marsilij. Ad primum resp. oportet Christum incipere esse in Sacramento in instanti. ne ergo in instanti esset falsa forma verborum; sed quia hæc ratio cessat in recessu, ideo potest successiuè recedere. Ad secundam resp. quòd erit in medio seu in aere modo naturali .s. dimensiuè, sed indiuisibiliter, & hoc sine nouo miraculo; quia competit statui glorioso facere se inuisibilem cum voluerit. Ad tertium resp. non frustra mouetur, quia mouetur eò vel ne desinat esse, vel ne maneat in terra indecenter. Ad quartam resp. eandē esse difficultatem in recessu animæ à corpore nostro; quia corpus corrumpitur per primum sui non esse. Resp. igitur, quòd in illo instanti anima manet in corpore non vt forma corporis, sed entitatiuè, & veluti materialiter. idem dico de corpore Christi. sic etiam dico, quòd in illo instanti manet ibi Christus non Sacramentaliter, sed entitatiuè. Ego distinguo; aliud est quærere quæ sit verior opinio: aliud, quæ sit facilior. & hæc duo sunt seperabilia: nam faciliùs intelligo Deum esse vnum in essentia, & in personis, quàm esse trinum, & vnum. tamen est falsum. Dico igitur primo, si loquamur de veritate harum opinionum, ego fateor me ignorare quæ sit verior. Dico secundo, puto tertiam opinionem esse faciliorem intellectu.

Quadragesimumseptimum dubium. An Corpus Christi miraculosè possit ab aliquo oculo videri. &, An oculus Christi in Sacramento videat seipsū, an totum corpus? Resp. omissis opinionibus, quoad primum dico: Non solum de facto, sed neq; de possibili potest corpus Christi videri ab vllo oculo, nec glorioso quidem naturaliter distinctè. probatur, quia cùm sit modo indiuisibili, se habet vt punctum, quod vel non est visibile, vel non distinctè. Secundo, quia hoc corpus Christi ex patrum sententia velatur ex speciebus hostiæ, ergo illa velatio impedit distinctam cognitionem. Tertio, quia cùm Chri-

Chriſtus reſpiciat nos ſolum per punctum hoſtiæ, omnes ſpecies ſui per punctũ mitteret, & in pũcto eſſet tãta confuſio vel ſpecierũ, vel colorũ, vt nõ poſſemus diſtinguere; quod patet in picturis ſubtiliſſimis. Secundo dico, poſſibile eſt naturaliter videri corpus Chriſti etiam oculo viatoris aliquo modo obſcuro, niſi Deus impediret. prob. primo, quia Chriſtus vt eſt in Sacramento habet lucem corporis glorioſi, quæ poſita intra hoſtiam per partes poroſas hoſtiæ mitteret ſpecies ſubtiliſſimas radiorum. neq. obſtat iſtam lucem cotineri in ſingulis punctis, quia iſta cùm ſint ſparſa per totam hoſtiam, facerent quandam refulgentiam coextenſam hoſtiæ. Secundo, quia etiam luce circumſcripta, ſufficerent colores viuaciſſimi corporis Chriſti, qui ſuperarent ſpecies colorum hoſtiæ. ſi obijcies de puncto, eodem modo reſpondebitur. Tertio dico, Miraculosè non repugnat etiam ab oculo mortali videri diſtinctè. Probatur; omnes colores corporis Chriſti ſunt in quolibet puncto: ex hoc puncto, & per hoc punctum emittunt ſui ſpecies extenſas in ſe, ſed inextenſas in puncto; ita vt extenſæ in ſe coexiſtant in puncto in ſe inextenſo, & tranſacto puncto propagentur in medio, tunc videretur, & fortè de facto ita aliquando factum eſt in apparitionibus miraculoſis. Quarto dico quoad ſecundum, oculus Chriſti non plus naturaliter poteſt ſeipſum videre, quàm quilibet alius oculus. probatur; quia ſiqua eſſet differentia inter noſtrum Chriſtiq; oculum, eſſet, quia noſter oculus eſt mortalis, & diſtans à Sacramento; Chriſti verò immortalis, & intra Sacramentum. Sed non obſtat primum, quia tunc ſaltem oculus glorioſus videre poteſt Chriſtum, quod D. Tho. negat. Non obſtat ſecundum; quia impedimentum iſtius viſionis non naſcitur ex diſtantia, neq; tantum ex velamento; nam oculo glorioſo (fatente D. Thoma) nullum velamentum obſtat, ſed ſimultas & confuſio colorum in puncto; quod etiam habet locum in oculo; imo maior indiſtantia oculi Chriſti fortè facit maiorem confuſionem; nam ſenſibile ſupra ſenſum non facit ſenſationẽ. Dico quinto, probabile eſt de facto Chriſtum in Sacramento ſe videre diſtinctè. prob. quia eſt decentiſſimum; ſed per miraculum.

Quadrageſimumoctauum dubium. An Chriſtus vt eſt in Sacramento oculo corporali videat ea, quæ Sacramentum

Ff cir-

circunstant.i. altare, Sacerdotem &c. Resp. prima opinio est D. Thom. Scot. & Dur. qui negant. Imo dicunt esse impossibile, etiam per Dei potentiam. prob. primo, quia est de intrinseca ratione visionis, vt species obiecti visibilis recipiatur in oculo quanto, & per medium quantum; sed oculus Christi non est modo quantitatiuo, & videt per punctum, ergo &c. addit Scot. quòd quamuis oculus Christi non sit capax vllius sensationis vt acceptæ primò in Sacramento, tamen est capax alicuius sensationis concomitanter .i. acceptæ in oculo vt est in cœlo, & mox redeuntis in oculum vt in Sacramento. Secunda opinio est OKan, Gabr. & Marsil. qui non solum omnes functiones auditus; & visus Christo cōcedunt, sed etiam omnes potentias esse tales, quales sunt in corpore eius viuo, vt posset sua manu calefacere manum Sacerdotis. prob. quia non obstat quòd sit ibi modo definitiuo, & non circunscriptiuo; nam anima non est in corpore circunscriptiuè, & tamen autore August. l.9.Trin. anima magnam habet immutationem respectu sui corporis. Secūdo, quia Arist. Auic. &c. dicunt calorem separatum etiam calefacturum esse; at calor separatus esset solum definitiuè, ergo etiam calor Christi. Tertio, quia esse in puncto non impedit, imo adiuuat naturalem actionem, nam virtus vnita fortior. Quarto, indiuisibili ipsi coexistit secundum eum modum quantitatiuū, quo existit extrinseco loco, vel passo; at potest aliquid agere in semetipsum etiam si sibi coexistat; ergo etiam si non coexistat cum alio, aget. probatur minor, quia aqua calida seipsa reducit ad frigiditatem. Quinto, modus accidentarius primarij actiui non impedit actionem quæ illi competit, quia quod est per se, prius est eo quod est per accidens; ideo ab illo impediri non potest; sed modus Sacramentalis est accidentarius corporis Christi, ergo non potest impedire naturalem actionem quæ per se competit corpori Christi. Sexto, siquid obstaret esset sui oculi inextensio ad locum; at visio naturalis fit per conum quasi indiuisibilē protensum vsq; ad oculum; eò magis quòd ille oculus sit in se extensus. sit hæc conc. Hæc secunda opinio nominalium est multò probabilior. Primo, quia decet. nam cùm in Sacramento nobiscum habitet Christus corporaliter, decebat etiam nobiscum habere commercium corporale. Secundo, quia est possibile vel naturaliter

vt

vt putat OKan, quod probabile est; sed meliùs miraculosè; quia Deus potest facere vt species obiectorum extrinsecorum (quamuis in se extensæ) totæ coexistant puncto hostiæ, & pũctuali visioni Christi.

Quadragesimumnonum dubium. An corpus Christi vt est in Sacramento, sit naturaliter visibile intellectui viatoris. Resp. primo, cùm intellectus viatoris totam suam notitiam à sensibus accipiat, sic potest videre corpus Christi, sicut & sensus, & in hoc nemo discrepat. Secundo dico, quòd quæ differentia est doctorum in sensu, eadem est etiam in intellectu. nos autem quia diximus naturaliter sensum posse obscurè. Ideo etiam intellectum, nisi Deus impediret.

Quinquagesimum dubium. Quando apparet miraculosè caro, vel puer, est ne ibi verè corpus Christi? Resp. primo, constat inter doctores quòd in his apparitionibus nulla est deceptio, quia ordinatur ad confirmandum nos. Secundo constat, aliquando in his apparitionibus non fieri vllam alterationem in speciebus hostię, sed solum in sensu videntis. quod cõtingit non per læsionem sensus communis vt in phreneticis, neq; per immutationem medij .s. aeris, vt in Magorum præstigijs; sed quòd Deus imprimit vel oculo, vel phantasiæ, vel intellectui aliquam speciem per quam sic & sic videre videamur, vt in visionibus propheticis. & signum huius rei est difformitas visionis tum in diuersis, tum in eodem homine. Constat tertio, aliquando has apparitiones fieri per realem mutationem in speciebus Sacramentalibus; cuius primum signum est conformitas visionis in omnibus præsentibus. Secundum est diuturnitas apparitionis; quia siqua fit mutatio in sensu, ferè momentanea est. An verò in isto casu debeat alia consecrari? D. Tho. affirmat. Constat quarto, hanc realem mutationem esse duplicem; vnam, quæ tantum variat species, & dimensiones. Quarta variatio sufficeret corrumpẽdæ substantiæ panis si adesset; & tunc communiter sentiunt quòd desinit ibi esse Christus Sacramentaliter. Vtrum remaneat ibi secundum propriam speciem naturalem, postea dicemus. altera est quæ corrumpit qualitates ferè omnes; & saluas retinet dimensiones. & de hac est quæstio. Prima opinio est D.Tho.3.p.q.76.ar.8.qui dicit quòd remanentibus dimensionibus, & corruptis omnibus qualitatibus, adhuc ma-

net ibi Chistus Sacramentaliter. probat primo, quia ibi adoratur quod remanet adoratione latriæ; at latria non debetur nisi enti diuino, vel assumpto in diuinam hypostasia. Secundo, quia quamuis corrumpantur species Sacramentales secundum id quod est minus .s. qualitates, tamen remanent secundum principale fundamentum .s. quantitatem. Tertio, addit Sot. quia cum dimensionibus semper manet aliquis sapor panis, & virtus confortandi cor. Dicit secundo, cum corrumpuntur qualitates, & dimensiones ibi nec est Christus secundum speciem Sacramentalem, nec secundum propriam, & naturalem sibi .i. id quod videtur nec est figura panis, nec figura Christi, sed erit quid tertium miraculosum. probat primo, quia secundum speciem sacramentalem constat ibi non esse. secumdum speciem verò naturalem non potest esse nisi vno in loco.s.in in cęlo. secundo, quia non deceret; nā cùm ibi diù maneret, & conseruetur per multos annos, videretur quasi quædam Christi incarceratio. Circa primum dictum, est communis sententia in contrarium. Dur. in 4.d.10.q.4.& d.12.q.3.& probatur euidenter. Primo, quia tandiù est sacramentaliter ibi, quandiù maneret subiectum panis; sed substantiæ panis conseruandæ non sufficeret sola quantitas, quia est corpus mistum. secundo, quia ex D. Tho. si vinum acescat, desinit ibi esse sanguis; sed in aceto remanent dimensiones. effugium. quia cùm D. Thomas putet in corruptione naturali fieri resolutionem vsq: ad materiam primam, negat dimensiones vini remanere in aceto; sed qui potest deglutire hanc philosophiam, deglutiat. Addite, quòd quamuis Dur. benè neget corruptis speciebus qualitatiuis remanere corpus Christi, tamen malè affirmat, id quod remanet non esse adorandum latria; quod est contra omnes. & probatur primo, quia illæ dimensiones significant corpus Christi, vt crux, & imago. secundo, quia nihil dimensionibus corpus Christi præexistit secundum Sacramentalem contactum. Circa secundum dictum. Dico primo, possibile est vt sit vera caro Christi: quia non repugnat modo quantitatiuo esse corpus in duobus locis. Dico secundo, de facto videntur mihi duo modi probabiles. Primus Egidij theor. 15. vbi dicit, quòd si apparet puer, est probabile sub forma pueri esse corpus Christi sacramentaliter sicut erat sub specie panis.i.totus in toto,

& totus

& totus in qualibet parte. Secundus eſt, quòd in forma pueri, vel in forma ſolius ſanguinis, aut ſolius carnis, ſit aliqua portio veri ſanguinis, & carnis Chriſti in propria quantitate. probatur, non ſolum quia id quod remanet adoratur latria, ſed etiam quia illi quibus ita apparuit Chriſtus, magnopere cupiebant Chriſtum videre. quare niſi eſſet Chriſtus, decepti eſſent; Paſchaſ. in l. de corp. Chriſti cap. 14. Secundo, quia ſi Chriſtus faceret illam apparitionem ſolum vt hoc miraculo ſui præſentiam comprobaret, vtiq; deberet id confirmare alio genere miraculi. non hoc, quod vehementiſſimam opinionem ſuæ præſentiæ veræ gigneret; ergo ſignum eſt quòd verè eſt præſens. neq; Chriſtus inuitus tanquam in carcere includitur; ſed ex charitate, & ſponte ſua. Nunc de accidentibus remanentibus in Sacramento dicamus.

Quinquageſimumprimum dubium. An ſpecies Sacramentales poſſint nutrire aliquid, vel concurrere materialiter ad alicuius rei, vel miſti productionem. Reſp. primo, certum eſt Deum in Sacramentali operatione, vel conuerſione, facere tria per vnam voluntatem. Primo, conuertit ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis Chriſti reponendi in loco quo ante manebat ſpecies panis. Secundo, per eandem voluntatem Deus facit vt per quaſcunq; alterationes eſſet deſitura ſubſtantia panis ſi eſſet, per eaſdem deſinat corpus Chriſti ibi eſſe; & contra: quæ alterationes non poſſunt deſtruere ſubſtantiam panis, eæ non poſſunt tollere corpus Chriſti. Tertio, facit, vt quicquid eſt cauſabile ex pane manente ſubſtantia eius, etiam de facto cauſetur ſublata ſubſtantia panis, Deo ſupplente quicquid faceret ſubſtantia panis ad miraculum tegendum. Inde fit, vt ſi v. g. ex ſubſtantia panis corrupta poſſint naſci vermes, iidem naſcantur ex ſpeciebus corruptis, item ſi comederet panem, nutriretur; ſic etiam ſi comedat ſpecies. Sed eſt

Quinquageſimumſecundum dubium. An agens naturale poſſit corrumpere omnes ſpecies Sacramentales naturaliter, vt, an ignis poſſit comburere hoſtiam. & dolium aquæ poſſit corrumpere parum vini conſecrati? Reſp. prima opinio eſt OKan l. 4. q. 7. vbi putat ſpecies deſinere per annihilationem factam ab agente naturali naturaliter operante. probat primo, quia nemo negabit quòd debitè applicatis actiuo, & paſ-

ſiuo

ſiuo naturali, non fiat actio; ſed accidentia quæ ſunt in hoſtia non habent ſubiectum vllum, ergo annihilantur, quia non redeunt in potentiam ſubiecti. Secundo, quia non obſtat quòd agens naturale non poſſit annihilare ex eo quòd non poſſit creare; nam cùm omnia creabilia antequam creentur ſint propria in hoc .ſ. eſſe purum nihil; quicquid poteſt in vnũ creabile, poteſt in omnia; & quia omnia creabilia ſunt infinita, ideo non poteſt in ea agens naturale; ergo nec in vnum quidem. Sed poteſt annihilare, quia cùm omnia annihilabile præexiſtat, poteſt fieri vt præexiſtentium vnum magis applicetur agenti, quàm alterum; & ideo hoc annihiletur, & non illud. Secunda opinio eſt D. Tho. qui putat non ſolum accidentia quæ ſunt in quantitate, ſed etiam ipſam quantitatem corrũpi, & non annihilari. prob. quia Deus facta conſecratione conſeruat illud idem eſſe quantitatis quod præexiſtebat; ergo etiam modo. His poſitis ſit prima conc. ſi Okan ponit potentiam annihilandi in agente naturali, non eſt ratio cur non etiam ponat vim creandi; quia ratio Okan non valet; nam illam indiſtantiam ad omnia creabilia vel intelligitde ſpecie, vel de indiuiduis. ſi primo modo, dico determinari agens naturale ad talem ſpeciem effectus, per talem ſpeciem ſuæ virtutis; vt ignis creabit ignem. Si ſecundo modo, id non obſtat; quia nec naturaliter poteſt producere vllum ignem; nam ex eadem materia poteſt educi hæc, vel hæc forma ignis; cur ergo potius educitur hæc, quàm illa? quòd ſi dicat determinari ad hanc formam à prima cauſa, idem dicam de creatione. quare ratio Okan non valet. Secunda conc. Agens naturale nihil poteſt de ſe annihilare. prob. primo, quia tan ta eſt diſtantia à non eſſe ad eſſe, quanta ab eſſe ad non eſſe; & quia vtraq; diſtantia eſt infinita, non poteſt ſuperari à virtute infinita, non poteſt nec creare, nec annihilare. Secundo, quia ſicut Deo non conſeruante per nullam creatam efficientiam res poteſt permanere, ita Deo conſeruante per nullam actionem poteſt res annihilari; at nulla actio poteſt cogere Deum ne conſeruet; ergo per ſe nihil poteſt annihilare agens naturale. Tertia conc. probabiliſſimum eſt, & mihi certum, agẽs naturale poſſe annihilare per accidens; & hoc per accidens requirit primum, vt agens naturale poſſit per ſe producere aliquid naturaliter incompoſſibile rei annihilandæ. Secundũ, quòd

quòd id quod eſt deſtruendum non ſit aliquid ita per ſe ſubſiſtens, vt expulſum ex loco vbi ante erat poſſit perſeuerare, & non poſſit alio migrare; ex his enim duobus ſequitur annihilatio; nam vel his poſitis Deus vult ſeruare naturæ ordinem, vel vult facere miraculum. ſi ſecundum, tunc non ſequetur annihilatio. ſi primum, ſequitur quòd quia Deus ſecundum naturæ ordinem non conſeruat res niſi in loco in quo ſunt aptæ conſeruari; ideo naturaliter debet ibi deſinere eſſe, & cōſequenter annihilari. Quarta conc. ſpecies Sacramentales cum deſinunt eſſe, partim corrumpuntur, & partim cōſequenter annihilantur ab agente naturali: corrumpuntur accidentia quæ habent ſubiectum; & hoc eſt contra Okan, qui negabat ſubiectum. annihilatur autem quantitas, & hoc eſt contra D. Thomam, conſequenter tamen; quia Deus non decreuit conſeruare accidentia Sacramentalia ſine ſubiecto, niſi quãdiù ibi eſt Chriſtus; alioquin ibi miraculum eſſet fruſtra. Sed poſita ſola quantitate, Chriſtus non poſſet ibi eſſe, quia non maneret ſubſtantia panis cum ſola quantitate. Hinc fit, quòd ſi accidens naturale corrumpat alias diſpoſitiones qualitatiuas neceſſarias conſeruando pani, conſequenter etiam debet illa quantitas habere vel ſubiectum nouum, vel deſinere eſſe. ſi deſinit eſſe, non per corruptionem, quia non habet ſubiectũ nouum niſi per miraculum: ergo &c. Ad argumentum D. Tho. Reſp. quòd annihilatio, & corruptio non differunt penes idẽ, & diuerſum eſſe, quia idem eſſe ſicut eſt acquiſibile per diuerſas ſpecie mutationes .ſ. creationem, & generationem; ita etiam eſt deperdibile. Sed differunt penes ſubiectum.ſ. quia ab eſſe ad non eſſe: vel à non eſſe ad eſſe. Obijcies. agens naturale poteſt per accidens annihilare, ergo etiam creare per accidens. Reſp. diſtinguendo: Si ponamus ignem in vacuo, vel Deus poteſt ſine ſubiecto ſupplere ſubiectum caloris producibilis per hunc ignem, ita vt poſito diuino ſupplemento, naturaliter ignis producat calorem; vel non poteſt. ſi primum, tunc nego poſſe creare per accidens; quia quando agens naturale annihilat aliquid per accidens, ſupponitur iam ſubiectum ſuæ annihilatiuæ actionis per accidens .ſ. quantitas; ſed actio creatiua tunc non haberet ſuum ſubiectum, quia ſi habet ſubiectum, non eſt creatio. ſi non habet ſubiectum, præſupponitur quòd Deus non poteſt annihilare. Si ſecundum .ſ.

quòd

quòd Deus suppleat, tunc dico, quòd ille calor respectu Dei creabitur, sed respectu ignis producetur; quia agit quasi in subiecto. & ita non habet improportionem illam. vel potest dici quòd agens naturale creat materialiter, scilicet id quod producitur creatur, sed non à se, verum ab alio .s. Deo.

Quinquagesimumtertium dubium. Quando ex speciebus generatur vermis, vel mistum quid, vel nutriri hominem comedentem; per quam materiam fient vermes; vel per quam materiam nutrietur? Resp. prima opinio est Egidij, theor. 44. & 45. sicut accidentibus Sacramentalibus, & præcipuè dimēsionibus datum est subsistere more substantiæ; ita ijsdem datum est posse esse subiectum actionis naturalis, & formæ naturalis. producta verò forma vermis, sequitur quòd vel ista forma vermis trahet secum suam quandam materiam per naturalem concomitantiam, & sic fiet mistum substantiale: vel si non trahit materiam, tunc quantitas ipsa erit verè materia, & constituet verum compositum naturale; & hoc propter affinitatem materiæ, & quantitatis. Contra hanc multa Scot. in 4. d. 12. q. 1. primo, forma substantialis non est apta inesse nisi proprio potentiali, & proprio subiecto; sed ex forma substantiali vermis, & ex quantitate non est aptum fieri vnum ens per se; ergo non potest fieri vnum compositum. Secundo, actus ex suo genere est posterior potentia, præsertim in creatis; sed forma substantialis ex suo genere est priusquam quantitas; ergo non potest forma substantialis esse actus, & accidens esse subiectum. Tertio, est multo minoris entitatis quātitas, quàm forma substantialis, ergo forma non potest in quantitate subsistere. Secunda opinio est Henr. quodl. 8. q. 36. quòd forma vermis educitur de potentia quantitatis, & deinde pedetentim istum vermem acquirere materiam comedendo, & ita frustatim suam materiam acquiririt. Contra primo, quia iste esset vermis mathematicus, & non physicus, & (quod plus est) quicquid ex hoc verme generaretur vsq; ad finem mundi, essent generationes mathematicæ. Nec valet effugium Henrici quòd acquirit materiam comedendo; nam quid dicet de igne conuertente hostiam in cineres, iste cinis non potest habere materiam. Secundo, sit aliquis puer qui solum nutriatur pane & vino consecrato fluentibus omnibus partibus materiæ præhabitæ remanere solam animam, & quan-

quantitatem, & in resurrectione erit homo æquiuocè. Confutato Henrico, benè puto confutatum D. Thomam, qui (vt credo) ab Henrico non differt. nec valet ratio D. Tho.s. si nō sola quantitas esset materia, sed alia materia à Deo poneretur, fieret in Eucharistia nouum miraculum; & non ex vi cōsecrationis, quæ multò ante præcessit. Non obstat; tum quia non est miraculum propriè quod fit secundum legem ordinariam, quamuis sit supernaturale; vt patet in impiorum iustificatione, & creatione animæ. tum quia esto miraculum; tamen quicquid miraculi in Eucharistia interuenit, fit ex vi consecrationis concurrentis vel physicè si fit dum est consecratio; vel moraliter, si fiat post consecrationem .i. Deus Pepigit vt facta consecratione, facit omnia miracula quæ sunt necessaria ad tegendū hoc mysterium. Tertia opinio est quorundam antiquorum, qui sentiebant generari vermem, & nutriri hominem ex materia aeris ambientis species. Hæc opinio est falsa. & benè confutatur à D.Tho.3.p.q.77.ar.5. Quarta opinio est Bonau.in 4.d.12.ar.2.q.1. Alex.4.p.q.10.m.7.ar.2.§.4. sicut (aiunt) in operibus, & apparitionibus miraculosis, postquam symbola sensibilia sunt functa suo ministerio, resoluuntur in præiacentē materiam; vt columba, linguæ &c. in quibus apparuit Spiritus sanctus; ita species Sacramentales postquam peregerunt mysterium Sacramenti desinente ibi Christo, & Sacramento expirante, reducuntur in suam priorem substantiam .i. recipiunt materiam quam omiserunt; & ex hac fiunt generationes, & nutritiones. Innoc. iij. l. 4. de offic.miss.cap.11.disertis verbis tenet hanc opinionem, sed vt doctor particularis. Hæc opinio est falsa; primo, quia symbola apparitionum miraculosarum benè resolui potuerunt in præiacentem materiam, cùm materiam primam retinerent; sed cùm materia panis vel redit ante gradum alterationis incompossibilis substantiæ panis; vel dum iste gradus est. non primum, quia ante istum gradum cùm maneat ibi Christus, non compatitur secum substantiam panis. non secundum, quia absurdum est tunc substantiam panis redire, cum est gradus alterationis incompossibilis substantiæ panis. Imo dum sunt vermes in fieri, multò magis in facto esse. Quinta opinio est Riccar.in 4.d.12.ar.2.q.2. in Sacramentali conuersione Deus concreauit speciebus Sacramentalibus quandam potentiam

passiuam per quam sunt aptæ transmutari à naturali agente in panis materiam, & formam. Hæc opinio est valdè falsa. primo, materia est subiectum præsuppositum generationi quę fit per agens naturale; ergo repugnat esse terminum istius generationis. consequentia prob. quia terminus generationis consequitur generationem; subiectum verò præsupponitur. Secundo, ex Scoto: Esto sit hoc possibile, tamen esset frustra; nam non posset tunc transmutari ab agente naturali, quia hoc in tantum agit, inquantum est actu per suam formam; ergo per formam, & ad formam agit; non autem ex materia, & ad materiam. Tertio, hæc possibilitas vel est aliquod ens superius materia, vel par materiæ, vel inferius materia; non possunt dici duo priora, quia sequeretur hoc ens esse substantiā, & sic sequeretur cum corpore Christi esse aliam substantiam. si est inferius, vel est accidens, vel est substantia inferior materia; non accidens, nā quo modo accidens à naturali agente potest mutari in substantiam? non substantia, quia esset aliquid substantiæ in Sacramento præter Christum. Item, quia August.l.12.confess.cap.33.loquens cum Deo ait: *Fecisti Domine duo, vnum propè te*, idest Angelum; *& alterum propè nihil*, idest materiam primam: quia nihil infra materiam substantiæ est. Sexta opinio Scoti, qui dicit, quòd corruptis qualitatibus fit à Deo, & ab agente naturali materia quædam, in qua deinde introducuntur dispositiones necessariæ ad formam naturalem educendam. Hæc opinio est contra D. Tho. & rationem; nam D. Tho. negat agens naturale posse facere materiam. ratio verò est, quia nullum agens naturale producit subiectum in quod agit. Confirmatur; quia agens naturale id tantum producit quod est aptum sequi ad eius dispositiones; at hoc forma est, non materia. Septima opinio est Caiet. sicut (inquit) dum Sacramentum manet, dimensiones quantitatiuæ sunt vice materia, & vice subiectum, & consequenter ex ea, & in ea accidentia alia subiectantur; ita in primo non esse Sacramenti, datur quantitati vt sit ipsa materia, & ipsum verum subiectum. probat, quia si in transubstantione panis verè fit corpus Christi, & verè manet non in se, sed in corpore Christi, ita quantitas manet non in se, sed in materia. Hæc opinio est mera chimera. Octaua opinio refertur à Scoto, quòd non potest ibi substitui aliqua materia, quæ

aliquando

aliquando fuerit panis, sed tantum posse poni à Deo materiã nouam. probat, quia sicut illa materia quæ fuit panis non potuit desinere esse nisi transeundo in corpus Christi; ita neq; potest redire materia panis, nisi corpore Christi conuerso in ipsam materiam. sicut si aer sit in aquam conuersus non potest redire idem aer numero, nisi hac aqua transeunte in ipsũ aerem. Hæc opinio videtur esse D. Thomæ 3.p.q.77.ar.5. & licèt Caiet. & Sot. multis modis D.Thomã excusent, & dicant loqui de potentia ordinaria; tamen quicquid sit, hęc opinio est falsa; nam ex Scoto sicut corpus Christi non aliter se habet positiuè in se, quàm ante habebat, quia nihil de pane recepit; ita corpore Christi non se habente aliter, negatiuè potest &c. exemplum verò illud est fallax; quia aliquid materiæ aeris remansit in aqua; & in Christo nihil remansit panis. Nona opinio est Scot. quòd facta specierum Sacramentalium alteratione, solus Deus immediatè producit sibi substantiam quandam compositam iuxta præexigentiam dispositionum præcedentium. probat, quia siquid agens naturale faceret, concurreret tantum ad formam; at hoc non: quia agens naturale non potest agere in materiam nudam, sed in materiam quantam; quòd si est quanta, iam habet formam substantialem. Hæc ratio nihil valet. Decima opinio est OKan. l.4.q.7.& Gabr l.45.& Dur.in 4.d.12.q.7.quam opinionem.D.Tho. refert, & laudat. hæc opinio dicit, quòd in vermium generatione fiunt istæ actiones. prima, agens naturale quod corrumpit species, introducit in quantitatem proprias quasdam dispositiones ordinatas ad formam. Secunda actio, Deus peracta vltima dispositione creat materiam vel nouam, vel eadem quæ desijt. & probabiliùs nouam, vt sit minus miraculũ. Tertia actio, Deus quantitatem panis affectam noua dispositione, ponit in materia. Quarta actio, agens naturale per has suas dispositiones concurrit naturaliter cum Deo vt prima causa ad educendam formam substantialem vermis ex eadem materia quæ præcessit in instanti naturæ. Hæc opinio primo euitat absurda præcedentium dispositionum. Secundo, non patitur aliquid materiæ in vniuerso perire, quin tantundem reficiatur. Tertio, saluat naturalem actionem agentium naturalium vt aliquid agant, & cooperentur. Itaq; est bona opinio. Obijcies ex Soto, in primo instanti naturæ corrum-

puntur qualitates; ergo annihilantur. quia tunc corruptio non est annihilatio, cum est generatio alterius; at in primo instanti non est generatio. Resp. quòd in illo primo instanti fit generatio, quia corrumpuntur qualitates panis, & introducuntur aliæ qualitates.

Quinquagesimumquartum dubium. Quomodo rarefiant, vel addensentur species Sacramentales; Resp. prima opinio refertur à Scot. in 4. d. IV. q. 4. & est Gofredi quodl. 11. q. 3. qui dicit. quòd in rarefactione tota quantitas præcedens interit, & alia noua producitur, sic etiam in addensatione. Hæc opinio est falsa, & confutatur à Scoto. Secunda opinio est Caiet. Datur quantitati vt sit vicemateria, & consequenter vt omnia accidentia possint educi de potentia quantitatis. itaq; in rarefactione vel fit tanta raritas vt sit incompossibilis substātiæ panis, vel vini; vel est compossibilis, & tunc duo fiunt. primum de potentia quantitatis præexistentis educitur raritas. Secundum, facta raritate per modum concomitantiæ, resultat maior quantitas noua; & in hac quantitate illa raritas noua subiectatur. & quia videbat multa sibi obstare, ideo conatur soluere. poterat enim dici illam quantitatem nouam creari. Resp. non creari, quia per modum sequelæ sequitur ad raritatem; imo negat esse miraculum nouum, & negat esse nouam actionem. Secundo, videtur absurdum quòd quantitas noua sit subiectum raritatis; & tamen ipsam consequatur. Resp, quòd in diuerso genere causæ vnum est prius, aliud posterius: in genere causæ materialis, noua quātitas est prior. in genere aliarum causarū, raritas est prior. s. in genere causæ formalis; quia est forma, & sic est prius informato. & in genere causæ finalis; quia agens quod rarefacit, & nouam quātitatem inducit per se primo intendit raritatem. Hæc opinio non est bona. primo, quia D. Tho. q. 77. ar. 2. ad 3. dicit expresse raritatem sequi ad paruam materiam, & ad multum dimensionis. & non contra. Secundo, quia Caiet. non videtur intellexisse quid sit educi de potentia subiecti; quod nihil est aliud, quàm subiectari in eo subiecto dum fit; ergo si raritas educitur de potentia quantitatis præcedentis, in ea subiectatur, non in noua. Tertio, quia si noua quantitas est subiectū raritatis, debet omni modo ipsam præcedere, ita vt in natura prius sit quantitas. nam si noua quantitas resultaret ad raritatem

ritatem, esset posterior in existendo quantitas raritati; sed subiectum est prius in existendo tam forma quæ inhæret, quàm fine propter quem est. fine, quia finis est prius in intentione, sed vltimus in exequutione. forma verò, quia forma non existit nisi per subiectum; & in subiecto; ergo subiectum præexistit. Confirmatur; quia hoc est dicere in ratione causæ formalis esse priorem formam quàm subiectum; nempe quòd prius est esse formam quàm subiectum esse informatum. Sed non prius est forma quàm subiectum sit. Tertia opinio est Soti, qui cùm non inueniret modū quo noua quantitas posset produci sine creatione, negat produci nouam quantitatem. Item in addensatione negat aliquid perdi. Dicit verò raritatem & densitatem esse nouum modum 2.2.q.24.ar.5.ad 1. Contra. sequerentur duo miracula in natura; primum in densatione: si vas plenum aqua densetur, & diminuatur vsq; ad dimidium vasis, si nihil quantitatis perditur, sequitur duas medietates eiusdem quantitatis se penetrare in dimidio vasis. Secundum in rarefactione. s. partem esse æqualem toti in vas vacuum ponatur tantum aquæ quantum sufficiat ad dimidium; rarefiat ita vt totum impleat; tunc illa quantitas quæ erat æqualis dimidio vasis, erit æqualis toti vasi, & sic pars erit æqualis toti. Effugium est; quòd non acquiratur noua quantitas, sed eadem extendatur per subtiliationem. Contra. Esto, habeat hoc locum in cæteris dimensionibus, at non in superficie extima; quia cùm sit subtilissima in profunditate, non potest subtiliari; nam subtiliatio est passio quantorum secundum profunditatem. Quarta opinio est Gabr. l. 45. in can. miss. vbi ad hanc rem discernendam excogitauit sexcentas distinctiones, quibus positis relinquit rem indeterminatam, quia videtur quæsitum philosophicum. Quinta opinio vera est Scoti. in Eucharistiæ speciebus fieri potest quadruplex mutatio. prima secundum locum, & hæc non potest intelligi sine subiecto; subiectum autem est ipsa quantitas, & consequenter reliquæ species. Secunda, est secundum qualitates præcisè, id est non variatis dimensionibus; & hæc habet subiectum suum. s. quantitatem, & potest fieri naturaliter. Tertia, quæ primò, & per se fit ad quantitatem .i. est mutatio, quæ per se primò facit quantitatem maiorem. & hoc non potest esse secundum augumentationem, & diminutionem, quæ est

viuen-

viuentium, sed per appositionem, & diuisionem. & potest fieri virtute naturalis agentis, quia habet subiectum proprium; diuisionis enim subiectum est ipsa entitas partium migrantiũ à positiuo ad negatiuum .i. ab vnione ad disunionem. Appositionis verò subiectum est entitas vnibilium, seu apponibilium migrantium à negatiuo ad positiuum. Quarta mutatio fit & secundum qualitatem, & secundum quantitatem simul .s. rarefactio, & densatio. & pro hac mutatione supponendum est quodam commune omnibus Theologis.s. densitatem, & raritatem non esse formaliter, & præcisè ipsum multum materiæ; quia in Sacramento altaris fides prædicat deesse materiã, & tamen experimur esse raritatem, & densitatem: sunt igitur qualitates fluentes ex parua, vel magna materia. Hoc supposito dicit Scot. quòd in rarefactione noua quantitas debet acquiri, & ista à solo Deo producitur; & ad istam sequitur raritas quæ in quantitate subiectatur. fieri autem à solo Deo patet; quia sine subiecto fit; ergo creatur; ergo à solo Deo. & hæc opinio videtur vera.

Quinquagesimumquintum dubium. An vino consecrato possit admisceri alius liquor non consecratus. quo facto quid resultat? in quo implicitè sunt alia dubia. Primum, si infundatur parum aquæ in vinum consecratum, vtrum illa aqua conuersa in vinum fiat sanguis Christi? videtur quòd sic; quia in omnibus alijs liquoribus quibus superuenit aliqua benedictio, vel consecratio, hoc est solenne, vt reliqui liquores fiãt benedicti, & consecrati. vt si in oleo benedicto infundatur parum olei non benedicti; sic etiam aqua benedicta &c. sed contraria opinio est vera, & communis, & determinata ab Innoc.iij.c. cum mater. de celebr. miss. ratio disparitatis est; quia reliquorum liquorum fit perfecta mistio secundum accidentia, & secundum substantias, quæ pefectè continuantur, & consequenter vnum ex altero sortitur benedictionem. contra verò in vino consecrato non fit perfecta mistio, quia fit mistio cum speciebus consecratis, sed non fit mistio cum substantia vini quæ deest. neq; cum substantia sanguinis Christi, qui cùm sit intra venas misceri non potest. Sit secundum, sed in ordine quinquagesimum sextum dubium.

Quinquagesimum sextum dubium. Si multum aquæ infundatur in species consecratas, an desinat ibi esse Sacramentum? Resp,

Resp. primo est certum, quòd siqua aqua sit notabiliter maioris quantitatis quàm species consecrati, corrumpi species vini, & ita desinere ibi Christum. Tamen controuersum est primo, vnde fiat hæc corruptio vini? D. Tho. sentit; corrumpi vinum non per actiuitatem aquæ, sed per diuulsionem vini in partes minores minimis; vt vinum stare non possit. Dur. in 4. d. 12. q. 3. qui in hoc excelluit, dicit: vini corruptionem non fieri per vini diuulsionem, sed per naturalem actiuitatem. Secundo, controuersum est circa terminum corruptionis .s. si vinum consecratum corrumpitur, in quid corrumpitur? D. Tho. putat vinum corrumpi in tertium quid, non autem in aquam, nec in vinum; quia hæc est mistio. at mistio non est vllum miscibilium, sed aliquid tertium. Sotus confirmat exemplo mulæ .s. quia ex diuersis animalibus diuersæ speciei resultat quid tertium. Secunda opinio est Dur. non esse id necessarium. & probat; quia vel miscibilium est inæqualis actiuitas, vel par; si inæqualis, id quod magis actiuum est, vincet aliud: vincet autem vel citius, vel tardius pro quantitate excessus. si par, tunc est probabile quod dicit Dur. neutrum corrumpi; quia vtrunq; subsistet alteri resistendo. neque valet exemplum mulæ; quia mulæ subiectum disponitur ad vnum mistum dispositione vnius materiæ. & regula D. Tho. est vera in mistione primarum qualitatum. sed in hoc non est perfecta mistio. Tertio, controuersum est si fiat tanta diuisio, vel tanta sit actiuitas aquæ vt corrumpat omnes qualitates vini, vtrum ibi sit Corpus Christi, manente sola dimensione. sed hæc supra determinatum est .s. quòd non. Est tertium & in ordine quinquagesimum septimum dubium:

Quinquagesimumseptimum dubium. Si aqua sit minor vino, vtrum corrumpat aliquid Sacramenti vini. Resp. prima opinio est D. Tho. quòd semper parua aqua corrumpit aliquid vini. & consequenter in aliqua parte vini non est Christus. Secunda opinio est Dur. qui negat hoc esse necessarium .s. quòd nihil Sacramenti corrumpit .i. non est necesse vt corrumpat. Thomistæ volunt reconciliare, & dicunt esse veram Durandi opinionem quando aqua sit minima quædam guttula. Sed opinionem D. Tho. esse veram, quando licèt aqua sit parua, tamen habet aliquas guttulas: & hic est corruptio vini; quia omne agens in agendo repatitur; & sic vinum agens repatitur,

repatitur, alteratur, corrumpitur. Sentio cum Dur. quòd si sit parua in notabili excessu, tamen tota aqua corrumpitur, & nihil vini. ratio est, quia ad saluandam illam reactionem, sufficit quòd dum durat aqua, refringat aliquo modo qualitates vini; sed vinum magis debilitat aquam, & sic totam corrumpit; qua corrupta, vinum se reducit in suas qualitates. verum est quòd potest esse tanta quantitas aquæ, vt aliquid vini corrumpatur. Nunc sit quartum & in ordine quinquagesimum octauum dubium:

Quinquagesimum octauum dubium. Si liquor apppositus vino consecrato sit eiusdem speciei cum vino consecrato, & earundem qualitatum, an corrumpatur aliquid vini consecrati? Vt si ex eodem dolio apponerem vinum vino consecrato. Resp. D. Tho. asserit, ita vt fiat tertium distinctum numero. Dur. negat. cuius opinio vera est; quia non est actiuitas similis in simile. Secundo, quia ex oppositione sequeretur primo, quia si ea eodem dolio erutum vinum infundatur in duos calices, & vtrobiq; consecretur, & mox ambo consecrata misceantur, sequeretur vtrunq; corrumpi, & vtrobiq; Sacramẽtum interire: quod quia poterat accidere in primitiua Ecclesia cum periculo idololatriæ, ideo non est tuta. Secundo, quia si vinum consecratum in vno calice in duos diuidas, & mox misceas, vtrunq; corrumperetur. Tertio, postquam Sacerdos consecrauit in vno calice, si paulo vehementiùs agitet vt minima misceantur, sequeretur corruptio vini, & consequenter Sacramenti. quæ sunt falsissima, & parum tuta. Obijcies, si non corrumpet vinum etiam eiusdem speciei sola mistio, sequeretur quòd si gutta vini consecrati infunderetur in dolium non consecratum, semper illa guttula manebit consecrata. Resp. primo, concedo consequens. Secundo dico cum Scot. quòd quomodo quantitas guttæ est inperceptibilis præsertim post sui dissipationem, ideo potest totum illud dolium profanè bibi. Sit deniq; quintum. & in ordine dubium quinquagesimum nonum:

Quinquagesimum nonum dubium. Cum vinum admistum est eiusdem speciei in substantia, non in qualitatibus, quid inde sequitur? Resp. D. Tho. diceret corrumpi. Dur. verò dubitat an diuersitas colorum vini sufficiat ad corruptionem. sed tandem definit non sufficere. primo, quia color præcedẽ-

tis

tis vini non semper corrumpitur, sed videtur mutatus per secuspositionem alterius vini. signum est, quia non semper facta hac mistione apparet color vniformis, & purus, quod significat mistos colores. Secundo, esto totus color præcedēs corrumpatur, tamen est probabilius non corrumpi ita reliquas species vini, vt Sacramentum desinat esse; tum quia colorum diuersitas se habet per accidens ad Sacramentum, quod sub quouis colore potest confici. tum quia colores non sunt propriæ qualitates vini. secus de sapore. tum quia mutato vini colore, non necessariò corrumperetur eius substantia; ergo neq; necessariò desinet sanguis Christi. In Durandi sententiam videtur Sotus inclinare.

Sexagesimum dubium. Quid si sanguini misceatur alius liquor? Resp. esse sacrilegium. sed quandiù maneret ibi species vini, tandiù maneret ibi sanguis Christi; species autem tunc immutaretur, cum liquor in magna quantitate apponeretur D. Tho. 3.p. q.77.ar.8.

De forma Eucharistiæ. Cap. VII.



PRimum dubium. Quibus verbis fit consecratio. Resp. Forma panis huius Sacramenti est; *Hoc est enim corpus meum*. Vini verò forma est: *Hic est enim calix sanguinis mei &c.* particula *enim* in vtraque forma non est de essentia Sacramenti, sed præcepti, quare esset sacrilegium omittere; est enim redditio causæ. Est conclusio de fide. fit enim hæc consecratio verbis Christi. Concil. Flor. in Bulla. & Trident. sess. 13. c. 3. & Innoc. iij. cap. cum Marthæ. de celebr. miss. Hoc enim Sacramentum cùm sit dignissimum, & maximè attingat ad omnipotentiam Dei, non decuit alijs verbis fieri, quàm verbo per quod facta sunt omnia. Tertull. l. 4. contra Marc. non longe à fine, *Christus (ait) accepit panē, & distributum discipulis corpus suum illum fecit, dicendo: hoc est enim corpus meum.* Cyprian. de cæn. Dom. *Panis communis erat nutriendo corpori ante verba Christi, sed ex quo Christus dixit, hoc est cor-*

pus meum, proficit in salutem animæ. Ambr. l. 4. de Sacram. cap. 4. dicit; *In liturgia intermisceri multa verba, sed vbi cõsecrandum est, non vtitur suis sermonibus Sacerdos, sed verbis Christi; hoc est corpus meum.* Chrysost. hom. 2. in 2 cor. *hāc oblationem Christus sanctificat, sicut enim verba eadem sunt cum verbis quæ Christus est loquutus, ita eadem est oblatio*. & hom. de prodit. Iud. dicit, hominem non conficere Eucharistiam, quia id facit per verbum Christi. & affert illam comparationem de verbis, *Crescite, & multiplicamini*; quæ semel prolata habent etiam nunc effectum, ita verba Christi; *Hoc est corpus meum*. Damasc. l. 4. cap. 14. idem ad verbum. Ambr. l. de Patriarch. benedic. cap. 9. *quem panem idem Sacerdos sūmus suis verbis quotidie consecrat.* Emyss. hom. 5. de pasch. *verbo suo secreta potestate conuertit &c.* & in omnibus liturgijs patrum post verba, *Hoc est enim corpus meum*, proponebatur populo adoranda hostia; & tunc omnis populus respondebat, *Amen*. ad confitendam hanc mysterij veritatem. Dices: in liturgijs græcorum post prolationem horum verborum additur quędam oratio, vt *ille panis fiat corpus Christi, & vinum sanguis*; ergo nondum erat factum; ergo non sunt hæc verba formæ, &c. Resp. in Concilio Flor. sess. vlt. de hac re habita est quæstio, & ibi interrogati græci quò nam pertineat illa oratio, responderunt græci; primo, sibi certum esse tanquam de fide catholica fieri consecrationem verbis Christi. Secundo, illam orationem ad factionem corporis Christi absolutè, sed respectu nostri .i. in salutem nostri, & in remissionem peccatorum. Est alia responsio latinorum, non peti ibi effectum vllum nec salutis quidem, sed perpetuitatem, & firmitatem facti operis .i. vt perseuerent in fructu habito per communionem. probatur ex Marc. 5. vbi mulieri sanæ dicitur; *Vade, & esto sana à plaga tua*; idest stabilio, & confirmo tuam sanitatem.

Secundum dubium. An Christus consecrarit ijsdem verbis quibus nos. Resp. prima opinio est, non consecrasse vllis verbis, sed seipso qui est verbum patris. nos autem quia non sumus verbum essentiale, indigemus vocali. huius sententiæ fuit Franciscus Mayro. vt refert Bonau. in 4. d. 8. ar. 2. q. 3. & est relatus à Gabr. l. 36. & 48. in can. vbi addit, hanc opinionem defendi posse. & Cather. in Concilio Trid. defendit hanc opinionem

nionem. Sed Concilium non admisit. & Innoc. iij. l. 4. de myster. miss. cap. 6. defendit hanc opinionem. Sed nihilominus hæc opinio est falsa. primo, quia Euangelistæ dicunt Christũ benedixisse, fregisse, & dedisse panem. Ioan. 6. at omnis benedictio verbis, & benedictionibus constat. est Dur. Secũdo ex Bonau. Christus in Sacramentis conficiendis non volebat suã omnipotentiam ostentare, sed modum conficiendi discipulos docere. Tertio, ex eodem Bonau. sequeretur hæc verba: *Hoc est corpus meum*, efficaciora esse in ore nostro, quàm in ore Christi. Quarto, postquam Christus consecrauit, subiecit hæc verba; *Hoc facite in meam commemorationem*; idest facite quod ego feci. s. hoc modo. Obijcies Christus alia Sacramenta ministrauit sine verbis, ergo & hoc. Resp. Christus reliqua Sacramenta instituit, non ministrauit; nam Ioan. 4. dicitur, quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius, hoc tamẽ Sacramentum propter sui excellentiam & instituit, & ministrauit. Secunda opinio est nonnullorum dicentium, Christũ consecrasse alijs verbis quæ Euangelistæ prætererunt; quia dicunt Euangelistæ *benedixit*, & mox ait; *Hoc est corpus meũ* ergo ante benedixit; ergo quibusdam verbis. Hæc opinio est falsa, primo, quia Tertul. Cypr. Ambr. Chrysost. & alij in primo dubio citati, dicunt his verbis consecrasse; vt ibi dictum est. Secundo, si alijs verbis fecisset, tunc Sacramentum Christi & nostrum differrent formis essentialibus; ergo essentialiter. Tertio, debuit nos Christus docere modum conficiendi tam stupendi misterij; ergo censuit se satis suo exemplo indicasse. Quarto, Euangelistæ minuta quædam prosequuntur, ergo non debuerunt omittere quod grauissimum erat. s. formam. Quinto, quia videntur concilia id definiuisse, & Innoc. iij. insinuat. vt supra dictum est in primo dubio. Aliqui glosant Innocentium, quòd ibi nihil statuit de suo, sed solum refert verba Episcopi scribentis. Sed hæc glosa est mala: quia si Innoc. aliter sensisset quàm Episcopus, ipsum correxisset sicut in multis. Dices. Euangelistæ narrantes huius Sacramenti institutionem, & confectionem, habent hæc verba; *accepit, benedixit, fregit, dixitq; hoc est corpus meum.* constat in illo verbo *benedixit* fuisse consecratum; & tamen non erant prolata verba; *Hoc est corpus meum*. confirmatur; quia per illa verba, *Hoc est corpus meum*, non significat se facere cor-

pus suum, sed ideo dare, quia est corpus suum. Resp. Christus in vltima cæna celebrauit tres cænas. Primam legalem, ceremonialem, religiosam, vt commestio agni paschalis. Secunda, fuit communis, profana, ciuilis, domestica, politica, & æconomica ad satietatem. Tertia fuit Sacramentalis. nunc dico, illud *benedixit:* non fuit mensalis, seu cæremonialis mensæ, in qua more Iudaico tanquam pater familias Christus mensæ benedixit, & nescio quid immurmurauit, vt ait Caluinus; sed fuit benedictio mensæ Sacramentalis. nam si hoc *benedixit* pertineret ad ritum Iudaicum, debuerat potius Christus in duabus pr oribus cænis apponere illud *; benedixit;* quę erant communes ritui Iudaico. Secundo, quia cùm Euangelistæ præterierint benedictionem priorum duarum cænarum, & omnes prætereunt, & tamen omnes diligenter expresserint benedictionem tertiæ cænæ, ergo in hac tertia cæna est mysterium priorum. Tertio, quia omnes patres quos supra citaui cap. 6. dubio 21. (cum agerem de transubstantiatione) dicunt hanc benedictionem fuisse miraculosam, transubstantiantem panem in corpus Christi. Vnde Ambr. & Chrysost. dixere hanc benedictionem fuisse supernaturalem. & confirmatur, quia in scripturis sacris quoties ponitur benedictio Dei, nunquam ponitur pro sermone tantum, sed ponitur pro aliquo effectu. Dices. Mirum est omnes Euangelistas discreuisse temporibus, & locis, *benedixit;* & *hoc est corpus meum;* ita vt ly *benedixit* omnes præponant fractioni: dicentes; *benedixit, ac fregit.* & ly *hoc est corpus meum.* postponant fractioni: dicentes; *benedixit, fregit, deditq; discipulis suis dicens: hoc est corpus meum.* Resp. & pono hanc regulam: Cùm multa verba in vnam rem ordinatè texantur, siquid sit vni verbo proprium quod appositum suo verbo instituti ordinis cursum turbarunt, congruè id quod est proprium vni verbo, solet subijci post omnia verba; si illud sit eiusmodi vt facilè posset intelligi ad quod verbum pertineat. vt siquis dicat, corripuit, probris onerauit, vinxit, occidit, dicens: proditor, scelerate, pernicies reipublicæ; quæ verba pertinerent ad probra... Item, conuenit amicum, salutauit, complexus est, dicens: salue dulcissime rerum: quæ verba copulanda erant cum salutauit. Sic etiam Euangelista vt inoffenso pede omnia illa quatuor percurreret, reiecit *hoc est corpus meum,* in vltimum locum

locum. Cùm tamen hæc verba consecrationis, *hoc est corpus meum,* valde probabile sit ante fractionem & dationem panis fuisse à Christo prolata. & illud *benedixit* sumitur pro efficaci consecratione Sacramentali. igitur eo loco habuit Christus hæc verba, quo Euangelistæ habent *benedixit*; sed obijcit Sotus. nam non decuit priùs consecrari Eucharistiam, deinde frangi, quia poterant cadere micæ. Sed torqueo argumentum; Sotus fatetur quòd post factam consecrationem fuit facta porrectio, & ista fiebat in manu, vt patet per illa verba, *accipite*; certè quod fuit periculum in fractione, erat etiam in porrectione. quare dicendum est, ne cadant micæ fuisset adhibenda vel aliqua exquisita diligentia, quæ à Christo non ignorabatur; vel miraculosè factum id fuit ne caderent. Secundo obijcit. nam non debebat Christus simul consecrare, & frangere. Resp. non erat timendum ne Christus distraheretur fractione. Secundo, potuit etiam primùm frangere, deinde consecrare.

Tertium dubium. An Sacerdos proferat hæc verba Christi, recitatiuè, an significatiuè, an indicatiuè, an personaliter, an demonstratiuè. Resp. Sacerdos potest tripliciter proferre hæc verba. primo, materialiter, non significatiuè, vt *blittri*. Secundo, significatiuè, & formaliter quidem, sed recitatiuè, idest historicè, & narratiuè. Tertio, significatiuè, & personaliter .i. ex persona Christi .i. profert hæc verba ex persona repræsentante personam Christi facientis per Sacerdotem quod fecit olim per suam personam. Nunc dico; hęc verba non possunt sumi primo modo; quia Sacramentalia verba tantum faciunt, quantum significant. quo loco non est audiendus Gabriel l.48. super can. missæ; qui dicit, hęc verba habere vim significandi, non vt consecratiua, sed vt à Christo instituta. quoniam & si possibile fuit Christo conficere Sacramentum etiam verbis non significatiuis, tamen de facto debent habere vim etiam vt significatiua. Secũdo dico cũ cõmuni opinione cũ tertio modo, & non secundo modo debere proferri hęc verba, contra Dur. in 4.d.8. q.2. & contra Innoc.iij.l.4. de myst. miss qui vt doctor idem sentit quod Dur. prob. primo ex Concilio Flor. in bulla. & Trid. sess. 13.cap.3. & 4. vbi habetur, quòd Sacerdos cum dicit, *hoc est corpus meum,* non significat fieri conuersionem in corpus Sacerdotis,

quia ex institutione Christi, & Ecclesiæ talia verba profert Sacerdos in persona Christi. D. Tho.3.p.q.75.& 76. Sot.in 4 d.10. Victor. q. 61. forma enim huius Sacramenti sunt verba Christi, vt diximus supra, dubio primo. Secundo, si solum recitarentur historialiter, non applicarentur ad materiam quam habet Sacerdos in altari, sed ad illam Christi;& sic hęc materia in altari non consecraretur: Tertio, si tantum recitatiuè, seu historialiter recitarentur, non tantum plus conficeret Sacerdos nunc dicens hęc verba, quantum si recitaret Euangelium passionis; ergo non tantum recitatiuè, sed personaliter recitat. cum dico *personaliter*, duo excludo. primum, solam vim recitatiuam historico propriam; & profero hæc verba tanquam legatus Regis ad bellum indicendum: Secundum, vim solam instrumenti, & ministri. nam in alijs Sacramentis Sacerdos est minister Christi. in hoc autem Sacramento non solum est instrumentum, sed etiam tanquã alter Christus. & se habet nunc tanquam comędus in scena repręsentans Regem, qui tunc dicitur Rex. probatur, quia dicit: *hoc est corpus meum*; quasi diceret, ego sum tanquam alter Christus.

Quartum dubium. In consecratione panis, pronomen *(hoc)* pro quo supponit; pro pane, an pro corpore Christi? Resp. omissa hæresi Caluini dicẽtis *(hoc)* poni pro pane & *(est)* pro significat.i. hic panis significat corpus meum; cui repugnat *hoc*, non *hic*, & patres exponunt *est* pro *est*, & non pro *significat*. Dico; ex hac forma verborum colligi non solum pręsentiam Christi in Sacramento, sed etiam conuersionis panis in corpus. ex quo inferunt Theologi sensum horum verborum non solum esse speculatiuum, sed etiam operatiuum, significatiuũ, & practicum, & hoc est de fide. At quoniam potest aliquid dupliciter esse de fide, primo, quia est de primo intellectu verbi Dei .i. quia est expressum in scripturis; quomodo est de fide Christum esse Deum, & hominem; *Verbum caro factũ est*. Secundo, aliquid est de fide, quia est de secundo intellectu verbi Dei: quia .s. quamuis non sit expressum verbo Dei, tamen necessariò deducitur ex his quę sunt expressa; vt Christum esse risibilem; quamuis scriptura non dicat, tamen deducitur ex eo quòd homo erat. & in hoc sensu est apud Theologos.

Quintum

Quintum dubium. An illa conuerſio panis in corpus Chriſti ſit de primò intellectu. an de ſecundò intellectu. Reſp. Bonau. in 4. d. 8. ar. 2. q. 3 Riccar. à Sancto Vict. l. de Trin. & Riccar. Mediauil. in 4. d. 8. ar. 3. q. 1. & Gabr. l. 45. in can. miſſ. Alenſ. 4. p. ſumm. Theol. q. 4. m. 4. ar. 2. & Marſ. l. 4. q. 6. ar. 1. dicunt eſſe de primo intellectu. ſed de modo, variant. OKan verò, & alij non curant an ſint de primo intellectu nec nè; dicunt tamen colligi euidenter. Ego puto hanc opinionem eſſe probabiliorem; quia omnia verba iſtius formæ ſecundum primum intellectum ſunt verba permanentiæ, & conſiſtentię. confirmatur, quia aliter erimus ridiculi hęreticis, qui nos calũniabuntur tanquam peruerſores verborum quòd trahamus illa quò velimus. Obijcies. de primò intellectu huius formę eſt præſentia corporis Chriſti, ſed hæc non fit niſi pręcedente conuerſione; ergo multo magis conuerſio eſt de primò intellectu. Reſp. omni Sacramento ſufficere vt ſignificet ſuum effectum, & modum effectus, quamuis non ſit neceſſe vt ſignificet omnia eo ordine quo fiunt. vt, dicit Sacerdos qui baptizat, *Ego te baptizo*; in primo intellectu hoc ſignificat mundare, & tamen conſequenter ſignificat regenerationem; quia ſit mundatio non quolibet modo, non igne, ſed aqua, quę eſt mundatiua, & fęcundatiua. ergo regenerat in filios Dei.

Sextum dubium. An iſta propoſitio; *Hoc eſt corpus meum*, ſit vera dum profertur. ratio dubitandi eſt; quia dum profertur, non eſt corpus Chriſti, ſed in fine; ergo dum profertur eſt falſa. Reſp. prima opinio eſt Scot. qui dicit primo; iſta propoſitio dum profertur ſignificat eo tempore quo profertur copula verbalis, *eſt*; & quia tunc ſignificat, de rigore falſa. eſt. eſt autem vera ex ſola intentione proferentis iſtam extendentis vſq; ad vltimum inſtans prolationis. Secundo dicit, quòd iſta propoſitio eſt cauſa conuerſionis Sacramentalis non vt vera, neq; falſa, ſed vt neutra. Primum eſt verum, Sed hoc ſecundum eſt falſum. Primo, quia repugnat in aliquo priori propoſitionem verè ſignificare, & tamen eſſe neutram; nam ſi ſignificat rem vt eſt, & ſic eſt vera; vel vt non eſt, & ſic eſt falſa; nam inter eſſe, & non eſſe, non datur medium. Secundo dico, quòd non ſignificat in illo .i. dum profertur; quia verbum ſignificat propriè coniunctionem extremorum; ergo antequam extrema ſint prolata, nõ ſignificat verbum proportionaliter;

tionaliter; quia debet expectare propositionem absolutam. Secunda opinio est Soti, qui dicit, sicut ingressus venti per fenestram est prior,& posterior fenestrę apertione indiuerso genere causarum, nam in genere causę efficientis est prior ingressus venti, quàm apertio fenestrę, nam ingrediendo aperit fenestram; sed in genere causę materialis est prior apertio fenestræ; nam si fenestra non aperiretur, non ingrederetur vẽtus, nam aliter dabitur penetratio;sic veritas (ait) istius propositionis est prior, & posterior in diuerso genere causæ Sacramentali conuersione; nam in genere causę efficientis, est prior propositio Sacramentali conuersione, quia causat illam; sed in genere causę materialis, vel obiectiuę,est prior conuersio Sacramentalis quàm veritas propositionis; nam ideo est vera hæc propositio, quia conuersione facta, positus est ibi Christus. Hęc opinio non est bona. Primo, peccat in exemplo, quia fateor impulsum venti esse priorem apertione fenestrę; sed ingressus venti est posterior omni modo apertione fenestrę, quoniam cedente fenestra ingreditur ventus. Secundo peccat in applicatione. nam veritas propositionis debet esse omnimodo posterior conuersione;quia in genere causę materialis nobis Sotus concedit esse priorem conuersionẽ; & etiam secundum causã efficientem; quia conuersio posita in re, causat veritatem propositionis. Confirmatur; quia veritas est adæquatio intellectus cum re in seipsa; ergo est prior res in seipsa, quàm veritas; veritas enim propositionis aduenit rei. Tertia opinio est D. Tho.3.p.q.78.ar.5. quam explico. aliter accipitur veritas propositionis in speculatiuis, aliter in practicis;in speculatiuis veritas supponitur propositioni veræ.i. res ita se habet in seipsa. sed in practicis secus est; nam in practicis duplex veritas est; vna est inchoata, alia est consumata. inchoata duo requirit: primum, vt proferatur ab eo qui intendit, scit, & potest facere id quod significat per talem propositionem. Secundum, vt id quod significatur etiam si non existat dum propositio profertur, tamen Paulo post sit futurum,ita vt dicatur simul esse cum propositione moraliter. v.g.ego curro,& postquam cæpi currere profero hanc propositionem, vera est. ratio est, quia veritas in his practicis est adęquatio intellectus cum re; quæ adæquatio est relatio rationis comparantis propositionem cum re vel coexistente,

vel

vel præconcepta paulo ante; ita vt res illa paulo post futura, vt præconcepta per intellectum, verificet propositionem; eo modo quo finis nondum existens, seu futurus, sed vt conceptus futurus mouet agentem. Consumata autem veritas est, cum simul tempore est prolata propositio,& verum est dicere, nunc res est; neq; dicitur esse tunc consumata veritas quia tunc habet subiectum, hoc enim fuit signum vocale quod trāsijt; sed dicitur consumata veritas, quia tunc adest obiectum quod præconceptum vt futurum, verificauit propositionem. apponam exemplum:cum Christus puellæ mortuæ manum accepit, & dixit Luc. 8. *Puella tibi dico, surge*; illud pronomen *(tibi)* non demonstrabat puellā viuam,nam tunc non viuebat: si mortuam monstrat, mortua ergo surgit. Item, cum dixit Ioan.11. *Lazare veni foras*;vocauit mortuum, qui viuus prodijt. Ita dicam; panem in primo instanti verborum esse mortuum.Sed in vltimo instanti panem mortuum prodire viuum. ita vt verum sit dicere, *ego sum panis viuus*. audi similitudinem; sunt aliqua vina vilia, & austera; sed vbi per maris vndas transuehuntur Romam, vel ad Indos, sunt pretiosa,& suauissima: nunc ergo si tale vinum mittas ad amicum,rectè scribes si dicas, mitto tibi vinum pretiosum; sed demonstratio non est vini pro tempore quo mittis,sed pro tempore quo accipiendum est. Sic Gen.19.dixit Abraham; *Loquar ad Dominum cùm sim puluis, & cinis*; tunc non erat puluis, sed dicebat id quod futurus erat; sic dicitur hic *corpus*, quia in vltimo instanti prolationis corpus erit.His positis dico breuiter.*Hoc est corpus meum*; habet vtranq; veritatem cùm sit practica; consumatam in vltimo instanti prolationis, inchoatam verò dum profertur; quia profertur à Sacerdote intendente, & sciente facere quod intendit. Vnde secundum omnem rigorem practicæ propositionis non minus est vera hæc propositio, *Hoc est corpus meum*; ac illa; *ego curro*.

Septimum dubium. An hæc forma sit decens .i. An pronomen *hoc* propriè significet quod est in prospectu proferentis: nam corpus Christi non erat in prospectu audientium; ergo debuit poni aliud. Resp. *Hoc*, cadit super aliquid quod sit in prospectu;sed potest esse in prospectu vel secundum seipsum, vel secundum id à quo continetur. at corpus Christi continebatur in speciebus, ideo sine præiudicio veritatis potest de-

 monstrari,

monstrari, & exprimi contentum omisso continente. Vt, video saccum plenum tritico, dico: hoc est triticum; quia saccus non est sui gratia, sed gratia alterius; quare non intelligunt saccum esse triticum.

Octauum dubium. Cùm actio conuersiua ponat Christum in Sacramento, debuit poni verbum transitus, non consistentiæ. v.g. *Hoc fit corpus meum.* Resp. melius fuit (*est*). primo, quia (*fit*) simpliciter significat transitû à non esse ad esse, qualis non est in corpore Christi; quia Christus est ante. Secundo ex D. Tho: quia cùm Sacramenta comparentur artificialibus, etiam forma Sacramenti comparatur formæ, & ideæ artificialium. Idea autem artificialis significat vltimum effectum, non effectionem. ideo est congrua. Tertio, quia cùm hoc mysterium sit penè incredibile, pertinebat ad institutionem eius, vt ad roborandam fidei nostræ certitudinem, ita significaretur, ac si esset; non ac si fieret. sicut propheticæ visiones de futuro loquuntur in præterito. vt; *Factum est autem &c.*

Nonum dubium. Cur non dixit: *Hæc est caro mea*? ratio dubitandi est, quia datur per modum cibi; at *caro* cibus est. Resp. prima ratio, respectu eius quod est res, & Sacramentum, ad significandum integritatem eius. Secunda ratio. respectu vnitatis mystici corporis Ecclesiæ, quod hic significatur. quia in hierarchia Ecclesiastica sunt diuersi gradus.

Decimum dubium. Cur hic non exprimitur minister sicut in alijs Sacramentis? Mihi videtur quòd in alijs Sacramentis minister exprimitur in actu, quo applicatur Sacramentum suscipienti, non in actu quo sanctificatur materia. vt, non dicitur: ego imprimo aquæ sanctificationem: in hoc autem Sacramento primus actus quo nempe applicatur Sacramentum suscipienti non exprimitur actus secundus. s. quo materia conuertitur in corpus Christi; ideo non debuit explicari minister. Confirmatur, quia licèt minister in hoc Sacramẽto concurrat ministerialiter: tamen quia propter sui eminentiam excedit omnem naturam, ideo minister tacetur.

Vndecimum dubium. Cur non dicit Sacerdos, *Hoc est corpus Christi*? ratio dubitandi est, quia cum Christus dabat potestatem Apostolis faciendi miracula, dixit; *in nomine meo &c.* sic debuit fieri hic. Resp. quia in signis faciendis non operatur

ratur concepta forma verborum, sed fides. Vnde in miraculis semper fit mentio fidei; & ideo non licuit Apostolis mutare; at in Sacramentis operatur non fides, sed concepta forma verborum. Adde, quòd in miraculis sancti sunt tanquam instrumenta Dei, & ideo nominant Christum vt quid distinctũ; sed in hoc Sacramento sunt Christus repræsentatiuè.

Duodecimum dubium. Quæ est forma sanguinis? *Hic est calix &c.* vt dictum est supra dubio primo, & tenemur dicere omnia illa verba, licèt non omnia necessaria sint. *Hic est calix sanguinis mei* .i. in hoc calice est sanguis meus. dicitur autem figuratè, vt significet se dare sanguinem in potum. *Noui & æterni testamenti*; testamentum est quo aliquis disponit hæreditatem aliquam intercedente morte propria. Deus duplex pactum iniuit cum homine. Primum cum Iudæis de venturo Messia, & de incarnatione Verbi; hanc promissionem Deus confirmauit morte animalium, quæ significabant mortem Christi, qui in animalibus mortuus est. in figura confirmauit pactum vetus de Messia venturo. Secundum, pactum fuit de vita æterna; & hanc promissionem firmauit morte propria in cruce. priori testamento successit alterum. sed huic non succedet aliud. est ergo sanguis noui testamenti quo firmatur hæreditas æterna, quia non succedet illi aliud testamentum. *Qui pro nobis, & pro multis effundetur*: passio Christi habuit sufficientiam qua fuit sufficiens redimere omnes. habuit efficaciam, quia redemit multos: propterea dicitur, *pro multis*, quoad efficaciam: quamuis *pro omnibus*, quoad sufficientiam.

Decimumtertium dubium. Cùm multa verba proferantur in consecranda Eucharistia, quæ verba sunt de essentia? .i. an ab illo loco: *Qui pridie quàm pateretur &c.* fit de essentia consecrationis panis? Resp. prima opinio est Scoti. quòd nisi proferantur illa verba; *qui pridie &c.* non fit Sacramentum. Probat, quia licèt essentialia verba formæ sint tantum; *Hoc est corpus meum*: tamen præcedentia sunt necessaria; quia determinant de quo corpore loquatur forma. neq; (inquit) sufficit intentio; quia ea quæ fiunt ex vi Sacramenti, debent explicari verbis Sacramentalibus. Dicit secundo, quòd si omittantur præcedentia verba, est tutius credere non esse consecratum. tamen quia hoc est dubium, debet Sacerdos sumere pa-

nem sic consecratum sub conditione postquam communicauit. Secunda opinio est Dur. in 4. d. 8. q. 2. & Riccar. in 4. d. 8. ar. 3. q. 1. Gofred. relati, & malè confutati à Scot. & D. Tho. quòd verba essentialia sunt, *Hoc est corpus meum*. Prob. primo, quia in re tam graui non decebat relinqui Ecclesiam perplexam; alioqui sæpe esset iteranda forma propter incertitudinem. Secundo, quia præcedentia verba non sunt pars formæ etiam secundum Scot. ergo non sunt necessaria; quia ex Concilio Flor. in Bulla tria tantum sunt necessaria; materia, forma, & intentio. Tertio, quia illa verba canonis præcedentia non semper fuerunt eadē in omnibus liturgijs; ergo &c. Quarto ex Dur. positis verbis præcedentibus quæ Scot. requirit, non sufficienter fit demonstratio quam Scotus requirit, nisi recurratur per intentionem ministri. quia ex vi verborum verba solum determinant quòd Christus consecrauit panem quem habebat; non quòd nunc consecretur hic panis præsens, quare vt referantur hæc verba ad panem præsentem, necessaria est intentio ministri vt determinans. Confirmatur, quia supra determinauimus fieri consecrationem verbis Christi; & verba præcedentia sunt Euangelistæ, vel Ecclesiæ. Confirmatur; quia in omnibus liturgijs Ecclesia semper consueuit illa quinq; verba distinguere ab alijs.

Decimumquartum dubium. Siquis solum proferat verba essentialia, an peccet mortaliter? Resp. Sot. sentit esse peccatum mortale si omittentur præcedentia, etiam si (inquit) non sit mortale omittere aliquam solennitatem baptismi. ratio est, quia cùm baptismus sit Sacramentum necessitatis, minùs obligat ad suā solennitatem. Sed Eucharistia cùm sit Sacramentum non necessarium, vel non est celebrandum, vel celebrandum vt oportet.

Decimumquintum dubium. An in calice consecrando sint essentialia omnia verba vsq; ad illud; *In remissionem peccatorum*; an solum, *Hic est sanguis meus*. Prima opinio est D. Tho. quòd omnia sunt de essentia. Primo, quia de essentia Sacramenti Euangelici est forma enunciatiua, & consequenter quicquid est determinatiuum prædicati formæ enunciatiuæ: sed reliqua verba determinant prædicatum formæ enunciatiuæ, ergo sunt de essentia. Explicatur minor: determinatur enim quis sit sanguis, per sequentia .s. qui funditur &c.

Secundo,

Secundo, quia ista omnia verba proferuntur à Sacerdotibus eodem more & ritu ac prima. Tertio, quia Innoc. iij. cap. cum Marthæ. de celebr. miss. dicit, illa verba fuisse prolata à Christo, & tradita Ecclesiæ ab Apostolis, quamuis non sint omnia in Euangelio. Vnde colligunt Thomistæ quod definit Innoc. esse essentialia. Secunda opinio est Scot. & Dur. qui dicit quòd ad essentiā cōsecrationis sufficit dicere *Hic est sāguis meus*, hæc est vera. probatur primo, quia sicut est propriū Sacramento Euangelico efficere quod significat, ita significare quod efficit; sed ista consecratio solum efficit illud vinum fieri sanguinem; ergo solum sufficit significare esse ibi sanguinem. Secundo ex Scot. etiam Christus in pane determinauit prædicatum formæ quadam additione, videlicet. *Quod pro vobis traditur*; quare si in vno non est necessaria, cur in altero? Tertio ex Dur. quia in liturgia Basilij quæ fuit tradita ei ab Angelo, & qua nunc vtuntur communiter græci, non habent omnia ista verba. Quarto, illa verba adduntur ad explicandum effectum, & vsum Sacramenti; at effectus, & vsus Sacramenti non est essentialis huius Sacramenti; ergo &c. Confirmatur; quia in forma calicis assumitur verbum, quod non minus aptè poterat poni in forma panis; videlicet, *mysterium fidei*. Ad argumenta D. Thomæ ad primum resp. sicut ad determinandum prædicatum formæ panis sufficit illud, *meum*; ita ad sanguinem, *meus*. Ad secundum resp. quòd quia sunt omnia de præcepto, ideo eodem ritu proferuntur. Ad tertium resp. Innoc. dicit fuisse à Christo, & ab Apostolis, non tamen sunt omnia essentialia; quia etiam Christus dixit, *Accipite, & manducate*; quæ non sunt de essentia. sic neq; hic. Sotus quia videbat D. Thomæ sententiam labascere, inuenit nouam inuentionem; videlicet dupliciter potest aliquid esse de essentia. primo, quia est de essentia, & quiditate formæ, & sic non est intelligendus D. Thom. Secundo de substantia .i. de integritate formæ, sicut tres mersiones in baptismo, & tamen sicut tres mersiones cum adhibentur ex intentione Ecclesiæ aliquid operantur ad effectum baptismi, ita cum adhibentur reliqua verba ex intentione Ecclesiæ, aliquid operantur ad consecrandum calicem. Sed hoc vltimum dictum est valdè falsum; quia etiam secundum Scotum, prolatis his verbis *Hic est sanguis meus*, Christus adorari potest, ergo reliqua verba

verba quid faciunt ibi? nunquid magis consecrant? hæc de forma.

De effectu Eucharistiæ, et de sacrificio missæ. Cap. VIII.



Rimum dubium. Qui sunt effectus Eucharistiæ. Resp. Eucharistia habet plures, & varios effectus, non solum vt Sacramentum est, sed etiã vt sacrificiũ est. agamus primo de Eucharistia vt Sacramentum est, postea de ea ipsa vt sacrificium est.

Quoad primum caput. Eucharistiæ effectus ad duo capita reduci possunt, vt prouocant hominem ad bonum, & vt eripiunt à malo. primi generis sunt quinq; Collatio gratiæ gratum facientis, eiusdem gratiæ augumentatio, gustatio diuinæ dulcedinis, perseuerantia in bono, & adeptio felicitatis. D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 1. & 2. Primus igitur huius Sacramenti effectus est, conferre gratiam gratum facientem, & magnam copiam gratiæ, & quamuis sint duæ species, non datur maior gratia sub vtraq; quàm sub vna. prob. ex Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Concil. Trid. sess. 7. can. 7. & 8. & Flor. & cap. cùm Marthæ. de celebr. miss. Huius primi effectus officium est, vnire nos cum Christo, ita vt anima nostra transeat in Christum, sicut cibus mutatur in corpus viuens, vt docet August. l. 7. confess. & ex hac vnione quodammodo vitam, sensum, in fluxum omnium diuinorum donorum recipimus eo modo, quo cera per impressionem sigilli recipit totam formam sigilli, vt aiunt Damasc. Cyrill. & Iustinus martyr. hæc autem vnio fit in spiritu per charitatem 1. Ioan. 3. vnitur enim anima nostra cum Christo sicut insertum cum arbore, palmes cum vite, radices cum sole, & membra cum corpore: recipit enim influxum à Christo ad frenandas passiones. hæc est magna vnio, *Qui manet in me, & ego in illo:* quam vnionem vtpotè substantialem accedere proximè ad vnionem personarum diuinarum dicit ibi Christus; *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem; & qui manducat*

ducat me, ipse viuet propter me. Secundus consistit in multis. vt enim cibus materialis nutrit, auget, conseruat, reparat, & delectat corpus; ita Eucharistia hos effectus producit spirituales in anima. vnde Tertull. l. de resur. carnis, ait; *Quod caro nostra saginatur carne Christi, quia charitas augetur, roboratur, & perficitur*. Vnde patres tribuerunt huic Sacramento robur ad tolerandas omnes aduersitates, Cyprian. Ambr. August. cum Ignatio. hinc Damascen. l. 4. de fide orthod. cap. 14. comparat carboni; vt enim ille est vnitus igni, sic iste panis diuinitati. quod etiam ait D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 1. ad 2. hoc igitur Sacramentum efficit in anima omnes effectus qui fiunt in corpore à cibo spirituali; præseruat à morte vel peccati, vel gehennæ; Ioann. 6. *Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis manducauerit, non moriatur*. Confert vitam; *Si quis manducauerit, viuet in æternum*. & infra: *Caro quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. conseruat vitam; *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. i. non conseruabitis. & quòd intelligatur de vita spirituali, patet ex contextu, nam subdit; *Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*. roborat vires ad pugnam; reparat deperditum ex concupiscentia; auget calorem .i. feruorem spiritus; oblectatur; & gustat. ideo ait Dominus, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Et nequis diceret etiam hos effectus potuisse esse mannæ cômunes, ideo addit Dominus; *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt*; quasi dicat, non est cibus qualis manna. Tertius effectus consistit in degustatione quadam diuinæ dulcedinis, vnde dicitur manna, panis cœlestis, pinguis, adeps frumenti. psal. 67. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*. Bern. in serm. Cypr. l. 2. ep. 3. Sed cur homines non sentiunt hanc dulcedinem? Resp. Gugliel. Paris. in tract. de Euchar. 1. propter imperfectionem palatus. Secundo, propter defectum masticationis. Quartus effectus est perseuerantia in bono. & nascitur ex his tribus iam dictis. ad perseuerantiam enim conducunt gratia, charitas, & dulcedo spiritus. Quintus effectus tribuitur Eucharistiæ propter primum, vel secundum, nam per gratiam dat nobis virtutem perueniendi ad gloriam, ideo dicitur *viaticum*. D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 2. & datur etiam gloriosa resurrectio corporum; *Et*

ego resuscitabo eum in nouissimo die. Dices, hic effectus est proprius baptismi, ergo non est proprius Eucharistiæ. Resp. licèt sit proprius baptismi, est etiam Eucharistiæ; quia est Sacramentum vitæ, & disponit ad vitam æternam, conferendo virtutes. & eandem vitam sustentat, nutrit, & auget; & virtute sua facit vt detur nobis perpetua vita in patria, ac proinde gloriosa corporum resurrectio. Sot. in 4. d. 11. q. 2. ar. 2. Sed circa hæc est

Secundum dubium. An Eucharistia conferat primam gratiam qua impius iustificatur. Resp. primo, hoc Sacramentum per se, & sua natura auget gratiam. probatur; quia datur per modum cibi, & nutritionis; at nutritio supponit vitã. Secundo, hoc Sacramentum per accidens confert primam gratiam .i. si inuenit aliquem sine affectu, & conscientia peccati mortalis, sed extra gratiam, confert ei gratiam primam, quod est ei peculiare; quia quicquid potest conferre primam gratiam, non confert sine aliqua dependentia ab hoc Sacramento; quia baptismus ipse qui confert primam gratiam, habet votum huius Sacramenti. cùm enim Eucharistia sit finis, baptismus concurrit in re ad primam gratiam, ita & hoc concurrit in voto quod illi includitur. Dum autem in re suscipitur, eadem gratia augetur. Itaq; per se hoc Sacramentum in voto quidem confert primam gratiam, in re verò non nisi augumentum sed per accidens, ratione dispositionis suscipiẽtis, quia .s. accedit attritus putans esse contritus confert dum suscipit primam gratiam. D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 3. Sot. in 4. d. 11. q. 2. ar. 1. in solutione primi argumenti. Dices, hoc Sacramentum confert per se augumentum gratiæ, ergo non differt in hoc à confirmatione; nam (vt supra diximus tract. 3. cap. 4.) confirmatio confert augumentum gratiæ. Resp. cum D. Tho. cit. ar. 1. & Sot. supra quòd in confirmatione augetur gratia ad robur, vt audacter Christianus Christi nomen confiteatur, & fidem contra hostes exteriores defendat, vt eodem tract. 3. diximus; sed Eucharistia auget gratiam ad sustentandam, & perficiendam vitam spiritualem, vt homo perfectiùs tanquam per spirituale alimentum coniungatur cum Christo. quare proprius effectus huius gratiæ est nutritio, & conseruatio vitæ spiritualis, cui baptismus generationem; augumentum verò confirmatio præstitit. Ex quo intelligitur quòd

quamuis

quamuis gratia Sacramentorum sit eadem quoad essentiam, est eadem multiplex quoad effecti vnitatem. Infertur etiam falsam esse opinionem Maioris in 4. d. 9 vbi dicit hoc Sacramentum nunquam conferre primam gratiam. repellitur enim ex communi sententia D.Tho. & Soti supra. Riccar. q.8. ar.1. Victor.q.77. Angel.q.3.de Euch. & aliorum. Imo habetur in Concil.Trid.sess.13.q.1.de Sacram.Euch.vbi inter effectus numerat hunc;quamuis statuat non esse præcipuum ad remissionem peccati.

Tertium dubium. Quando Eucharistia confert gratiam, dum recipitur, seu deglutitur; an postquam sumpta est; seu dum in stomacho conseruatur? Resp. constat Eucharistiam non conferre gratiam antequam comedatur, ita vt expui non possit; quia hoc Sacramentum datur per modum manducationis, & manducatio non est consumata ante talem deglutitionem ita vt non possit expui. dubitatur uerò, an dum in stomacho perseuerat, semper habeat aliquem effectum. Sunt igitur duæ sententiæ. una est Soti in 4.d.11.q.2. ar.1. Victor. q.76. Ledesm.1.4.q.10. ar.1. Angel. q.31.de Euch. ar.1.diff.3. Videtur etiam D.Thomæ, quòd conferat gratiam dum editur .i. non dum tenetur in ore, sed dum deglutitur, seu descendit in stomachum; quia Ioan.6. dicitur, *Qui manducat meam carnem &c.* Item, quia alia Sacramenta tempore quo percipiuntur conferunt gratiam; ergo similiter Eucharistia. Altetera sententia est Caiet.3.p.q.74.ar.1.Maior.in 4.d 9.q.1.argum.5. quòd non solum tempore quo est in ore, uel in gutture, sed etiam semper aliquid operatur, etiam toto tempore quo in stomacho durat species, posse virtute Sacramenti conferre gratiam, quia toto illo tempore est præsens nobis Christus; ergo etiam pascit. quorum opinio potest exponi primo, ut semper nouam gratiam largiatur, & non puto hunc sensum intendi ab illis, & esset falsus. Secundo, ut dum est in stomacho si in descensu ad stomachum ex aliquo obice, & indispositione communicantis non contulit gratiam, si postea dispositio adueniat, Sacramentum confere gratim, & hic sensus puto quòd sit bonus; quia in alijs Sacramentis ideo fructus percipitur in applicatione, quia post applicationem nō sunt amplius Sacramenta; at hoc Sacramentum perseuerat etiam post applicationem, ergo si tollatur obex qui tollebat eius effectum;

fectum; quia tamen idem est Christus manens, operatur opere operato eundem effectum. Confirmatur exemplo cibi corporalis, qui si dum manduco cibum habeo phlegma, vel aliquod aliud impedimentum, non nutrit: certe sublato impedimento, potest mihi cibus prodesse. ita in Eucharistia. confirmatur; quia dixit Christus Ioan. 8. *Ego dum sum in mundo, lux sum mundi*; quod etiam de paruo mundo intelligitur. confirmatur, permanentia Christi saluis speciebus post manducationem cùm non sit ex naturali necessitate, sed ex pacto Christi cum Ecclesia, quorsum fuisset hoc pactū, si permanentia illa nunquam futura fuisset vtilis? Secundo dico, Eucharistiam quatenus Sacramentum non conferre suos effectus in sui consecratione: quia cibus non nutrit antequam sumatur. Ad Sot. qui dicit non valere analogiam à cibo corporali qui operatur concoctionem in tempore, ideo eget tempore; at Eucharistia non eget tempore, ergo &c. Resp. quòd Eucharistia eget tempore per accidens. s. propter indispositionem accipientis. Secundo dicebat Sot. specierum corruptio tardior, vel celerior est non voluntaria, sed naturalis, neq; per se, sed causalis. s. ex stomachi dispositionibus, & qualitatibus; ergo &c. Resp. non esse omnino præter voluntatem; quia qui manducat corpus Christi, manducat vt sibi prosit quantum, & quamdiù potest prodesse; & effectus Sacramenti potest dependere ex fortuito; vt siquis fortuito acciperet Sacramentum in instanti corruptionis specierum, non habebit effectum.

Quartum dubium. Quomodo Eucharistia operatur prædictos effectus? Resp. dupliciter operatur. primo modo ex vi Sacramenti. Secundo modo, ratione dispositionis maiorem confert gratiam. disponitur autem masticatione. i. consideratione 1. admirabilis Christi potentiæ, quæ maximè viget in transubstantiatione 2. diuinę sapientiæ. 3. diuinę bonitatis quantum vberem facit refectionem. 4. diuinæ misericordiæ, quia proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Item, hoc Sacramentum non solum confert gratiam ratione dispositionis, sed etiam in ipsa sumptione excitat mentem nostram ad dispositionem ipsam; idq; tum ratione signi, tum ratione contenti; ratione signi, excitat 1. ad considerationem passionis Christi. 2. vitæ Christi. 3. Ecclesiæ militantis. 4. Ecclesię triumphantis. ratione contenti, excitat

fat nos 1. ad orationem. 2. ad honorandum Deum. 3. ad spem diuinæ misericordiæ, & remissionem peccatorum. 4. ad amorem, & actionem omnium rerũ, & beneficiorum quæ per hoc Sacramentum conferuntur.

Quintum dubium. An conferatur maior gratia sub vtraq; specie, quàm sub altera? Resp. quòd ex opere operato confertur æqualis gratia, quia est totus Christus in vtraq; specie; quia tantundem gratię recipit Sacerdos qui communicat sub vtraq; specie. quantum laicus qui sub altera tantum, data pari dispositione in vtroq; Sot. in 4.d.8.q.1.ar.2.& d.12.q.1. ar.12. Victor.q.66. & est communis. ex quo patet nullam fieri laicis iniuriam cum negatur illis communicatio sub vtraq; specie ob reuerentiam Sacramenti.

Sextum dubium. An qui in voto spiritualiter solum communicat, recipiat effectũ? Resp. ex opere operantis posset is gratiam consequi, non autem ex opere operato nisi Sacramentaliter sumat. Angel.q.31.de Euch.ar.1.diff.4. An verò ad gratiam huius Sacramenti consequendam requiratur actualis deuotio, an contritio, an confessio, & alia quibus indigemus, dicam in tract. de susceptione. quod verò spectat ad secundum caput, quod erat remouere à malo, facit vt Eucharistiæ Sacramento tribuantur alij quinq; effectus, quos ponit D. Tho.3.p.q.79.ar.3.& seq. Primus est remissio peccati mortalis. Secundus peccati venialis. Tertius remissio pœnarum. Quartus præseruatio à futuris. Quintus fomitis diminutio. Circa primum effectum, hoc Sacramentum non primò, & per se est institutum ad peccati mortalis remissionem, sed ad augendam iustitiam. Vnde siquis accedat cum crimine mortali, grauaretur potius, quàm purificaretur, vt docet August. & habetur can. quotidie. de consecr.d 2. remittit tamen mortale per accidens, vt supra dixi. & habetur can. spiritus. de cōsecr.d 2. idq; in duobus casibus vt docent Theologi. Primus est, quando quis accedit attritus putans se esse contritum. Secundus, quando quis adhibito diligenti examine non recordatur de aliquo peccato mortali. D. Tho. & Sot. supra cit. Decernitur verò in Concil. Trid. sess. 13. cap. 51. *Siquis dixerit vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistię esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema sit.* Circa secundum effectum quòd sit remissio peccati venialis,

nialis, habetur can. iteratus. de consecr. d. 2. & can. vtrum. d. ead. Ambr. l. 5. de Sacram. cap. 4. D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 4. hic autem non est proprius effectus huius Sacramenti; quia venialia tolluntur etiam feruore charitatis, & ex alijs etiam Sacramentis, & aliquibus Sacramentalibus; tamen tribuitur etiam huic Sacramento; quia huius proprium est inflammare animos erga Christum; & quia peccata venialia vt plurimum remittuntur per actus amoris; idcirco ex memoria beneficiorũ, quæ maximè in Eucharistiæ sumptione excitantur, tribuitur ei remissio venialium. Circa tertium, remittit pœnas non per se primò, quia hoc Sacramentum datur per se primo per modum nutritionis, at nutritio per se primo tendit ad vnionem nutriti cum nutriente, sed concomitanter; quia cùm ista mãducatio, & feruor charitatis ex manducatione fit actus amici, meretur remissionem aliquam pœnarum, non autem remittitur tota. Quatenus verò Eucharistia est sacrificium, habet per se vim sanctificatiuam pro pœna peccati. D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 5. Sot. in. 4. d. 11. q. 2. ar. 5. Circa quartum, præseruat à lapsu; vt patet Ioan. 6. *Non sicut manducauerunt patres vestri manna & mortui sunt, qui manducat hunc panem viuet in æternum.* nisi tamen opponatur obex ex parte recipientis. Item, *vt si quis ex ipso manducet non moriatur* .i. morte spirituali quæ fit per peccatum. Secundo Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.* vnde Chrysost. hom. 45. in Ioan 6. *Vt leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discendimus, terribiles effecti Diabolo. roboratis enim nobis per gratiam, & spiritualem vitam in illa mensa, Dæmones victi discedunt.* Bern. in ser. de cœna Domini. D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 6. Tertio, quia hoc Sacramentum minuit fomitem; nam vt ait August. l. 83. q. q. 36. augumentum charitatis est diminutio cupiditatis. confirmatur experimento frequenter cõmunicantiũ, qui rarò labuntur in mortalia, & non tam frequenter in venialia. Circa quintum, minuit fomitem, vt circa quartum dictum est. quod licèt directè faciat baptismus, vt ait D. Tho. 3 p. q. 79. ar. 3 est tamen etiam effectus Eucharistiæ ex quadam consequentia, quia auget charitatem. & etiam directè confirmat cor hominis in bono; ergo consequutiuè remittit fomitem. D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 6. ad 7. Sot. ar. 6. cit. est.

Septimum dubium. An hoc Sacramentum proficiat alijs quàm sumentibus? Resp. ex D.Tho.3. p.q.79.ar.6. quòd prodest sumentibus quatenus Sacramentum, & quatenus sacrificium. non sumentibus autem quatenus sacrificium .i. quatenus pro illis offertur. ratio est, quia sumptio pertinet ad rationem Sacramenti, operatur enim ex opere operato cum eo qui sumit. Communio enim habet tria; Primo, gratiā & meritum. Secundo, satisfactionem pœnæ. Tertio, impetrationem. Quantum ad gratiam, & meritum, non potest Eucharistia prodesse alijs, sed iustis solū, sicut eleemosyna, ieiunium, & alia pia opera, quę sunt satisfactoria, quæ pro alijs fiunt. ratione verò impetrationis potest prodesse iustis, & iniustis ex diuina misericordia, vt alia opera quæ Deo offeruntur pro alijs ad impetranda beneficia. prodest etiam non solum viuis, sed quoque pro defunctis ad pœnas purgatorij minuendas, vel relaxandas. 1. Machab. 12. *Iuda fortissimus vir &c.* hinc anniuersaria mortuorum, & patet ex Concil. Carthag. iiij. cap.49. & 95. Vassens. cap. 2. & 6. Aurelian. ij. cap. 14. Brachar.1.cap.34.Tolet.11.cap.12. & patet ratione; nam ex August.l.20.ciu.cap. 9. bona communia toti corpori de iure naturę distribuuntur in omnia membra iuxta eorum indigentiam, vt apparet in cibo digesto. sed Ecclesia est corpus mysticum, vt ait Paulus; & huius corporis animæ defunctorum in purgatorio sunt membra viua, quia nobis cōnectuntur per fidem, spem, & charitatem; & adhuc sunt indigentia, quia sunt in via; & sacrificia sunt communia Ecclesiæ; ergo debent distribui. ita vt in jis habeat locum symbolum, *Sanctorum communionem*; & illud psalmi, *Particeps sum ego omnium timentium eum*. quę distributio sicut in corpore fit per calorē charitatis quæ facit omnia communia, ita in Ecclesia per Spiritum sanctum quo nutriuntur, & viuificantur ad inuicem. Prodest etiam illis quibus se extendit intentio ministri, nisi Sacerdos alio vinculo teneatur. Hactenus de Eucharistia vt Sacramentum. nunc de ea dicamus quatenus sacrificium est. Esset hic dubitandum fusissimè. An accidentia in Sacramento Eucharistiæ remaneant sine subiecto; Sed breuiter sit

Octauum dubium. An accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento. Omissis multis quæ de hac re dici possent, breuiter

breuiter resp. affirmatiuè ex D.Tho. 3.p.q.77.ar.1. sic statuit Ecclesia Catholica in Conc. Later. Constan. Flor. & Trid.cōtra hęresim Vuiglef. apud Thomam Valdens. de Sacr.cap.77. & Concil. Const. sess.8. qui nullum dicebat esse accidens sine proprio subiecto, quam hæresim excitauit Lutherus, & Æcolampadius, qui retinent in Eucharistia substantiam panis; & affirmant repugnare secundum omnem Dei potentiam fieri contrarium, & afferunt solam rationem ex Arist. quòd *accidentis esse est inesse*, sed contrarium decernit Ecclesia catholica locis supra citatis. quod ex duplici capite probari potest. Primum caput est ex rationibus naturalibus, pro quibus videndus est Thomas Valdens. qui citat quosdam philosophos, qui in suis libris videntur insinuare hoc esse possibile. vt Algazar, Auicenna &c. Secundum caput est ex principijs creditis, & quòd possibile sit, & quòd decens sit. Est possibile: Primo, quia multi sancti Patres exponentes primum caput Genesis, affirmant, lucem illam creatam ante solem, fuisse sine subiecto. ita Damascen. l. 2. de fide orthod.cap.7. Procopius Gazzæus in Gen.1. Basil.& Ambr.in exam. & Iustin.in expos. fid.de Trin. Secundo, miracula quæ in scripturis habemus separant prius à posteriore; quia separauit Deus ignē ab actuali combustione puerorum. Sed esse accidentis est prius quàm inesse; ergo est separabile. prob. min. quia inesse est modus essendi, res autem est prior suo modo. Tertio, non minus est naturale substantiæ subsistere in se, quàm accidenti inhærere in altero; sed fides prædicat humanitatem assumptam, veram esse substantiam, & tamen non subsistere: ita etiam accidens non inhæret. Quarto, in miraculis Deus potest facere per se ipsum, quod facit per secundas causas. ergo sicut potest Deus conseruare accidens per subiectum vt per secundam causam, ita potest per se. prob.antec. quia in vtero virginis organizauit corpus sine semine; & conuertit aquam in vinum sine vlla transmutatione naturali. Quòd verò sit Decens, probatur: primo, ad humiliandam humani generis præsumptionem, vt assuesceret in rebus diuinis nō sequi sensum. est ratio Cypriani cæn. Dom. Chrysost. hom.83. in Matth & hom.60. ad popul. & Cyrill.Hieros.Catach.mist.4. Secunda ratio affertur ab Ambr.l.4.de Sacr.cap.4. & à Theophyl. in Ioan. 6. & Gregor. relat. de Sacr.d.2.can. quid sit sanguis, *Texit Deus corpus &*

san-

sanguinem accidentibus panis & vini, ad declinandum horrorem cruoris, & sanguinis. Tertio ex August. de consecr.d.2. can. vtrum. & in multis in Ioan. 6. vt non essemus risui paganis nobis obijcientibus quòd manducamus carnem, & bibimus sanguinem. Idcirco dicebat Auer. legem Christianorum esse legem impossibilium, *Manducāt enim Christum suū*. Quarto ex Innoc. iij de celebr.miss.cap.cum Martha. vt esset fidei mysterium, dum aliud cernitur, aliud creditur.

De sacrificio Missa.



PRimum dubium. Vnde dicitur missa: & quid sit. Resp. Missa dicitur ex communi omniū sententia à verbo hebraico *Missah*, quod significat *offerre*. Psal. 49. *Oblatio manuum mearum*, in hebræo habetur *Missah*. dicitur missa quasi transmissa; transmittitur enim à populo ad Deum per ministerium Sacerdotis. vel ab emissione catechumenorum, & excommunicatorum. Sylu.verb.missa.ex Hugo.de S.Vict.& D.Tho. Sot in 4. d. 13. q.2.ar.1. Definitur sic. *Est sacrificium corporis, & sanguinis Christi sub alienis speciebus, sacrificati ab ipso semel in Cruce*. pro declaratione nota primo. quòd *sacrificium* in scripturis sacris aliquando impropriè & largo modo sumitur. aliquando propriè,& strictò modo.primo modo significat omne opus quod dirigitur ad cultum Dei, vt ait August.l.2.ciu.cap.6. & sic contritio dicitur sacrificium, Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificauit me*. sic etiam mortificatio carnis, Rom. 12. deniq; mors sanctorum dicitur sacrificium, Sap. 3. vide Orig. hom. 9. & 18. in Leuit. Secundo modo, idest propriè, significat oblationem rei sensibilis Deo factæ, vt ei exibeatur honor, & reuerentia; & hoc modo quatuor requirit: Primo, vt sit actus religionis in quo conuenit cum Sacramentis. Secundo, oblatio quæ distinguitur à Sacramentis, vt docet Concil. Flor. Tertio, vt aliquid exterius circa rem oblatam, quod distinguitur ab oblatione. D.Tho.2.2.q.83.ar.3. vnde pecunia offerebatur Deo, non tamen sacrificabatur. Quarto, vt fiat tota

illa

illa actio externa ad Dei cultum, vt .f. testemur Deum esse Dominum, & creatorem. vel ad obtinendum aliquod beneficium; & sic est oblatio, qui est actus latriæ, quo offerimus Deo creaturam suam in recognitionem, quòd ipse est autor omnium. & hoc facere, est sacrificare, quod est offerre hoc modo creaturas suas Deo. Secundo nota, quòd nunquam fuit mundus sine sacrificio. neq; etiam in lege naturæ. sicuti enim nulla ratio est ita effera, ac barbara, quæ suam legem non habeat, ac religionem; sic etiam & sacrificium habeat, ac sacerdotium. Vbicunque enim homo est, ibi etiam & religio est; vbi religio, ibi sacrificium; vbi sacrificium, ibi Sacerdos. cùm igitur nullus homo sit qui aliquam nō seruet in corde religionem, hanc ipsam sacrificio protestetur oportet. nos in Christiana religione habemus nostrum sacrificium, & hac ratione soli Deo possumus sacrificare. Nota tertio, hoc sacrificium esse duplex, Eucharisticum, & propitiatorium. Eucharisticum est multiplex, nam comprehendit illa omnia quæ sunt instituta ad remissionē peccati, vt etiam alia sacrificia; vt quæ offerebantur ad agendas gratias, quę dicuntur hostiæ pacificæ; & quæ ad obtinenda beneficia. huc pertinet sacrificium quod fiebat in consecratione Pontificis, Leuit. 6. item holocaustum quod offerebatur in reuerentiam, & honorem Dei. est igitur Eucharisticum hoc sacrificium incruentum, quia hoc sacrificio agimus gratias Deo pro omnibus beneficijs collatis humano generi ab initio mundi; & præcipuè pro beneficio redemptionis, & ideo dicitur 1. cor. 11. *Hoc facite in meam commemorationem: & mortem Domini annunciabitis*. Propitiatorium verò diuiditur in legale, & Euangelicum. legale est quod fuit institutum ad remissionem peccatorum, Leuit. 3. & 4. Euangelicum quod est nouæ legis, est duplex; cruentum, quo se Christus obtulit in cruce sanguinē fundens. & incruentum quod offertur in missa. Trident. sess. 22. cap. 2. de sacrificio missæ. Est hoc sacrificium propitiatorium, & expiatorium .i. obtinet nobis propitiationem, & expiationem à peccatis; quod dupliciter explicatur: primo, quòd sacrificium cruentum in cruce sufficienter soluit nobis pro omnibus peccatis, sed hoc incruentum applicat illud meritum redemptionis factæ in cruce dispensans singulis. vt si sit respub. carens frumento, & Rex non solum magno suo cum periculo adue-

hat,

hat, ſed etiam ſuis manibus diſpenſat. Secundo dicitur propitiatorium, quia in miſſa non commemoratur ſacrificium crucis ſolum in laudem Dei, nam ſi hoc fieret, non eſſet verũ ſacrificium, ſed improprium, ſicut laudes Dei dicuntur ſacrificium; ſed etiam repræſentat per modum oblationis, quia Sacerdos ſacrificans virtute dicit: tu Domine tribuiſti filium tuum, & meritum eius nobis; nos autem iterum offerimus eum tibi, & eius merita vt noſtra tibi. Nota quarto, quòd ſacrificium in ſcriptura dupliciter ſumitur, aliquando ſignificat actionem ipſam ſacrificantis, aliquando rem ipſam oblatã. D. Tho. 2.2.q.83.ar. 3. nomine verò miſſę intelligitur totum id quod fit à Sacerdote dum celebrat. in quo toto cùm ſit aliquid quod verè, & propriè ſit ſacrificium, ideo in definitione dicitur: *Miſſa eſt ſacrificium*, vt ſemper docuit, & tenuit Eccleſia; & habetur cap. firmiter. de ſumma Trin. & fide cathol. & Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. de ſacrif. miſſ. Additur deinde in definitione *Corporis, & ſanguinis Chriſti*; quæ ſunt in cœlo, ex quo apparet dignitas noſtri ſacrificij ſuper omnia; quia nos offerimus autorem omnium creaturarum. *Sub alienis ſpeciebus*, pro quo nota, quòd quando Chriſtus obtulit ſe patri æterno in cruce, in illa oblatione fuere duo; id quod oblatum eſt, & modus quo oblatum eſt. quod oblatum eſt, fuit ipſum corpus Chriſti. modus fuit per mortem, & effuſionem ſanguinis; & ita fuit ſacrificium cruentum. nunc verò idem eſt quod offertur, & qui obtulit Chriſtus; ſed modus non eſt idem, quia non eſt ſub ſpecie viſibili, & per effuſionem ſanguinis, ſed ſub ſpeciebus panis, & vini fit oblatio &c. eſt igitur miſſa non ſolum verum ſacrificium, ſed etiam repræſentatio Chriſti cruenti. Cùm autem repræſentatio fiat dupliciter, vel verbis ſine pictura, vel rebus geſtis, & factis; in miſſa repræſentatur hoſtia Chriſti cruenta. probatur, quia dixit; *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur*. Item patet ex canone miſſæ. & eſt ſenſus totius Eccleſiæ: Gregor. l. 4. dial. cap. 50. Cypr. l. 2. epiſt. 3. Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. de ſacrif. miſſ. Quare ſacrificium altaris & idem eſt cum ſacrificio Chriſti, & quodammodo diuerſum: eſt vnum & idem quantum ad rem oblatam, Auguſt. l. 19. ciu. cap. 6. vnde Cypr. ſer. de cæna Dom. ait; quòd ſacrificium Chriſti in cruce non tranſiuit, & definit eſſe; ſed perpetuò permanſit coram oculis Dei; & illud ſacrificiũ perſeuerat

seuerat duobus modis, & quia à Christo in cœlis continuò offertur, vt ait Paulus ad hebr. 6. & 9. & idem in terris per Sacerdotes. Est autem aliquo modo diuersum; primo, quia in cruce offerebatur cruenter, & passibiliter; hic incruenter, & impassibiliter. Vnde patres hanc oblationem vocauerunt incruentam; Chrysost. hom. 17. ad hebr. Secundo, quia ibi in propria specie offerebatur, hic in specie panis. Tertio, quia ibi perseipsum offerebatur, hic per Sacerdotes. hoc autem fieri voluit Deus, primo vt fructus immolationis cruentæ participaretur à nobis. Secundo, vt Ecclesia haberet donū quod Deo offerret in gratiarum actionē, & ad impetranda beneficia. Tertio, vt esset continua memoria beneficij cruenti. Postremo, vt amorem suum erga Ecclesiam declararet. Ex eo verò quòd Sacerdos consecrat corpus sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini, repræsentatur sanguis separatus à corpore. & hoc est significare mortem in illo sacrificio cruento. Postremo dicitur *Sacrificati ab ipso semel in cruce* quoniam Christus in cruce semel est mortuus, sed nos illud idem facimus, sed alio modo. & hinc habetur efficacia sacrificij Christi, quia idem semper offertur, sed pro multis; quia tantum valet hoc sacrificium, vt adæquet pretium omnium peccatorum. sicut si esset gemma quæ adæquaret pretium omnium rerum. siquis daret creditori, posset semper petere mercedem; sed sacrificiū illud sufficit pro omnibus qui fuerunt à principio, & erunt ad vltimum. hinc fit, vt quoties celebramus, arguamus infinitam efficaciam illius sacrificij. Et hæc quoad missæ definitionem. Sit nunc

Secundum dubium. An Christus sacrificauerit in vltima cæna. Resp. affirmatiuè, & est de fide definitum in Concilio Trid. sess. 22. can. 2. de sacrif. missæ. hinc dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Cypr. l. 2. ep. 3. August. l. 4. de doctr. Christ. cap. 21. Sot. in 4 d. 13. q. 2.

Tertium dubium. A quo fuerit institutum hoc sacrificium. & quando. Resp. fuit institutum à Christo in vltima cæna, vt patet ex Euangelijs, & ex Trid. sess. 22. can. 2. & cap. 1. & 2. vbi dicit fuisse institutum per illa verba: *Hoc facite in meam cōmemorationem*. deinde semper Apostoli sacrificauerunt, vt patet & can. 3. & 4. Apostolorum. & Trid. sess. 22. cap. 9 & sic semper fuit hoc sacrificium in Ecclesia. leggenda sunt acta

Aposto-

Apostolorum cap. 13 vbi videbitis Apostolos celebrasse, licèt non hoc nomine missa vtantur: cùm hæc vox vel hebræa sit, vel latina, non græca; quo idiomate nouum testamentum scriptum est. ideo lingua græca missa dicebatur *liturgia*. Ambr. epist. 31. Leo Papa epist. 88. Isidor. l. 1. de offic. cap. 15. dicit, ordo missæ à S. Petro est constitutus. Ignat. ad smyrnens. & ad Trallian. & Hieronem. Cypr. scribens Cel. o fratri, ait: *Neq; aliud fiebat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix qui in commemorationem eius offertur, mistus vino offeratur*. Idem August. l. 4. de doctr. Christ. Anaclet. in epist. ad omnes Orientales. Mitto historias Abdiæ, qui dicit Petrum in Antiochia celebrasse; & primum quod in Italia erexit altare, illud ex certa, ac firma traditione compertum est fuisse, quod etiam nunc Neapoli extat, vbi & illud magnificū opus à Neapolitanis est templum erectum, quod sancti Petri ad Ara nominatur, extat Iacobi Apostoli liturgia cuius meminit sexta synodus. extat & illa Marci. Andreas (vt cæteros omittam) de seipso dixerat Egeæ proconsuli quotidie celebrasse. illis verbis; *Ego quotidie sacrifico agnum immaculatum*.

Quartum dubium. Missa in quot partes diuiditur & quid significant. Resp. in tres. Prima ab introitu vsq; ad oblationem quæ fit post Euangelium. Secunda ab offertorio vsq; ad sumptionem Sacramenti inclusiuè. Tertia post communionem vsq; ad finem. In prima fit *Confessio peccatorum* plena; quæ nō est pars missæ, sed dispositio quædam ad celebrandum. significat mundum ante Christi aduentum fuisse peccatorum plenum. Incipit missa ab *introitu*. ingressus autem Sacerdotis ad altare, significat aduentum verbi in hunc mundum. sumitur enim introitus ex vetere testamēto vbi factæ sunt nobis repromissiones de Messia. & hæc pars continet sex partes. Prima introitus vsq; ad *Gloria in excelsis*, vbi sunt *Kyrie eleyson: & Christe eleyson*, nouies, quæ annunt voces patrum Christi aduentum postulantes, & clamores iustorum, vt veniat expectatus gentibus. dicitur *Gloria*, quia venit. voluitur Sacerdos dicens, *Dominus vobiscum*, vt denotet Saluatorem adesse. Secunda pars est *collecta*, seu oratio; nam qui orant debent esse animo collecto in Deum. nec posse nos perfectè orare sine Dei auxilio. Tertia est instructio populi per *Epi-*

ftolam; & quoniam duplex fuit doctrina, prima antiqua ante Christi aduentum. Secunda pleniſſima in Euangelio, hinc primo legitur Epiſtola quæ eſt de Euangelio, ſed ſæpe ex veteri teſtamento; quia ſignificatur doctrina imperfecta. Quarta eſt *Graduale*, quod ſignificat opera eorum qui præceſſerunt Chriſtum. His finitis fit conuerſio, quæ ſignificat quòd Chriſtus qui fuit miſſus ad Iudæos, fuit conuerſus ad gentes. Quinta eſt *Euangelium*, quod Dominus prædicauit, & ſignificat perfectam doctrinam, ideo eſt in dextera parte altaris. Sexta pars eſt *Credo;* quæ ſignificat cõfeſſionem fidei poſt prædicationem Apoſtolorum. & huc uſq; in primitiua Eccleſia fuit miſſa cathechumenorum, & poſtea excludebantur; & dicebatur, *Ite miſſa eſt*. Secunda pars miſſæ incipit ab *Offertorio*, in qua parte Sacerdos præparat, & offert Deo quæ conſecranda ſunt; & ſignificat decreuiſſe Dominum ſe pro nobis offerre Deo. *Secreta* ſequuntur, quæ ſub ſilentio dicuntur, annuunt Chriſtũ per aliquot tempus latuiſſe, quia nondum venerat hora eius. vel ſignificant illud exilium Chriſti quando principes voluerunt eum comprehendere. Poſt parum temporis eleuat vocem, & dicit *Præfatium*, quod oſtendit intraſſe Ieſum triumphantem in Hieruſalem; ideo dicitur *ò Sanna.* poſteà tacet; vt annuat noctem paſſionis adueniſſe. *Oſculatur altare*, & ſignificat oſculum Iudæ qui oſculo tradidit Dominum. ſequitur *conſecratio*, nam ſacrificium primo conſiſtit in conſecratione. Secundo in oblatione per verba: *Offerimus tibi hoſtiam ſanctam*. Tertio *in ſumptione*, in qua repræſentatur mors. *Eleuatur hoſtia*; quæ oſtendit Chriſtum Dominum iam fuiſſe crucifixum. *Eleuatur & calix*; & oſtendit iam ſanguinem fudiſſe pro nobis. denuo tacet Sacerdos, vt oſtendat Chriſtum iam mortuum. Eleuat deinde vocem; quod ſignificat confeſſionem Centurionis. Iterum fit ſilentium; & oſtendit ſepultum Dominum. Dicitur, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*: oſtendit reſurrexiſſe, & Apoſtolis pacẽ dediſſe. dicitur *Agnus Dei*; ad ſignificandam maximam Eccleſiæ lætitiam cùm videret Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe. fit *communio*; & annuit Chriſtum comediſſe cum ſuis diſcipulis. Legitur ſcriptura; & ſignificat ſenſum ipſius diſcipulis aperuiſſe. Reditur ad medium altaris; & oſtenditur aſcendiſſe in Cœlum. Tertia pars eſt *Poſt communio*, quæ ſignificat gratiarum actionem. dicitur

tur *Oratio*, & significat ipsum orare pro nobis. Iterum reditur ad medium altaris; vt ostendat esse & Hebræorum, & Gentium. dicitur *Ite missa est*; quo significat finem mundi venturum. Se voluit ad populum; veniet enim iudicaturus mundũ. *Dat benedictionem*; dicet enim, venite benedicti, &c. conuertitur ad alteram partem; ad significandũ quòd in fine mundi Iudæi conuertentur. vt ait Hierem. *In fine tunc intelligetis*. dicitur *In principio*; vt & principium nostrum, & finis tendant ad ipsum. Hæc autem omnia quæ fiunt in missa quamuis sint de iure Ecclesiastico, & non de iure diuino, consecratio tamẽ, & sumptio sunt de iure diuino. vnde consecrare sine sumptione, est peccatum mortale. reliqua sunt de iure positiuo; ad significandam passionem. Neq; omnia ista positiua fuerunt in primitiua Ecclesia, sed modo est perfectissima Ecclesia.

Quintum dubium. In qua parte missæ consistit hoc sacrificium? ratio dubitandi est; quia continet consecrationem, oblationem, fractionem, & consumptionem. Resp. sunt quatuor sententiæ. Prima, Decani Lorenicensis, qui tenet consistere in consecratione. Secunda est D. Tho. 3. p. q. 83. ar. 4. qui tenet cõsistere in oblatione. Tertia, Soti ar. 1. cit. qui tenet cõsistere in consecratione, oblatione, & sumptione. Quarta est Cani l. 12. de locis Theologicis cap. 3. ad 4. qui tenet consistere in quatuor dictis partibus integraliter. & de duobis primis apud omnes constat. de tertia patet ex August. l. 4. de doct. Christ. de sumptione autem habetur can. relatum. de sacrif. miss. & Concil. Tolet. 12. & hęc est tenenda si loquamur de partibus integralibus præcipuis. si autem de essentialibus; opinio Soti est probabilior. aliæ partes ad præparationem pertinent, vel gratiarum actionem. D. Tho. 3. p. q. 83. ar. 4.

Sextum dubium. An hoc sacrificium sit propitiatorium, an Eucharisticum. dictum est supra, dub. primo, in definitione.

Septimum dubium. Quomodo prodest missa, ex opere operato, an ex opere operantis. & ad quid prodest. Resp. primo, valor sacrificij est duplex; vnus ex parte ipsius sacrificij; alter ex parte offerentis sacrificium. vt quando quis offert munus amico, sunt duo; munus, & voluntas bona offerentis. sic etiam in missa est sacrificium, & charitas qua

quis

quis offert. valor oblationis, & sacrificij vocatur ex opere operato. Valor offerentis, ex opere operantis. Nunc dico, valorem missæ esse duplicem. Primo est valor ipsius sacrificij, qui est in communione, & consecratione. & est valor aliarum partium missæ. Si loquamur de valore sacrificij ex parte operantis, tantus est, qu nta est deuotio, & charitas offerentis. valor ex parte sacrificij, est magnus, sed finitus. magnus, quia offertur Christus. finitus, quia non offertur in proprijs speciebus. & ideo Christus ipse limitauit hunc valorem. Valet enim in quinq; rebus, vt patet ex Concil. Trid. sess. 22. can. 3. Primo valet ad remissionem peccatorum; & hoc non poterat efficere totus mundus. Secundo, ad satisfactionem pœnarum quæ debent esse in purgatorio, vel in hoc mundo pro peccatis commissis; nam dimissa culpa, remanet pœna. Tertio, valet pro alijs necessitatibus temporalibus, ad expellendas infirmitates, ad calamitates temporales, & ad alias necessitates. Quarto, valet ad consequendam gratiam Dei, & dona spiritualia; nam propter sacrificium missę Deus infundit ei qui dicit, & ei pro quo dicitur. Quinto, valet ad bona temporalia, vt velit scire aliquod, vel habere sanitatem. demum ad omnia iusta. Ex opere operato habet valorem in applicatione. probatur ex Trid. sess. 22. cap. 2. vbi dicitur oblationis cruentæ fructus per hanc vberrimè percipiuntur. & est conueniens sententia; quia etiam si offeratur per malum ministrum, habet valorem; vt supra probatum est. Effectus autem, seu fructus sacrificij incruenti ex opere operante, & opere operato, præter supradictos, sunt hi: Primus remissio peccatorum. Secundus, impetratio gratiarum gratis datarum, & temporalium. Tertius, meritum gratiæ, & gloriæ. probatur ex identitate sacrificij huius cum cruento; nam hoc sacrificium incruentum est idem cum cruento quo ad rem oblatam, & offerentem; solum differt in modo. Trid. sess. 22. cap. 2. quia cruentum fuit oblatum à Christo immediatè. & quia illud fuit cum dolore, hoc sine dolore. Sed illud sacrificiũ nobis quoad sufficientiam contulit (præter alia,) hæc tria bona; ergo incruentum eadem nobis applicat. minor probatur de primo effectu Matt. 26. de tertio Ioan. 1. *Lex per Moysen data est; gratia, & gloria, per Iesum Christum*. de secundo Ioan. 3. *Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.*

Secundo

Secundo ex facrificijs legalibus,quæ conferebant hæc tria bona. decet enim vt eadem faciat facrificium Euangelicũ. Trid. feff.22. cap.1. hæc hoftia bona omnia per vetera facrificia figurata perfectè complectitur. Chryfoft.hom.61.ad popul. August.l.17.ciu.cap. 20. & in pfal. 33. & l. 2. contra aduerfarios leg. & Proph. cap. 18. & in Leuit. q. 57. Leo fer. de paff.

Octauum dubium. Quibus prodeft hoc facrificium. Refp. prodeft generi duplici perfonarum, offerentibus, & ijs pro quibus offertur. offerentes funt tres. in primo gradu, & immediato eft Sacerdos ipfe. in fecundo funt offerentes remoti; .i. totus populus Chriftianus. in tertio funt qui nec remotè omnino, nec immediatè, fed funt in medio gradu .i. qui aliquo modo conuenerunt ad miffam; vt diaconus, fubdiaconus, qui inferuiunt miffæ, qui cantant in choro, qui audiunt facrũ, qui dedit eleemofynam pro miffa, & qui petit à Sacerdote vt pro fe celebraret. omnibus his prodeft miffa fi fint in gratia, fed non æqualiter; nam magis Sacerdoti, & minùs his qui funt in medio gradu; adhuc minùs toti populo. Sacerdoti prodeft ad gratiam, & illis qui in medio funt gradu, & toti etiam populo Chriftiano, fecundum Sot. in 4. d.13. q.2.ar.1. Sed ego non ita credo; toti enim populo non prodeft nifi ad fatisfactionem pœnæ. ad gratiam non nifi illis qui aliquo actu concurrunt. prodeft etiam his, pro quibus offertur miffa; qui funt in duplici differentia; nam pro quibufdam celebratur miffa ex intentione Ecclefiæ,quæ femper intendit effundere pro toto populo Chriftiano, Papa, principibus, &c. prodeft etiam his pro quibus offertur ex intentione Sacerdotis. prodeft etiã toti populo Chriftiano, non folum quatenus offert; Sed etiam quatenus pro eo offertur. Sed cum differentia, nam animabus purgatorij folum prodeft ad fatisfactionem pœnæ; viuis autem fi in gratia funt, non folum ad fatisfactionem pœnæ, fed etiam ad gratiam; præfertim his pro quibus offertur. ex quo fequitur quòd miffa habet amplum valorem vt poffit fufficere tam multis. Deus enim non folum refpicit in oblatione intentionem, & deuotionem facrificantis, fed etiam rem ipfam oblatam; quæ licèt ex fe fit infinita, tamen in facrificijs, & oblationibus non penfat Deus quid offeramus, fed quanta deuotione, & feruore charitatis offeramus. Vnde refpexit Deus ad Abraham, & munera eius. Gen. 4. & Luc. 21. duo

duo

duo erant minuta viduę, quæ æstimantur pluris quàm thesauri diuitum, quia offerebantur maxima charitate.

Nonum dubium. Quomodo valet missa. Resp. tribus modis habet missa valorem. Primo per modum meriti. Secundo per modum satisfactionis. Tertio per modum impetrationis. primo per modum meriti, quia Christus meruit à patre suo vt hoc sacrificium daret gratiam, & remissionem peccati his qui offerunt, & pro quibus offertur; nam Christus meruit infinita. Secundo per modum satisfactionis valet pro pœna .i. qui debitor est pœnarum, per hoc sacrificium accipit partem remissionis earundem. Tertio per modum impetrationis; nam qui sacrificium offert, impetrat à Deo remissionem peccatorum i. sacrificium ipsum in quo offertur Christus. & quando non impetramus ea quæ petimus, impetramus meliora, licèt nobis videatur incognitum.

Decimum dubium. An missa sit valoris infiniti.i. An si missa offeratur pro multis tantum valeat, ac si offeratur pro vno solo. Resp. sunt tres sententiæ. Prima est D. Tho. 3.p.q. 79. Scot.quodl.20.ar.2.Gabr.in can.lect.26.& 27. Palud. d. 45. in 4.q.2. Sylu.verb.missa.1.§.9. Nau. cap.25. nu.29. & est communis Canonistarum. quòd sit finiti valoris, probatur à posteriori: Ecclesiæ consuetudo solet celebrare multas missas pro vno. Solet etiam aliquam missam applicare aliquibus sine peculiari fructu ad alios. Item solet quotidie repetere sacrificium incruentum. Sed ista tria, & plura huiusmodi stolidè fierent ab Ecclesia si fructus incruenti esset infinitus, quia infinitus exhaurit omnes Ecclesiæ indigentias; imo vno sacrificio omnes homines qui sunt in mundo saltem infideles in gratia confirmarentur; quia confirmari in gratia est extinguere fomitem. Item conuertirentur omnes peccatores: quia certum est Theologis posse à Deo conferri tantam abundantiam gratiæ peccatori, vt liberè consentiant, & conuertantur. Imo sequeretur omnes homines esse pares in summa sanctitate; quia si esset infinitus fructus, cōpleret omnes in summo. Nunc probo à priori. Duplex est mensura valoris in hoc sacrificio. Vna ex offerentium deuotione sumitur, quæ posset esse finita tam in minimo, quàm in tota Ecclesia. Altera sumitur ex excellentia rei oblatę. Hęc autem mensura licèt ex se sit infinita, tamen in sacrificijs, & oblationibus non pensat Deus

quid

quid offeramus, sed quanta deuotione, feruore, & charitate. Ita Hierony. in Malach. cap. 1. ait; *Deus non aurum pensat, sed offerentium voluntates*. Idem Ambr. l. 2. de pœnit. Vnde cum Christus in ara crucis sacrificauit seipsum, valor sacrificij fuit infinitus ex excellentia infinita offerentis. Vnde aiunt Theologi potuisse Christum minimo quoq; labore nos redimere; quia ab eo offerebatur; voluit tamen Christus esse infinitum, quare perfectum ex parte offerentis, & rei oblatæ; tum ad maiorem charitatem, tum ad abundantiam valoris eius. Secunda opinio opposita quòd sit infiniti valoris quantum ad meritum, satisfactionem, & impetrationem; est Caiet. tom. 2. opusc. 9. Melchior, Cani. l. 12. cap. 13. Petri Sot. tract. de Euch. q. 3. Fundamentum est; quia hoc sacrificium idem est cum sacrificio Christi; ergo eius valor est infinitus. Tertia opinio est Soti qui licèt l. 9. de iust. q. 2. ar. 2. aliter soluat; tamen in 4. d. 13. q. 2. ar. 1. copiosiùs tractans, dicit, quòd numerus offerentium non minuit valorem sacrificij. Secundo, quòd per maiorem eorum numerum nemo suo fructu fraudatur. Tertio, quòd quando offertur ex intentione Ecclesiæ prodest æqualiter. Sed quando ex intentione Sacerdotis, tunc est finiti valoris, & minùs valet pro multis, quàm pro vno. Pro solutione nota primo, hoc sacrificium habere valorem per modum meriti, satisfactionis, & impetrationis, quę inter se maximè differunt; vt dictum est supra dub. 9. Secundo oportet distinguere valorem ex opere operato, & ex opere operantis; vt dictum est supra dub. 7. Tertio, hoc sacrificium potest considerari vel ut offertur à Christo, vel ab Ecclesia, vel à ministro. Nunc sit prima conc. Hoc sacrificiũ per modum meriti nõ valet nisi offerentibus secundum deuotionem ex opere operantis, & Sacerdotis suscipientis. alijs ex opere operato, vt patet ex supra dictis. Secunda conc. per modum impetrationis valet omnibus offerentibus, & ijs pro quibus offertur, & ita singulis, ac si pro vno solo offeratur. patet, quia hoc est propriũ orationis, & operis oblati ad impetrandum. & hoc est verum siue consideretur oblatio vt facta à Christo, siue ab Ecclesia, siue à quacunq; Tertia conc. hoc sacrificium ratione rei oblatę, & oblationis vt fit à Christo, est infiniti valoris; ergo &c. Secundo, hoc sacrificium est idem cum sacrificio cruenti Christi; ergo vt illud est infiniti valoris. Quarta, quantum ad suf-

ficientiam, .i. secundum id quod facit in omnibus, semper est finiti valoris; quia alioqui superaret sacrificium cruentum, quod nulli gratiam infinitam contulit. Quinta, hoc sacrificium quatenus offertur ab Ecclesia per ministrum est finiti valoris: quia habet valorem ex deuotione Ecclesiæ quæ est finita. Hinc infertur primo, quòd valor sacrificij sic oblati siue ab Ecclesia, siue à ministro, siue diuidatur in multos, minùs continget singulis, quàm si pro singulis offeratur. Sexta, hoc sacrificium habet valorem ex opere operato, quatenus offertur à ministro Christi, & non quatenus offertur à circunstantibus; nam est vna sola oblatio, & solus Sacerdos sacrificat; nō alij. Septima, hoc sacrificiū quatenus offertur à ministro vt est minister Christi, est finiti valoris, contra Caiet. probatur; quia hæc actio est finita; ergo habet finitum valorem. antec. probatur; quia hic offert se Christus non per actionem suam, sed per actionem ministri quæ est finita; ergo non potest esse infiniti valoris. Adde quòd nobis non potest infinita virtus communicari. Hinc infertur primo, quòd idem valor est huius sacrificij ex opere operato, siue à multis, siue à Sacerdote offeratur; totus enim valor pendet à Christo offerente. Secundo, valor ille ex opere operato cùm sit finitus, si sint multi pro quibus offertur, eò minùs singulis obtingit quàm si pro vno offeratur. Tertio, esse differentiam quatenus offertur à Sacerdote, & quatenus offertur ab alijs .s. circunstantibus; quia quarto modo est sacrificium. Secundo modo est tantum sacrificium spirituale, & metaphoricum, quemadmodum est oblatio orationis, & bonorum operum. Quarto, sequitur idem esse iudicium & de his pro quibus offertur ex intentione Sacerdotis, & Ecclesiæ: quia nimirum, minus valoris obtingit si sint multi, quàm si sint pauci. Dices, hoc sacrificium est idem cum sacrificio crucis, sed illud fuit infiniti valoris, ergo & hoc. Resp. esse idem quantum ad rem oblatam, non quantum ad modum, & oblationem: ibi enim obtulit se per se Christus; hic autem per Sacerdotem. actio autem Sacerdotis est finita. Sot. in 4.d.11.q.2. ar.5. &d. 13. q.2.ar.1. Octaua conc. valor huius sacrificij ex opere operato non minuitur ex hoc quòd sint multi offerentes, vel pauci; quia vnusquisq; lucratur secundum suam deuotionem; & sicut deuotio vnius nō minuit deuotionem alterius, ita nec fructus fructum.

Ex

Ex opere verò operantis ille tantum qui offert habet valorem. quòd si ille offerat pro alio illum fructum, ipse nihil participabit quantum ad satisfactionem, vt accidit in alijs operibus; vt si quis ieiunet pro alio. Nona conc. valor huius sacrificij ex opere operato, siue ex opere operantis diuiditur secundum veram sententiam Scoti supra citati in prima opinione communiter recepta, vt prima pars applicetur illis quorum fit mentio in canone, non tamen æqualiter, sed vnicuiq; pro suo gradu, vt Papæ, Regibus, ministris, circunstantibus &c. altera pars est propria Sacerdotis, quam ei nemo adimere potest, etiam cum offert pro alijs; & hæc maior, & præcipua est pars. Loquor tamen semper quoad satisfactionem. & hanc communicant illis qui petunt pro se missas. & hæc cùm sit finita si diuidatur in multos, minuitur singulis. Hinc sequitur

Vndecimum dubium. An Sacerdos accipiens eleemosynā ab vno pro missa, defraudet illum si applicet eandem missam pro alio offerente aliam eleemosynam. Resp. & suppono, aliud esse quærere, an conferentes eleemosynā pro missa participent plus fructus quàm non offerentes; aliud verò quærere, an ille pro quo offerente eleemosynam peculiariter applicatur missa, plus lucretur, quàm si vniuersaliter offeratur. Circa primum membrū, nullus catholicus negare potest quòd maiorem fructum lucretur offerens, quàm non offerens, cæteris paribus. Probatur; quia alioqui Ecclesia deciperet suos filios, qui ideo conferunt eleemosynas pro missis, quia putant maiores fructus collecturi, quàm si non offerrent. Circa secundum membrum est prima opinio Petri Soti, & Gersonis, qui docuerunt nihil referre ad fructum participandum eleemosynæ collatæ, si missæ offerantur per eo solo, an si vniuersaliter. Secunda opinio est communis, quam defendit Dominicus Sotus; quòd multum refert vt peculiariter offeratur missa. Tertia opinio est media, & est Sylu. qui distinguit dupliciter fieri applicationem sacrificij. Primo generaliter pro tota Ecclesia, & collatoribus eleemosynarum; & si ita fiet, minùs participat. Secundo, vt particulariter offeratur pro Petro, & hanc eandem pro Paulo qui obtulit eleemosynam. & sic de singulis. & si sic fiat, participant. Ego dico primo cum Sacerdos dicit missam pro eleemosyna accepta ab vno, non sic

applicatur missa pro eo, quin etiam non prosit alijs, quibus Ecclesia vult prodesse. Secundo dico, quòd qui offert eleemosynam pro missa vt ipsi soli applicetur; ille acquirit quatuor fructus. primum, communem omnibus Ecclesiæ membris. Secundum, participat ex opere operante suo, quia concurrit actu proprio ad sacrificium sustentando Sacerdotem sua eleemosyna. Tertium, habet opus operatum respondens suo actui proprio, quo concurrit ad Sacrificium. Quartum, ex peculiari applicatione ministri. Dico tertio, ex his quatuor fructibus, tres primi non minuuntur multitudine eorum quibus applicatur sacrificium, & à quibus accipitur eleemosyna. Nec dubium est apud Theologos de duobus primis. remanet tertius, neq; de hoc est quæstio: & si Doctores in hac materia obscurè sunt loquuti, sunt exponendi in hanc sententiam. Solum est quæstio, vtrum quartus fructus licitè minuatur. qua de re dico quarto; constat inter Theologos, in quatuor casibus licitè posse minui quartum fructũ in collationibus eleemosynæ. Primus casus est, quando eleemosyna vnius non sufficit victui diurno Sacerdotis, posse accipi aliã eleemosynã vt suppleatur victus; & hoc est certum; & defenditur à Melchiore Cano; & addit, quòd siquis acciperet eleemosynam pro victu diurno, quæ non sufficiat, malè facit qui dat, si vetet ne accipiat aliam. Secundus est, quando est consuetudo vt inter missarum solennia commendantur peculiariter eleemosynarum acceptiones. & ponitur iste casus à Caiet. qui addit, quòd isti homines qui offerunt eleemosynam, tam singuli lucrantur, ac si offerrent ipsi soli eleemosynam. Tertius est, si alicuius Ecclesiæ consuetudo est, vt anniuersarijs missis pro quibus sunt relictæ eleemosynæ, adiungatur aliud legatum pium; & ille qui offert eleemosynam pro missa, scit istam consuetudinem, & non excipit, tunc hoc ipso quòd scit consuetudinem & non excipitur, videtur consentire. Quartus est, si Sacerdos quando accipit eleemosynam ab vno pro missa, disertis verbis protestatur se solere accipere plures eleemosynas, tunc non debet defraudari. Hoc dico cum Gersone, & Gabr. Quintus casus est dubius .i. si ego accipio eleemosynã vno pro missa, qui vult totam missam sibi offerri, alioqui turus, An licitè possit priuari parte quarti fructus. Resp. citer hoc posse fieri. Primo potest fieri contra charitatem,

tem, & contra iustitiam; cùm collator eleemosynæ expressè cum eo pactum fuerit. Secundo modo fit saltem contra charitatem, cum deest pactum, sed non deest scandalum, vt frequenter est. Tertio modo cum non fit pactum, tunc dico probabiliter cum Caiet. Petro Sot. & Gers. nullum fieri peccatum si pro vna missa plures accipiantur eleemosynæ. & moueor primo, quia cùm tres priores fructus satis sint magni, & cùm de quarto fructu semper habeatur particula maior, videtur rationabiliter posse esse contentus ista oblatione. Secũdo, quia sunt aliquæ Ecclesiæ quæ id vsurpant. & in primis hoc facit Ecclesia Lauretana, quas vituperare molestum est. Nec valet quod aliqui dicunt, Episcopos aliquos dispensare vt de thesauro Ecclesiæ supplere possit. Esto, tamen certum est, indulgentias non valere ad omnem fructum ad quem valet sacrificium. Dices primo, ex Scot. quia in religione Dominicana est statutum ne pro vna missa accipiantur multæ eleemosynæ. Resp. sanctissimè ita statuisse; tum quia est tutius; tum quia est decentius, & maioris perfectionis; tum ad remouenda scandala; tum etiam id facit ad inuitandos fideles vt offerant eleemosynas. Dices secundo, sequeretur non plus acquirere de fructu missæ offerentem, quàm audientem; nam primi tres sunt communes audientibus. dices; habent partem quarti. id non sufficit; nam peculiaris applicatio fit pro circunstantibus. Resp. cum Petro Sot. qui dicit, vel audientis missam, vel offerentis est par deuotio, vel impar; si primo probabile est quòd offerens eleemosynam plus participet de satisfactione. Si secundo, quòd offerens habet paruã deuotionem, in tali casu non est absurdum dicere participare plus illum qui habet magnam deuotionem. Imo (vt ait) est melius cum fide, & deuotione astare sacrificio, quàm multas eleemosynas offerre indeuotè.

Duodecimum dubium. Pro quibus sit offerendum sacrificium missæ; nam inter homines alij sunt mortui; alij viuentes; & mortuorũ alij sunt dãnati, alij beati, alij in purgatorio. Resp. & dico primo, hoc sacrificium potest offerri pro beatis. nam sancti patres dicunt quòd vna pars hostiæ cum diuiditur significat Ecclesiam triumphantem pro qua offertur. Item, quia Ecclesia in orationibus id ostendit offerendo pro sanctis. Pro intelligentia nota, quòd quando hoc sacrificium offertur

pro

pro sanctis, fit in gratiarum actionem; congaudemus enim cum sanctis de eorum felicitate; & gratias agimus Deo, de beneficijs quæ in sanctis contulit; & animos nostros erga sanctos contestamur. Præterea in eodem sacrificio oramus sanctos vt intercedant pro nobis ad Deum. August. l. 8. ciu. cap. 26. & 27. Cypr. l. 4. ep. 5. Secundo nota, quòd sacrificium prodest sanctis ad gaudium accidentale, non ad essentiale; hoc enim augetur per propria merita, ipsi verò nō possunt amplius mereri. Dico secundo, hoc sacrificium non debet offerri pro damnatis; & qui offerret, peccat mortaliter, & illis nihil prodest. Prima pars patet ex canone missæ, & orationibus Ecclesiæ, quæ non sunt pro damnatis. tum quia illi sunt incapaces huius sacrificij, quia sunt extra Ecclesiam, ergo non est pro illis offerendum. Secunda pars quòd nihil prosit, probatur; quia sunt in termino, & extra actum merendi, nec sunt capaces meriti; quia nostra Ecclesia nullam habet coniunctionem cum illis. August. l. 21. ciu. cap. 24. Magist. in 4. d. 45 Dico tertio, hoc sacrificium est offerendum pro animabus purgatorij. patet ex vsu Ecclesiæ. can. sufficit. de consecr. d. 1. cap. cum Marthæ. de celebr. miss. Trid. sess. 22. cap. 2. & omnes patres. August. in enchir. cap. 109. 111. Greg. l. 4. dial. cap. 35. Nota primo, quòd missa prodest defunctis & ratione sacrificij, & ex opere operantis ratione ipsarum orationum Ecclesiæ; & sic missa de requie plus valet pro animabus purgatorij, quā aliæ, ratione orationum; quia in hac missa sunt applicatæ defunctis, quàm in alijs missis. & hoc fit ex intentione Ecclesiæ, vt animus sic magis excitetur. Grabr. lect. 57. in canone. Tab. verb. missa. q. 52. Secundo nota, quòd sacrificium, & dictæ orationes valent dupliciter pro defunctis, per modum iustitiæ, & per modum suffragij. per modū iustitiæ, ex duplici capite: primo propter communionem sanctorum; illæ enim animæ habent communionem nobiscum, sumus enim cum illis vnum corpus. Vnde sicut pro viuis valet de iustitia, ita & pro illis. Secundo propter intentionem operantis. Vt enim apud homines requirit iustitia vt satisfactio vnius facta pro alio valeat; ita eadem iustitia requirit vt opera quæ fiunt pro animabus purgatorij, prosint illis. Deinde quòd valeant per modum suffragij, patet; nam si pro alijs orare possumus, cur non etiam pro animabus purgatorij? hinc fit vt anima de purgatorio suffragijs

gijs liberari posse. Tertio nota, inter omnia suffragia quæ offerri possunt pro animabus, hoc est vnum præstantissimum, vt docent August. & Greg. supra cit. quia hoc sacrificium valet ex opere operato, & ex opere operantis. & est opus præstantissimum omnium quæ Deo offerri possunt. Quarto dico, hoc sacrificium offerri potest, & debet pro Christianis viuis siue sint iusti, siue peccatores; & omnibus prodest. probatur ex canone missæ. ratio est; quia est sacrificium Ecclesiæ. Videndus est Augustinus in epist. ad Paulinum. nam alio modo prodest iustis, quàm peccatoribus; iustis per modum meriti, & operis operati. & operantis. peccatoribus valet tantum per modum impetrationis, & ad obtinendam gratiam contritionis de congruo. Dico quinto, hoc sacrificium pro hæreticis, infidelibus, & excommunicatis non debet, nec potest offerri à ministro vt gerit personam Christi, nec vt gerit personam Ecclesiæ. vt patet ex vsu Ecclesiæ, quæ non orat pro his in canone. Deinde, quia cùm sint præcisi ab Ecclesia, non fruuntur suffragijs ipsius. August. in epist. ad Renatum D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 3. ad 2. & quodlib. 11. q. 8. ar. 9. Sot. d. 12. q. 1. ar. 4. Sylu. verb. missa. 1. q. 8. Obijcies, multi viri pij solent offerre missas pro conuersione infidelium, & hæreticorum. Resp. 1. quòd potest Sacerdos pro his offerre priuatas orationes, non autem Ecclesiæ. Secundo, propriam satisfactionem, & fructũ quem accipiet ex sacrificio, non tamen id potest offerre in in persona Christi, vel Ecclesię; quia est illi prohibitum. Adde quòd Nau. cap. 27. nu. 36. dicit, posse applicari excommunicato totum opus orandi, & applicandi missam. Videndus est Sylu. verb. missa 1. q. 8. Tab. missa. 1. §. 1. D. Tho. & alios. Dices, cur ego Ecclesia pro illis orat in die parasceues. Resp. cum Soto supra. q. 1. ar. 1. Ecclesiam eo die cum illis dispensare. Dices, An in memento missæ liceat pro illis orare? Resp. Sylu. excõmunic. 1. §. 2. posse. quia id pertinet ad Sacerdotem ut est priuata persona. Sotus illam opinionem putat esse probabilem, sed tutius putat abstinere. quia Tho. dicit, inter orationes publicas non esse pro excommunicatis orandum, qui tamen hoc faceret, non esset reprehendendus. Sexto dico, Sacerdos debet (quantũ fieri potest) vt in ipso sacrificio, vel ante dirigat, & offerat sacrificium spiritualiter pro singulis personis pro quibus vult offerre. Gabr. lect. 35. in can. missę. & pa-

tet ex communi vſu, & rubrica miſſalis; nam niſi fiat applicatio, qui miſſam petijt fruſtraretur ſuo intentu; nam oratio ſimpliciter facta pro omnibus valet ſolum ad impetrãdum ſecundum intentionē vniuerſalem Eccleſiæ. pro particulari autem eſt particulariter applicanda.

Decimumtertium dubium. Quo tempore miſſa ſit celebranda. Reſp. ſacrificium altaris regulariter quotidie offerri debet in Eccleſia. probatur ex can. iteratur. can. vtrum. can. iſte. de conſecr. d. 2. & ex cap. dolentes. de celebr. miſſ. deniq; ex vſu Eccleſiæ, & communi ſententia. Dixi regulariter, propter ſextam feriam paraſceuæ in qua non celebratur hoc ſacrificium. rationes affert D. Tho. 3. p. q. 83. ar. 2. ad 2. & qui in illo die ſacrificaret, peccaret mortaliter. ex can. ſabbato. de conſecr. d. 3. Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 2. Sed an ſabbato ſancto liceat celebrare? Reſp. olim celebrabant nocte. nunc autem contrarium vſum obtinuit. Imo ſiquis priuatus Sacerdos priuatim celebraret miſſam præter principalem quæ dicenda eſt in Eccleſia, non peccaret mortaliter, vt tenet Sot. in 4. d. 13. q. 2. De feria quinta, nullum eſt dubium. ſ. eſſe licitum celebrare. licèt ſit vſus in quibuſdam Eccleſijs vt vna ſola dicatur miſſa. Sot. ibid. & licèt ſit conuenientiſſimum vt aliqui ſemper adſint qui communicent, non idcirco eſt abroganda illa miſſa, ſed probanda; quia eſt verum ſacrificium ſicut & cęterę; ex Concilio Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. & 8. de ſacrif. miſſæ. Secundo dico, regulariter nemo poteſt celebrare niſi ſemel in die. can. ſufficit. de conſecr. d. 1. & can. conſuluiſti. de celebr. miſſ. Dixi (regulariter,) quia in die Natalis Domini licet dicere tres miſſas. can. nocte. de conſecr. d. 1. rationes affert D. Tho. 3. p q. 83. ar. 2. ad 2. Secundo excipitur qui habet duas parochias ob Eccleſiæ neceſſitatem. & in his caſibus debet Sacerdos eſſe ieiunus non ſumendo purificationem. alij autem ſunt caſus quos refert Nau. cap. 25. nu. 87. & Sylu. verb. miſſa. §. 7. iam non ſunt in vſu, nec liceret ſine licentia Papæ, vel Epiſcopi. nec ob vllam neceſſitatem pluries celebrare. vt cum Palud. docet Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 2. ar. ad 2. qui autem in alijs quàm in dictis caſibus pluries celebraret in die, peccaret mortaliter. Sot. ibid. Tertio dico quòd ab initio auroræ vſq; ad meridiem eſt tempus celebrandi præſcriptum ab Eccleſia. & ante auroram non celebret ſine peccato mortali. Eſt communis opinio. niſi Epi-

ſcopus

scopus, vel pontifex dispenset; vel aliqua maxima incumbat necessitas. can. in nocte sancta. de consecr.d.1. Nau. cap. 25. nu. 85. Licet tamen in vno casu accelerare tempus propter necessitatem alicuius, quando non est Sacramentum reseruatum, tunc cum licentia superioris, vel Episcopi potest. Anton. 3.p.tit.13. cap.6. q.4. Imo si abest superior, vel Episcopus, potest etiam sine licentia. Nau. cap. 25.nu.85. Post meridiem verò celebrare, Sylu.verb.missa.1.q.6.Sot. supra cit.ad 4. dicunt non esse peccatum mortale, quia olim vsq; ad nonam licebat.D.Tho.3.p.q.83.ar.2.ad 2.nunc autem videtur esse peccatum mortale, tum ob consuetudinem; tum etiam quia Pius V. in quodam breui præcepit vt nemo ante auroram, vel post meridiem celebret; qui habet priuilegium, potest. Itaq; post meridiem non licet inchoare sacrum, Ioan.Andr.cap.5.de celebr. Si autem continuetur post meridiem, non refert. Vnde excusantur qui cantant missam, & in medio missæ habetur cõcio, quæ probabiliter vsq; ad meridiem durat. Hi possunt perficere missam etiam si sit hora valde tarda. Nau. cap. 25. nu. 85. dicit quòd possit incipi vna hora post meridiem, quia non est canon in contrarium. Sed ego non credo; quia consuetudo est in contrarium, & obstat breue Pij V. citatum.

Decimumquartum dubium. An sit peccatum mortale celebrare ante dictas horas matutinas. Resp. communis opinio affirmat. Sed ego non credo esse mortale, cum Sylu. verb. missa.1.§.6.& Sot. in 4.d.13.q.2.ar.2.& l.10.de iust.q.5.quia nulla est connexio necessaria, & consuetudo opposita nõ obligat ad mortale. tamen ex hoc debemus elicere, vt non sine vlla causa id faciamus. quando autem est causa rationabilis, possumus facere iuxta sententiam duorum doctorum. Causa rationabilis esset, si Episcopus aut Cardinalis vult audire missam, & sacerdos non recitauit; quia non est textus in contrarium. omittere autem primam non est mortale, neq; veniale, nisi in missa solenni.

Decimumquintum dubium. Quo in loco sit celebranda missa. Resp. non licet extra Ecclesiam ab Episcopo consecratam missam celebrare. can. missarum. de consecr.d.1. Vnde conueniens erat vt ad celebrandum missæ sacrificium loca sacra consecrarentur. & ita Apostoli seruauerunt. can. 10. Apost. & patet ex vsu Ecclesię, & patrum, & concili.Trid. sess.

22. in decreto de obseru. in celebr.miss.quamuis iam vsus obtinuerit nunc, vt non sit necessaria consecratio, nisi benedictio Episcopalis. Vnde sequitur quòd siquis celebraret in loco profano, regulariter peccaret mortaliter. Licebat tamen in duobus casibus celebrare extra Ecclesiam.cap.concedimus. de consecr. d. 1. Primo, quando Ecclesiæ sunt destructæ, aut exustæ. Secundo, quando aliqui faciunt iter, & sunt extra ciuitatem, licet in territorio, & sub diu celebrare.Conc.Trid. sess.22.c.de obseruandis, & euitand.&c.abstulit ius antiquum in hac exceptione, & præcepit ne extra Ecclesiam, vel extra oratoria ab ordinario designata, aut visitata liceat celebrare. In duobus etiam casibus licitum est celebrare in locis profanis: Primo ex licentia Episcopi, vel ex priuilegio. Secundo, cum est maxima necessitas.can.clerico.de consecr.d.1.& can. missa. ibid. vt in bello &c. debet esse tamen locus honestus. Sylu.verb.missa.1.§.5.D.Tho.3.p.q.83.ar.3.ad 1. Secundo locus debet esse securus .i. talis vt non sit periculum subuersionis, vt est in mari, vel in flumine, nec in portu.Anton.3.p.tit. 13.cap.6.§.4. Tertio, non debet esse interdictus, quando enim esset interdictus, celebrans peccaret mortaliter, & fieret irregularis. cap.15.cui.de sent.excomm.in 6.Sylu.verb.interdictũ 5.§.6.Nau.cap.27. nu.256. & cap.25.nu.83. Quarto non debet esse pollutus. polluitur autem Ecclesia effusione sanguinis iniuriosa, & per seminis humani effusionem, quando ista crimina sunt notoria apud multos; quia si apud paucos peruenit notitia, non est polluta. etiam multis alijs de causis polluitur Ecclesia, sed non incurritur irregularitas. cap.15.qui.de sent. excomm. Sicut qui celebrat scienter coram excommunicato, peccat mortaliter, sed non incurrit irregularitatem. Idem intellige quacunque alia de causa sit polluta, vt tenet Scot. & Palud.in 4.d.16.q.2. potest tamen de licentia Episcopi in Ecclesia polluta celebrari. D. Tho.3. p.q.83.ar.3. ad 2. ex qua resolutione excusantur multi germani, qui celebrant in Ecclesia vbi sepulti sunt hæretici; quia Episcopi vident, & dissimulant; vnde consentire videntur.quòd si clerici in Ecclesia polluta id ignorantes celebrent, vel diuina officia absoluant, non egent alia benedictione.

Decimumsextum dubium. An sit celebrandum in altari. Resp. affirmatiuè; semper enim altaria erecta fuere in Eccle-

sia ad sacrificandum. Christus enim meminit altaris, Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare.* & 23. d. 2. can 3. Apostolorum. & can. altaria. de consecr. d. 1. & ex vsu Ecclesiæ. Ara verò has debet habere conditiones: sit lapidea, non lignea, vel terrea, vt instituit Syluester Papa can. altaria. il 1. de consecr. d. 1. quia significat crucem in qua iacuit Christus qui est lapis fundamenti Ecclesiæ. Sit consecrata. can. nullus. il 1. can. altararia. il 2. & can. omnes. de consecr. d. 1. aliter sine consecratione esset peccatum mortale. Hinc sequitur esse honoranda quia sunt consecrata; vnde Concil. Tolet. 12. vocat diuina. & habetur can. relatum. de consecr. d. 2. & ex Dionys. cap. 3. de Eccles. hierar. Olim autem non consecrabantur sine reliquijs, ex can. placuit. de consecr. d. 1. quod aliqui dicunt esse necessarium. oppositum tamen defendit Sot. in 4. d. 13, q. 2. ar. 3. & alij. Sylu. verb. altare. q. 4. Sit integra, non fracta. quando enim est notabilis fractura, est peccatum mortale in illa celebrare. Sit deniq; capax, nam si non capiat corpus cum calice, aut maiore parte calicis, non est bona ara. Vnde grauissimum peccatum est celebrare sine ara, vel in altare nō sacro. ex can. concedimus. de consecr. d. 1. quibus verò de causis execretur altare, videndus est Sylu. verb. altare. q. 8. Angel. verb. missa. §. 36. Dices, an liceat celebrare in altare portatili. Resp. licet Episcopis in itinere. & illis quibus concesserint. cap. quoniam de priuil. in 6. etiam illis qui habent priuilegium, vt fratribus ordinum minorum. cap. in ijs. extra. de priuileg. Quibus autem modis construatur huiusmodi altare, Angel. & alij vebr. altare videndi sunt.

Decimumseptimum dubium. An liceat Sacerdoti sacrum facere sine vestibus sacris, & cultui diuino dicatis? Resp. qui scienter omitteret, peccaret mortaliter. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 6. Nau. cap. 25. nu. 84. Angel. verb. missa. §. 36. dixi *Scienter*; nam si ex obliuione omitteret stolam, vel manipulum &c. non esset peccatum mortale; Angel. ibid. Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. vbi omnium significationem assignat. & nos infra, dubio 19.

Decimumoctauum dubium. Quid significant cæremoniæ missę. Resp. dictum est supra, dub. 4

Decimumnonum dubium. Quæ sint sacræ vestes in sacrificio altaris. & quid significant. Resp. vestes sunt sex, propter

senarij numeri perfectionem. Sexta enim ætate Deus redemit mundum. Vestes sunt hæ *Amictus, Alba, cingulum, manipulus, stola, & planeta, seu casula*. Hæ vestes singulæ habent duas significationes, vnā in ordine ad Christum quem repræsentant; significant enim venisse in carne; alterā in ordine ad mores, vt sig nificetur qualis debeat esse verè Sacerdos. *Amictus*, significat velum illud quod apposuerunt Iudæi ante oculos Domini. Item, fidē qua debet se præparare Sacerdos ad celebrandum. debet enim claudere oculos. Huic amictui solet apponi quoddam additamentū, vt significet spē æternorum bonorum, qua debet se munire Sacerdos in calamitatibus huius mundi. amictus cadit super humerum, ad denotandum fortitudinem ad diuinum officium; & habet cordas in modum crucis in pectore, ad denotandam rectam intentionem, quam debet habere in omni opere. *Alba* est vestis talaris longa valdè, & larga, ex lino: significat vestem albam qua fuit indutus Christus ab Herode in significationem amentiæ. erat longa, vt non posset ambulare, sed caderet, & irrideretur. Item illa longitudo significat vniuersalem iustitiam Sacerdotis .i. in omni opere suo debet esse iustus, & rectus. Largitas significat amplitudinem operum, & charitatis erga alios. albedo significat innocentiam Sacerdotis. debet esse ex lino, quod fit ex herbis; ad denotandam fortitudinem, & viriditatem, & amœnitatem operum Sacerdotis. *Cingulum* significat ligamen quo Christus fuit ligatus in horto; item castitatem Sacerdotis. & cingulum pontificis debet habere duos funiculos ad partem dexteram; ad significandum quòd castitas non acquiritur nisi per ieiunium, & orationem. *Manipulus* in sinistra parte significat secundum ligamen Christi quo fuit ligatus in columna. Ponitur læua parte, ad significandum nimium amorem quo Chistus pro nobis passus est; nam cor inclinat ad læuam partem. & Sacerdos quando apponit sibi manipulum debet respondere eodem amore. Item quoad mores significat pœnitentiam. & ponitur in sinistrâ parte, ad denotandum quòd pœnitentia est in hoc mundo, & extra hunc mundum non est pœnitentia, nec in cœlo, nec in Inferno, nec in purgatorio: in duobus vltimis .n. est pœna, non pœnitentia, quæ est in via vt sit meritoria: in purgatorio est tantum satisfactoria &c. *Stola* significat tertium ligamen Christi, quando fuit liga-

tus

tus in cruce. quoad mores significat iugum legis Euangelicæ: debet enim Sacerdos esse nimis instructus in lege Euangelica quantum ad intelligentiam, & obseruantiam. Stola autem Sacerdotis vtrunq; humerum comprehendit; quia lex Domini facienda est in pacientia, & obseruantia. & est longa vsq; ad pedes, quia est necessaria perseuerantia vsq; ad finem. *Casula* seu *planeta*. Primo significat vestem purpuream qua fuit indutus dominus in domo Pilati. Secundo, significat charitatem: & propterea iungitur cum amictu; quia fides est coniungenda cum charitate. habet partem anteriorem strictam, & curtam; posteriorem longam, & latam; quia charitas habet duos oculos .i. ad Deum, & proximum. Item, pars anterior significat statum legis ante aduentum Christi. posterior, statum Euangelij. illi autem habebant magnam inopiam gratiæ, & remedij pro peccatis, & habebant paruam cognitionem Dei. vnum est proprium Pontificis. Omnes Sacerdotes prius apponunt manipulum, postea casulam. Pontifex vltimo loco apponit manipulum; quia nullus Sacerdos peruenit ad charitatem, nisi mediante pœnitentia; ideo postremo loco sumit manipulum. Hæc de vestibus Sacerdotis. Supersunt altare, de quo supra diximus in dub. 16. Sed altaris nomine intelliguntur hæc omnia; Ara, mappæ, calix cum patena, liber, & candelæ accensæ. de Ara seu altare supra dictū est. Mappa debet esse duplex, aut vna duplicata. Corporalia debent esse ex lino, non ex serico; quia significant sindonem in qua fuit inuolutus Christus Dominus. Calix debet esse ex auro, argento, aut stamno. qui consecraret in vase ligneo, peccaret mortaliter. cap. 1. de celebr. miss. & est pœna depositionis. Liber, idest missale, in quo saltem sit canon missæ. Candela saltem vna; & debet esse ex cera, posset tamen fieri ex oleo. minister sit saltem vnus qui inseruiat &c.

Vigesimum dubium. An hæc omnia indumenta debeant esse necessariò benedicta. Resp. debent esse benedicta ab Episcopo, vel Abbate, vel alio habente tale priuilegium. Non est autem necessarium vt camisea .i. superpellicium sit benedictum, vel mappa altaris, qua altare cooperitur, super quam immediatè extenditur corporale. nam in necessitate possunt adhiberi tobaleæ laicorum, quibus deinde ipsi vti possunt; quia nō essent ex eo deputatæ cultui diuino. nec pallium altaris. Sylu.

verb.

Nicephorum l. 10. hist. cap. 29. quare non licet ei vti in vsum profanum, vt habetur can. 72. Apost. Dices, quando execrãtur. Resp. tunc amittunt consecrationem, cum desinunt esse. tunc verò dicuntur mutare esse, dum franguntur, vel mutant formam. Item quando calix est ita fractus, vt Schiphus à pede totus separetur, vt quando iunctura est tornatilis, tunc facta separatione partium omittit consecrationẽ secundum Armill. Tab. Sylu. verb. calix. qui addunt quòd deauratio calicis argentei, vel stamnei si cadat propter vsum, non est quòd consecretur. Angel. supra §. 2. An verò execretur calix per aliquos ictus datos à fabro vt fit communiter, nullo iure probatur, vt notant Tab. & Armil. supra cit. §. 4. Dices deniq; quid habent sacra vasa, & templum ex consecratione. Resp. hoc habent, quòd Deus velut quodam pacto concurrit cum rebus sacris ad excitandam deuotionem. Vnde 3. Reg. 6. petijt Dauid, vt Deus particulariter assisteret templo, & orationibus hominum.

Vigesimumsecundum dubium. An liceat celebrare sine lumine. Resp. non licere. Imo esse peccatum mortale, vt ait Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 4. probatur ex cap. fin. de celebr. miss. & can. 4. Apost. & ex vsu Ecclesiæ. Imo Clemens ep. 1. dicit id docuisse Petrum. Item ex Concil. Tolet. iiij. cap. 8. vbi fit mentio cerei paschalis. & ex Trid. sess. 22. cap. 3. de celebr. miss. Est tamen notandum, quòd quamuis Ecclesiæ vsus sit vt lumen candelarum adhibeatur, id tamen non est necesse; quia canones lumen, seu ignem dicunt esse adhibendum; non cereas candelas. Idem aiunt Doctores.

Vigesimumtertium dubium. An liceat Sacerdoti soli celebrare sine astantibus. Resp. non licere. sed debere saltem vnum astare; qui nomine populi respondeat. can. illud. 7. q. 1. & cap. proposuit de filijs presbyter. cap. hoc autem. de cõsecr. d. 1. vbi præcipit vt sint duo. sed iam consuetudo obtinuit vt sufficiat vnus. Hic autem sit masculus, non fœmina. cap. 1. de cohabit. cleric. & mulier. Episcopus autem non nisi præsente diacono celebrare potest, nisi necessitas cogat. can. diaconi. d. 83. Angel. missa. §. 83. Dices, an Sacerdos capite discooperto celebrare debeat. Resp. affirmatiuè. can. nullus. de consecr. d. 2. Sed Angel. verb. missa. §. 8. & Tab. eod. q. 17. excipiunt casum necessitatis. Nunc propter rubricam noui missalis tutius

tius est petere dispensationem ab Episcopo.

Vigesimumquartum dubium. Quis fuit auctor missę. Resp. præter ea quæ dicta sunt supra dub. 3. nunc tantum dicendum est, essentialia missæ fuisse à Christo Domino instituta, i. consecrationem, oblationem, & consumationem. quibus aliqui addunt fractionem. reliqua instituerunt partim Apostoli, partim alij patres, & Pontifices. D. Tho. 3. p. q. 83. ar. 4. Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 4. & 5.

Vigesimumquintum dubium. Circa defectus missæ quid agendum, si animaduertat Sacerdos non posuisse vinum in calice, idq; post hostiam sumptam. Resp. prima opinio est D. Tho. 3. p. q. 84. ar. 6. quòd debeat Sacerdos aliam hostiam apponere simul cum vino consecrandam. & incipiendo à versu: *Qui pridie &c.* consecrare sub vtraq; specie, & missam vsq; ad finem prosequi. Secunda opinio est Scoti in 4. d. 8. q. 1. qui dicit quòd in hoc casu Sacerdos debet accedere ad cornu altaris quasi ablutionem accepturus, & sumpto vino, & aqua, vel solo vino cum aqua quæ remansit in calice, redire ad medium altaris, & ibi consecrare, incipiendo ab illis verbis; *Simili modo &c.* prosequendo vsq; ad illa; *Vnde & memores*; alijs prætermissis, ne populus propter moram intelligat errorem: & sic sanguinem Christi cum reuerentia percipere & purificationem, & prosequi vsq; ad finem. eandem sententiam tenet Angelus verb. missa. §. 14. Nau. cap. 25. nu. 91. Ego verò cum Sot. in. 4. d. 13. q. 2. ar. 6. puto distinguendum. si enim timeretur scandalum, sequenda est opinio Scoti. sin minus, opinio D. Thomæ. & nota quòd in opinione D. Thomæ, esset iterum consecrandum sub vtraq; specie; sed secundum Scotum, solum sanguinem. Dices, an qui ex ignorantia, vel perturbatione in hoc casu omitteret consecrationem sanguinis, peccaret mortaliter? Resp. negatiuè, vt cum Adriano tenet Nau. cap. 25. nu. 81. Dices, an in hoc casu facienda esset ablutio materiæ quæ denuò sumitur consecranda. Resp. secundum opinionem D. Thomæ, & rubricam missalis, esse faciendam; sed secundum opinionem Scoti, non esse necessarium. De reliquis defectibus in missa occurrentibus, videndæ sunt rubricæ missalis. D. Thomas, & Scotus supra citati.

De Ministro. Cap. IX.


Rimum dubium. Ad quem spectat consecratio Eucharistiæ. Resp. Ad solum Sacerdotem pertinet. & est de fide. cap. firmiter. de summa Trinit. Concil. Flor. & Trid. sess. 23. cap. 1. & can. 1. de Sacramento ordin. & est communis omnium. D. Tho. 3. p. q. 82. ar. 1. Sot. in 4. d. 13. q. 1. ar. 1. Victor. q. 88. Vis enim consecrandi est tradita in ordinatione, sine qua non fit consecratio.

Secundum dubium. An plures Sacerdotes possint vnam, & eãdem hostiam consecrare. Resp. affirmatiuè cum D. Tho. 3. p. q. 82. ar. 2. & id faciunt Sacerdotes quando ordinãtur; qui non debent habere intentionem consecrandi, vel non, sed faciendi quod Episcopus, vel Ecclesia vult vt faciant. Vel tardiùs proferant, vt Episcopus sit primus. Sot. supr.

Tertium dubium. An dispensatio Eucharistiæ pertineat, ad proprium Sacerdotem. Resp. primo, esse de fide pertinere, ad solos Sacerdotes tanquam ex officio. can. perueniat. de cõsecr. & conueniunt omnes. D. Tho. 3. p. q. 82. ar. 3. Sot. in 4. d. 13. q. 1. ar. 3. Sylu. Eucharistia 3. q. 4. Victor. q. 89. sciant Sacerdotes in Christi persona consecrare, & sic etiam ministrare, vt ille fecit. Secundo, tempore quo populi communicabant sub vtraq; specie, diaconi ministrabant sanguinem, non tamen corpus Domini. Idq; ex officio, vt probant doctores, & Ambr. l. 1. offic. cap. 41. Tertio, Diaconi de licentia Episcopi, vel presbyteri possunt in necessitate siue absentibus, siue præsentibus ipsis dispensare etiam corpus Domini, vt definitur cap. diaconi. can. non oportet diaconos. can. præsente. 15. q. 5. Concil. Nicæn. cap. 14. Carthag. iiij. cap. 38. D. Thom. 3. p. ar. 5. ad 1. Alens. 4. p. q. 50. m. 3. Caiet. verb. communio. cap. 2. Victor. q. 89. & alij. Quarto, vrgente necessitate extrema si Episcopus, & Sacerdos absint, posset diaconus absq; alia commissione ministrare corpus Domini, D. Tho. in 4. d. 13. q. 1. ar. 3. q. 2. Alens. 4. p. q. 56. m. 3. Palud. in 4. d. 13. q. 1. ar. 4. Cõcil. 3. Dur.

Ibid.q.4. Sylu. Eucharistia 3. q. 4. & verb. Diaconus.q.2.§. 2. Victor.q.89. Sot.d.13.q.1.ar.3.qui etiam addit quòd præsente Sacerdote, & nolente dare infirmo communionem in extremis, neq; licentiam diacono illam admistrandi ob malitiam, vel odium &c. potest in hoc casu diaconus mininistrare. hoc intellige, si potest sine scandalo. Quinto, quòd Diaconus in nullo casu etiam de licentia presbyteri potest hoc Sacramentum ministrare. Est conueniens sententia, quia non est minister Sacerdotis, sed diaconi, vt nomen indicat. quare neq; sanguinem posset ministrare. Sot. supracit. Sexto, Laico multo minus licet Eucharistiam ministrare, nec etiam in extrema necessitate, quamuis multi contrà sentiant, quos refert Sylu. verb. Eucharistia. 3.§. 4. est enim expresse prohibitum in can. peruenit. 15.q.2. & contra communem sententiam. Sot.sup.& Alens. Septimo, in casu necessitatis non est peccatum laico tangere Eucharistiam, vt eam luto eripiat &c. D.Tho.in.4.d. 13. cit. Dices, an Sacerdos extra missam possit in necessitate seipsum communicare? Resp. posse ex Innoc.& Panorm.cap. quoniam. de consuetudine.

Quartum dubium. An liceat cuiq; Sacerdoti etiam simplici Eucharistiam indifferenter populo ministrare. Resp. primo, quòd cùm sit actus iurisdictionis, non licet nisi habentibus curam animarum communicare suos subditos. Excipiuntur hi qui habent licentiam tacitam, vel expressam à superiore, vel ex priuilegio. Probatur ex Concilio Carthag.cap.2.& cap. omnis vtriusq; sexus. de pœnit.& remiss.& est communis sententia. quare qui ab alio sumeret, peccaret. Nau.cap.21.nu. 52. etiam si extra pascha, vel in articulo mortis. Cajet.verb. communio. cap.2. Sot. supr. cit. & alij. Secundo, si Sacerdos qui communicaret esset religiosus, incideret in excommunicationem.can.1.de priuileg. Nau.cap.27.num. 101. Anton. 3. p.tit.24.cap. 54. Angel. verb. excommunic. 5. casu 12. Sylu. excommunic.7.§.14. Caiet.excommunic.cap. 64. nunc autem multi sunt priuilegiati, vt notat Nau.cap.21.num.52. Tertio, simplex Sacerdos qui ministraret extra tempus paschale Eucharistiam sine licentia putans sibi licere, excusaretur à peccato mortali propter consuetudinem, vel tacitam facultatem. Nau. supra citatus.

Quintum dubium. An Sacerdos teneatur sumere Eucharistiam.

stiam. Respondetur affirmatiuè, tenetur enim sub vtraq; specie communicare. cap. relatum, & cap. comperimus. de consecr. d. 2. & est de iure diuino vt tenet D. Tho. 3. p. q. 82. ar. 4. Sot. in 4. d. 13. ar. 4. Nau. cap. 25. num. 91. Angel. verb. missa. §. 26. Sylu. verb. Eucharistia. Tertio intellige, nisi Sacerdos impediatur aliquo miraculo, vt ait D. Tho. supra ar. 4. ad 3. Sylu. Euch. 3. q. vnica. Dices, an liceat Sacerdoti dare alteri partem hostiæ quam consecrauit in missa, si non sit alia. Resp. licere in casu necessitatis, vt ad communicandum infirmum. D. Tho. in 4. p. 12. & Palud. Imo etiam ex deuotione. Angel. verb. Euch. §. 72. Sylu. Euch. 3. q. 15. §. 1.

Sextum dubium. An liceat Sacerdoti consecrare post cibum sumptum ad communicandum infirmum, qui est in extrema necessitate. Resp. negatiuè cum Palud. in 4. d. 8. q. 2. Sot. in 4. d. 12. q. 1. ar. 8. Sylu. verb. Euch. 3. q. 6. Nau. cap. 21. nu. 53. Hinc confutatur Maior. d. 9. q. 3. arg. 5. qui tenet quòd in necessitate potest à prandio confici Sacramentum sine missa, & in pane etiam fermentato si desit azymus, quem meritò confutat Palud. & Sotus, quia est contra vsum Ecclesiæ. Idem Victor. q. 83. Hinc etiam patet, quòd præceptum sumendi Eucharistiam nõ obligat quando non est commoditas debito modo sumendi. Ita Sotus supra cit.

Septimum dubium. An Sacerdos sumpta ablutione possit in missa recipere reliquias quas reperit in corporali. Resp. vna sententia negat, quam Caiet. tribuit Scoto in 4. d. 8. q. 3. & Sylu. & Palud. in 1. d. 8. q. 2. Altera sententia opposita est communis, quòd liceat. est Caiet. opusc. 2. tract. 3. de celebr. miss. q. 1. Sylu. Euch. 3. q. 8. Sot. in 4. d. 12. q. 1. ar. 8. dub. 4. Tab. verb. missa. q. 42. Victor. q. 43. ratio est, quia totum illud reputatur vna sumptio. & dicitur ieiunus in ordine ad quamlibet partem. Confirmatur, quia quando hostia hæret palato, licet sumere aquam, vel vinum (hoc enim est honestius) quàm digitum apponere, vt ait Sylu. supra. & verb. Euch. 2. q. 9. §. 8. illud autem potest potari priusquam deglutiatur hostia. ergo possunt sumi reliquiæ post ablutionem. Hinc infertur primo, quòd si dum sumitur sanguis particula hostiæ remanserit in calice, decentius est apponere vinũ in sumptione illius, quàm digito trahere. Sylu. Euch. 2. q. 9. Angel. verb. missa. §. 20. Nau. cap. 25. num. 90. quamuis oppositum dicat Sotus d. 8. q. 3. Tab.

Oo 2 verb.

missa. §. 40. Secundò, infertur posse Sacerdotem post ablutionem sumere reliquias, quas viderit superesse post communionem laicorum. Ledesm. p. 4. q. 12. ar. 8. dub. 4. Sot. sup. qui addit esse bonum consilium quòd si hostia sit magna conseruetur in pyxide, seu custodia. Credo tamen quòd si commodè conseruari non posset, deberet Sacerdos illam sumere, quia censetur vna sumptio.

Octauum dubium. An Sacerdos possit non ieiuno infirmo ministrare hoc Sacramentum. Resp. affirmatiuè si infirmus sit in extremis, ne sine viatico discedat. D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 8. Sot. in 4. d. 8. q. 1. ar. 6. Victor. q. 83. probatur ex can. presbyter. de consecr. d. 2. & ex vsu Ecclesiæ. Dices, an sæpius ministrare liceat infirmo in eadem infirmitate post cibum si sæpius periclitaretur. Resp. Tab. verb. communio. q. 84. quòd si ex deuotione velit communicare ieiunus, certum est esse licitum; si autem velit communicare per modum viatici .i. non ieiunus, tunc dico, quòd si sit probabile periculum, illum esse separatum à Deo, licet si transierint aliqui dies, puta sex, vel octo, potest iterum communicare; Armill. verb. communio. §. 18. & hoc est fauorabilius, & tenendum.

Nonum dubium. Quæ dispositio sit necessaria celebranti. Resp. continetur hoc versu. *Ieiuna, recita, expecta, tua crimina pande.* Prima *Sit ieiunus* antequam celebret à media nocte illius diei quo debet celebrare, sit inquam ieiunus à cibo, potu, & medicina. cap. Sacramenta. de consecr. d. 1. & cap. liquido. d. 2. Ieiunium autem hoc non est de iure diuino, sed potest Papa dispensare. notat verò D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 8. primo quòd siquis lauans os deglutiuit paruam aquæ in modica quantitate per modum saliuæ, non frangit ieiunium. Secundo, siquis deglutiuit reliquias cibi quæ erant inter dentes, non frangit ieiunium. Tertio, hoc autem fit propter duo; propter reuerentiam Sacramenti ad denotandum esse cibum perfectissimum; & etiam ad significandum quòd homo ante omnia debet quærere salutem animæ. Sunt autem quatuor casus in quibus potest quis non ieiunus. Primus, siquis est oblitus se sumpsisse cibum, & accessit ad altare vt sacrum faceret, si recordatur dum celebrat, si est post consecrationem, sine dubio debet continuare; si sine scandalo, debet cessare. Sylu. verb. Euch. 2. q. 7. & Angel. Secundus est, ratione perficiendi Sacramenti.

cramenti. v.g. aliquis loco vini apposuit acetum, aut aquam & post sumptionem corporis sumpsit acetum, aut aquam, soluit iam ieiunium; tunc debet iterum apponere vinum, & consecrare sine eleuatione, & iterum sumere. D.Tho.3.p.q.83.ar. 6.ad 4. dicit opus esse consecrare etiam corpus; mihi satis esse videtur consecrare sanguinem. Nau.cap.25.num.91. Idem ait, si panis hostiæ esset corruptus. Tertius est caiet. verb. missa. quando post sumptam ablutionem inuenit aliquas particulas in corporali, potest illas sumere, sed non finito sacro, vt dictum est supra dub.7. Quartus, quando particula corporis mansit in calice post ablutionem, iterum debet sumi facta altera ablutione &c. vt ibidem dictum est. Secunda conditio, *recita*, nemo debet facere sacrum nisi priùs recitauerit matutinum. De hoc dictum est supra, dubio 14. Tertia, *expecta.i.* necessarium est tempus, vt ante auroram non celebret. vt dictum est supra, dubio 13. Quarta, *Tua crimine pande*, nam siquis peccauit mortaliter, non potest accedere ad celebrandum, siue communicandum nisi præmissa confessione. cap. de homine. de celebr. miss. & Trid. sess. 13. cap. 7. & can. 11. dicit, quòd in necessitate licet accedere ad celebrandum cum contritione sine confessione; dûmodo statim ac habuerit copiam sacerdotis, confiteatur. Sot. in 4. d. 18. q. 1. ar. 2. explicat casus necessitatis. Primo, in articulo mortis. v.g. comburitur templum, & est ibi Sacerdos, & videt se comburendum, potest celebrare, & communicare alios cum contritione. Secundo, ratione necessitatis, v.g. est tantum vnus Sacerdos in castello, & commisit peccatum mortale in die sabati, non potest fraudare inferiores sacro, tunc potest celebrare. Tertio, quando sequitur infamia aliqua, aut damnum notabile. v.g. aliquis habet casum reseruatum, si non celebrat scandalizantur subditi, potest celebrare ad vitandam infamiam. Quarto, quando postquã cæpit celebrare recordatur se esse in peccato mortali, si enim sequatur scandalum, potest sequi cum contritione, etiam si sit ante consecrationem. & tunc etiam si sit excõmunicatus, suspensus, aut interdictus, non incurrit irregularitatem: Sylu. verb. Euch. 2. §. 6. & 7. & Angel. Idem dicendum de illis qui accedũt ad communionem.

Decimum dubium. An Sacerdos existens in peccato mortali, verè consecrat. Resp. affirmatiuè, & est de fide. Trid. sess. 7. cap.

7.cap.12. de Sacram. & can. multi. prima q. 1. & est commu-nis. D. Tho. 3. p. q. 82. ar. 5. Sot. in 4. d. 13. q. 1. ar. 5. Victor. q. 90.

Vndecimum dubium. An hæretici, scismatici, & excommunicati, ac degradati &c. possint consecrare. Resp. affirmatiuè, & est de fide. quia habent characterem indelebilem: peccant tamen consecrando. Vnde errauit Magist. in 4.d.13. id negando. D. Tho. 3. p.q.82.ar.7.& 8.Sot.d.13.q.1.ar.7.& 8. Victor. q. 92.

Duodecimum dubium. An plus valeat missa boni Sacerdotis, quàm mali. Resp. dupliciter potest considerari missa. Primo, vt est opus hominis priuati; & sic constat pluris esse missam boni, quàm mali; quia bonus habet propriam deuotionem & gratiam; & per consequens facit missam Deo gratiorem. Secundo, vt est actus Ecclesiæ, & tunc est quæstio; & est duplex opinio. Prima est D. Tho.Caiet. & Thomistarum. 3.p q.81.ar. 6. qui tenēt quòd missa semper est æqualiter fructuosa, ac tanti valere missam mali, quanti boni Sacerdotis; quia vterq; est minister Ecclesiæ; cùm præsertim (vt ait Sotus) vterq; sit instrumentum passionis Christi, quod semper est eodem modo. Secunda opinio est Scoti in 4. d. 13. q. 1.ar.6. & Gabr. quam tribuit D. Thomæ. qui dicunt non esse æqualem, hac ratione: quia hic Sacerdos non facit actum suum fructuosum; quia est malus, sed totam vtilitatem habet ab Ecclesia. Pro solutione nota quòd in missa sunt tria, Sacramentum, sacrificium, & orationes. De Sacramento nullum dubium est; quia idem Sacramentum consecratur à malo, & à bono Sacerdote: De sacrificio distinguendum est; vel enim consideratur vt offertur à Christo per Sacerdotem, vel vt offertur ab Ecclesia per ministrum, vel vt offertur ab ipso ministro. Si consideretur primo modo, vtraq; missa est eiusdem valoris, quia sic Sacerdos solum gerit personam Christi; vt enim se habet in consecrando, sic in sacrificando. confirmatur ex Innoc. iij. l. de myster.missæ.cap.5. & ex August. in ep. ad Renatum. Si verò sumitur vt offertur ab Ecclesia per ministrum, dico non esse eiusdem valoris, sed maioris valoris esse missam boni; quia (vt ait Sotus) Ecclesia non est vniuersale platonicum, neque meritum eius est abstractum ab indiuiduis, quare cùm constet ex indiuiduis, quia indiuidua non sem-

ſemper ſunt eiuſdẽ ſanctitatis, per conſequens miſſa non ſemper eſt eiuſdem valoris boni, & mali Sacerdotis. ac per malum Sacerdotem intelligo illum qui eſt in peccato mortali; can. ipſi Sacerdotes. 1. q. 1. vbi dicitur, quòd quanto Sacerdotes fuerint digniores, tanto faciliùs exaudiuntur. vbi certum eſt intelligi Sacerdotes quatenus ſunt miniſtri Eccleſiæ, vt notat Sotus. Quia Sacerdos malus eſt membrum Eccleſiæ; & hoc ipſo quòd eſt malus, non adiuuat Eccleſiam. Si verò ſumatur vt offertur à Sacerdote in eius perſona, certum eſt miſſam boni plus valere cùm ſit Dei amicus; malus autem eſt inimicus. Quare abſolutè dici poteſt meliorem eſſe miſſam boni, quàm mali Sacerdotis. Ad id de inſtrumento vt dicebat Sotus, reſponderi poteſt, quòd hoc valet in Sacramento, in quo opus operatum totum pendet à paſſione Chriſti. In ſacrificio ſecus eſt; quia non ſolum opus operans, ſed operatum etiam pendet ex intentione miniſtri. Loquamur nunc de orationibus. Dico primo, quòd orationes quæ fiunt à malo Sacerdote vt eſt miniſter Eccleſiæ, habent ſuum valorem; quia Eccleſia eſt Deo grata. Secundo dico, orationes iuſtorum habere maiorem valorem. probatur exemplo legati, qui mittitur nomine Principis, quamuis enim principaliter habeatur ratio mittentis, tamen prudentia, & probitas legati plurimum valet ad impetrandum. Tertio dico, quòd orationes quæ fiunt ex particulari deuotione miniſtri mali, parum habent valoris. Sotus ſupra. & Victor. q 91.

Decimumtertium dubium. An Sacerdos teneatur aliquando celebrare. Reſp. prima ſententia eſt Alẽſ. q. 41. m. 2. Bonau. in 4. d. 12. q. 1. ar. 2. Gabr in can. lect. 87. Caiet. 3. p. q. 82. ar. 10. Victor. q. 94. qui dicunt non teneri niſi illis præcipiatur à ſuperioribus; quia non eſt de hoc præceptum. Secunda ſententia eſt quam refert Anton. 3. p. tit. 13. §. 12. cap. 6. quòd non celebrare quotidie ſit peccatum mortale. can. ſi quotidie. de conſecr. d. 2. Tertia eſt communis, quòd ſi non ſit impedimentum teneatur celebrare aliquoties in anno. ſ. in præcipuis feſtis. eſt D. Tho. 3. p. q. 82. ar. 11. Riccard in 4. d. 13. q. 2. ar. 2. Palud. ibid. q. 2. ar. 1. Dur. q. 2. Sot. q. 1. ar. 1. Sylu. verb. miſſa. 1. q. 7. verſ. 4. Nau. cap. 25. num. 58. & alij. probatur; quia dona Dei. i. poteſtatem, & characterem fruſtra accepiſſent. Item ex cap. dolentes. celebr. miſſ. & ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 14. de reform.

form. vbi iubet Episcopis curare vt præsbyteri saltem dominicis diebus, & festis solennibus sacrificent. & qui curam habent animarum, tam crebro, vt muneri suo satisfaciant. Per quod tam ante præceptum Episcoporum, quàm ante concilium, nõ tenentur pluries celebrare; cùm id non præcipiat, sed tantum curam ad id cogendi Episcopis committant; vt notat Nau. supra cit. quare qui curam non habent animarum, tenentur saltem quater in anno celebrare in dictis festis. quod tamen non ita intelligas præceptum, vt si quis ter solum, & non dictis festis, sed alijs diebus, is peccati mortalis sit reus. vt docet Ledesma prima p. q. 23. ar. 10. Sot. in 4. d. 13. q. 1. ar. 10. dummodo tempore paschatis nõ omittat. intellige, nisi esset scandalum &c.

De suscipiente. Cap. X.



Ota primo, tripliciter posse sumi Sacramentum Eucharistiæ à suscipiente. primo, Sacramentaliter tantum, sic sumunt peccatores, qui Sacramentum actu percipiunt, sed non gratiam Sacramenti. Secundo, spiritualiter tantum; vt cum accipitur in voto, ac desiderio, & per actum intentionem fidei viuæ, & deuotionis sentitur eius effectus. Tertio, Sacramentaliter & spiritualiter simul; cum quis rectè dispositus actu recipit Sacramentum, & eius effectum, vt habet Concilium Trid. sess. 13. cap. 8. de Euch. can. qui passus. de consecr. d. 2. D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 1. Sot. in 3. d. 12. q. 1. ar. 2. Sylu. verb. Euch. 3. q. 1. Differt autem communio spiritualis tantum à spirituali, & Sacramentali simul, quòd illa iterari potest eodem die pluries sine vllo periculo, & in ea confertur gratia per modum meriti ex opere operantis; at Sacramentalis simul & spiritualis cõfert gratiam ex opere operato, & facit ex attrito contritum; & maiorem requirit dispositionem in suscipiente; & plusquam semel in die sumi non potest. Secundo nota, quòd quamuis Eucharistia non sit de necessitate salutis sicut baptismus, tamen iure diuino & humano præcepta est; vt supra diximus,

ximus, cap. 5. quòd autem non sit de necessitate, probatur ex Trid. sess. 21. cap. 4. de commun. & can. 4. vbi id statuitur; paruuli etiam saluantur solo baptismo sine Eucharistia. Ergo hæc non est necessaria ad salutẽ. D. Tho. 3. p. q. 78. ar. 3. Sot. in 4. d. 8. q. vnica. ar. 3. Probatur esse de iure diuino ex locis quos adducit Concilium Trid. sess. 21. cap. 1. de commun. & Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis.* Item probatur ex communi sententia, quam tenet D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 11. Dur. in 4. d. 9. q. 2. Palud. d. 1. ar. 1. cõcl. 3. Sot. d. 12. q. 1. ar. 11. Ledes. 2. 4. q. 21. ar. 11. Nau. cap. 2. num. 57. Victor. q. 86. & alij. quamuis oppositum dixerit Alens. 4. p. q. 51. m. 4. s. nullum esse præceptum de sumenda Eucharistia. Bonau. in 4. d. 12. q. 1. ar. 1. q. 2. & d. 12. q. 3. ar. 1. q. 1. Sylu. Euch. 3. in eandem videtur inclinare Caiet. 3. p. q. 80. ar. 11. Sed confutatur ex dictis. Præterea, cùm Ecclesia circa hoc determinet tempus, videtur supponere esse de iure diuino vt de confessione, & de ieiunio.

Primum dubium. An satis sit semel in vita communicare ad hoc præceptum implendum. & quo tempore obligat. Resp. Palud. & Dur. supra cit. putant sufficere. Sed oppositum est tenẽdum cum Soto d. 12. q. 1. ar. 11. & Petro Sot. lect. 9. de Euch. probatur; quia hoc Sacramentũ fuit institutum vt sit nutritio vitæ spiritualis, & resarciat quod à calore concupiscentiæ deperditur; ergo non sufficit semel in vita sumere. Dices, quo tempore obligat hoc præceptum? Resp. in iure diuino non possumus assignare certum tempus nisi in vniuersali .s. quòd obligat tempore necessitatis grauis, vt tentationis, persecutionis, vel alterius periculi ad iudicium confessoris; nisi Ecclesia definiat tempus. Dices secundo, an in mortis articulo opus sit communicare ex præcepto diuino? Resp. nonnulli volunt negligentiam qua omittitur communio in articulo mortis, esse solum peccatum veniale. Ita Sylu. Euch. 3. Victor. q. 86. Ledes. 1. 4. q. 21. ar. 11. Caiet. verb. communio Sacramentalis. cap. 1. Oppositum tamen est dicendum: quòd talis negligentia cum adest opportunitas, est peccatum mortale. Ita Adrian. de confess. q. 3. ad 1. Nau. cap. 21. num. 57. Sot. in 4. d. 12. q. 1. ar. 11. probatur. nam in illo articulo est maxima necessitas. fauet can. 3. 26. q. 6. probabile est igitur (vt ait Sot.) hunc vsum ex traditione Apostolorum tanquam diuino iure,

præceptum descendisse. Siquis autem soleret communicare, & in articulo mortis omitteret, non esset peccato mortali damnandus; vt rectè Sot.ibid.& Palud.d.9.q.1.ar.1. in fine. Hinc infertur quòd damnati ad mortem tenentur communicare cum adest opportunitas.& decernitur can. quæsitum. 19. q.2.& can.super eo.13.q.2.& cap. super eo.de hæreticis. in 6. Ledes.1.4.q.34.ar.2. Sot.ar.11.cit. vbi hispanam consuetudinē citat. Couar.l.2.variar.resol cap.5.num.11.Victor.q.86.quicquid Paludanus dubius dicat. Spectat autem ad præceptum Ecclesiasticum, quod.s. diuersis temporibus aliter obligauit. In primitiua enim Ecclesia. omnes astantes missæ communicare tenebantur.can. peracta.de consecr.d.2.ex Apostolorum statuto. tempore verò Pij primi cæpit obligare diebus dominicis; cui successit panis benedictus, qui tunc loco communionis dabatur, ex ep. decret. Pij primi, quæ habetur primo tomo conciliorum. & consil. Nau. cap. 9. postea frigescente charitate tempore Fabiani fuit in præcepto ter in anno; vt habetur can.Et si non frequentiùs.de consecr.d.2.& can.seculares: & can.omnis homo. Præterea Sother Papa iussit in cęna Domini vt omnes communicarent.can.in cæna Domini.de consecr.d.2. Iam verò à Concilio Later. non tenemur nisi semel in anno in die Paschatis cōmunicare. cap. omnis vtriusq; sexus.de pœnit.& remiss. & confirmatur à Trid. sess.13. cap.9. de Euch. videndus est Sot.d.12.q.1.ar.10. Nau.cap. 21. num. vlt.Viguer.cap.13.§.3.Catechis.Rom.de Euch.ideo qui omittit, peccat mortaliter.Caiet.verb.communio.§.1.Nau.cap.2. num.45.& alij. Sed ex declaratione Eugenij iiij à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis potest impleri hoc præceptū;Nau.cap.21.nu.45. Maior.d.12.q. 2. Caiet. supra, licet Sylu.verb.Euch.q.15.Panorm.& Anton.eam declarationem non viderint. Quòd si aliquis differat de licentia confessarij, vel ob legitimum impedimentum, non peccat. Similiter si in illo loco sit consuetudo vt quolibet die quadragesimæ possit communicare.Nau.supra cit.

Secundum dubium. An qui tempore paschę prætermittit communionem, teneatur sub nouo præcepto post illud tempus communicare; an possit differre in alium annum? Resp. prima sententia est Anton.2.p.tit.9.cap.9.§.3. Sylu.verb.Euch.3.q.15. Medin.c. de pœnit.q. de confess.Rosell. verb. communicare.

municare. §. 2. Sot. in 4.d. 18.q. 1.ar.4. Victor. q.148. qui dicunt non teneri vsq; ad aliud Pascha. Primo, quia hoc præceptum solum obligat in paschate. Secundo, quia alia præcepta affirmatiua Ecclesiæ obligant solum suo tempore, non autem eo transacto, vt ieiunium, audire missas, recitare horas canonicas &c. Secunda sententia est Nau.cap.21.num.45. quem sequuntur multi recensiores, (& est probabilior) quod tenentur communicare elapso tempore quamprimum. Primo, quia Concilium Trid. sess.13.can.7. statuit omnes teneri præcepto Ecclesiæ singulis annis communicare saltem in paschate; ergo duo præcipiuntur.s. vt singulis annis,& in paschate communicemus. Confirmatur, quia præceptum confessionis sic obligat, nempe semel in anno. cap. omnis vtriusq; sexus; ergo & communio. Postremo, quia Ecclesia non statuit præceptum de communione; sed determinauit tempus præcepti diuini, vt fiat semel in anno. Hinc soluuntur argumenta opposita. Ad primum dicimus assumere falsum. nō enim solum obligat in paschate, sed semel in anno; quare qui non communicat in paschate, tenetur postea. & toties peccat, quoties habet opportunitatem, & omittit. Ad secundum, resp. esse diuersam rationem, nam illa præcepta sunt determinata ad tempus certum, & præcipiuntur illa opera tanquā opus annexum illis diebus. non sic autem præceptum communionis; sed determinauit certum tempus iure diuino; vt.s. fieret semel in anno. idq; in paschate.

Tertium dubium. An ad satisfaciendum præcepto, opus sit communicare sub vtraq; specie? Resp. Sacerdotes dum celebrant missam, obligantur. alij verò præceptum est sub specie panis tantum communicare. Trid. sess. 21. cap. 1. & 2. & can.1.2.& 3. & D. Tho. 3. p. q.80. ar.12. Sot.d.11.q.1.ar.12. Castr. aduersus hæres. verb.Euch.hæres.vlt.

Quartum dubium. Qui tenentur præcepto cōmunionis. Resp. omnes, & soli fideles qui ad annos discretionis peruenerint.cap.omnis vtriusq; sexus.de pœnit.& remiss. pueri igitur nō tenentur hoc præcepto communionis.Trid.sess.21.cap. 4.de commun. Imo est peccatum illi dare; nam non suscipiunt cum debita reuerentia cùm non discernant sacrum à profano Imo est periculum expuitionis,eructationis,& vomitus &c. & hic est vsus Ecclesiæ: licet aliàs secus sit factum.D.Tho.3.p.q. 80.ar.

80.ar.9.Sot.in 4.d.d.12.q.1.ar.9.Victor.q 84.Dices qui sunt dicendi peruenisse ad vsum rationis. Resp. esse relinquendum iudicio prudentis confessarij, qui iudicantur discernere posse inter bonum, & malum. & inter hunc & alios cibos. quod vt plurimum euenit à decimo ad duodecimum annum. Ita Alex. 4.p.q.49.m.5.Palud.in 4.d.9.q.4. Sylu. verb. Euch.3.q.5.vers. 7. Caiet.3.p.q.80.ar.9. Sot.in 4.d.12.q.1.ar.9.qui addit posse ante decimum annum esse idoneum, & viuacissimum puerum. citra septimum verò non esse permittendum; quia tunc vsus rationis vix cœpit apparere. Vnde non omnis qui iudicatur idoneus ad confessionem, erit idoneus ad communionem; quia ad hæc requiritur maior discretio. Caiet. verb. communio. cap.1.Nau.cap.21.num.5. Hinc sequitur non teneri qui sunt sub aliorum cura, neq; peccant differendo communionem vsq; dum illis nominatur. possunt verò illi peccare qui illorum curam habent, si plus æquo differunt. in dubio consulendi sunt confessores. Nau. & Caiet. supra. qui addit excusari parentes à peccato qui ob reuerentiam communionis tardiùs ad communionem admittunt. probat ex consuetudine; nam prælati hoc sciunt, & tolerant. Dices, quid si daretur infantibus Eucharistia, an reciperent gratiam? Resp. affirmatiuè. Victor. q.84. Ledesm.1.4.q.21.ar.9.d.5.Sot.ar.9.cit. quamuis Maior. contradicat in 4.d.9.q.1.ar.2. ratio est, quia Sacramentum operatur ex opere operato; ergo confert ex seipso gratiam, &c.

Quintum dubium. An ad sumendam Eucharistiam sufficiat pro dispositione fides. Resp. negatiuè; probatur ex Trid. sess. 13.can.vlt. & consensu omnium patrum. Item, quia est panis viuus qui non manducatur à mortuo, sed à viuo. & oppositum est hæresis lutherana, contra quam Castro contra hæreses, errore 10.

Sextum dubium. An expediat omnibus quotidie communicare. Resp. primo simpliciter, & absolutè loquendo expedit frequenter communicare; quia Eucharistia est panis vitæ, Ioan. 6. & patet ex vsu primitiuæ Ecclesiæ, & patrum consensu, & continua experientia, & ex effectibus eius. can. quotidie. de consecr. d.2. D. Tho.3.p.q 80.ar.10.Sot.in 4.d.12.q.1. ar.10. Nau.cap.21.num.vlt.Trid.sess. 13. cap.8. de Euch. Secundo dico, quòd non eadem frequentia omnibus expedit; quia

quia non omnes sunt eodem modo dispositi. quare status, & deuotio, & occupatio fidelium est consideranda. vnde August. cap. quotidie. *Quotidie (ait) sumere, nec laudo, nec vitupero.* Tertio certum est quòd nulli licet eadem die nisi semel cõmunicare. D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 10. ad 4. & oppositum est peccatum mortale. Nau. cap. 21. num. 54. quòd si Sacerdotes plures hostias sumunt cum seruari non possunt, id præsumitur vnica sumptio, non plures.

Septimum dubium. An sit danda Eucharistia adultis qui habent impeditum vsum rationis vel morbo temporali vel perpetuo, vel amentia, vel Dæmonis vexatione, vel ingenij tarditate, vel quouis alio modo. Resp. & sit prima conc. Habentibus vsum rationis quamuis debilem, & imperfectum, nõ est neganda Eucharistia. Ita Alens. 4. p. q. 49. m. 4. D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 9. Sot. in 4. d. 12. q. 1. ar. 9. Sylu. verb. Euch. 3. q. 4. vers. 9. Intellige tamen dummodo vsus rationis non sit adeo debilis, vt nequeant discernere corpus Domini ab alijs cibis. Hinc sequitur quòd infirmis (licèt videantur delirare) non est neganda Eucharistia si aliquod deuotionis signum ostendant; vt si interrogati dicant se velle accipere. Sot. supra. Secunda conc. amentibus à natiuitate .i. perpetuò amentibus qui nullum habent, nec habuerunt vsum rationis, non est danda Eucharistia. est D. Tho. supra. palud. in 4. d. 9. q. 4. ar. 2. Sot. ar. 9. cit. Ledes. 2. 4. q. 21. ar. 9. Victor. q. 84. probatur ex cap. omnis vtriusq; sexus. de pœnit. & remiss. vbi in suscipiente requirit vsum rationis. Præterea quia tales non possunt discernere Eucharistiam ab alijs cibis, nec deuotè suscipere. Hinc confutatur glos. can. qui recedunt. 26. q. 7. Dices, quid si daretur amenti, reciperet gratiam? Resp. affirmatiuè, sicut dictum est de pueris supra dub. 4. in fine. quamuis dubitet Sotus. Sed minister peccaret. Tertia conc. his qui non sunt perpetuò amentes, sed habent lucida interualla, si dum erant compotes rationis cum petierint hoc Sacramentum deuotè, conferendum est in tempore mortis. D. Tho. & alij supra citati. Probatur ex can. his qui in infirmitatem. 26. q. 6. & can. qui recedunt. ead. quamuis Alens. 4. p. q. 49. m. 4. & Gabr. in 4. d. 9. q. 2. dub. 4. sentiant non esse dandam. Dices, quid si antea non petierint, nec deuotionem erga Sacramentum habuerint. Resp. si in sanitate ostenderunt signa pœnitentiæ, non est illis nega-

neganda Eucharistia. Palud. & Sylu. supra. extra articulum verò mortis, non eis est danda, ob reuerentiam quæ in communione requiritur. vt ait Sotus, & alij. Quarta conc. Ergumenis .i. vexatis à spiritibus potest eodem modo dari Eucharistia, quo amentibus non perpetuis, si ostendant deuotionem. D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 9. ad 2. Sot. ar. 9. cit. ad 2. Palud. ar. 2. cit. Alens. m. 3. supra, vbi addit, quòd si prorrumpit in blasphemiam, non est illis danda. neque obstat quòd Dionys. l. de Eccles. hierarch. dicit illos esse arcendos &c. quia loquitur de non baptizatis, vt D. Tho. & Sot. exponunt. Vnde Cassianus illis dandam affirmat.

Octauum dubium. An Ecclesiastici teneantur ex præcepto communicare pluries quàm in paschate. Resp. primo. Monaci Sancti Benedicti tenentur singulis mensibus communicare. Clementin. ne in agro. §. sanè de stat. monach. similiter moniales eiusdem ordinis. Sot. supra. Nau. cap. 21. num. vlt. Secundo, aliæ moniales quæ de hoc non habent regulam, non tenentur; quia Concilium Trid. sess. 25. cap. 10. de regularibus, iubet, vt de hoc moneantur. quare est salutare consilium. quod etiam dat sess. 13. cap. 8. Tertio, Diaconos, & Subdiaconos decere sumere saltem diebus dominicis, & solennibus cum altari ministrauerint, sess. 23. cap. 13. de reform. Vnde qui non ex voto vel alio præcepto tenentur, semel tantum tenentur ex præcepto communicare. Idq; in paschate.

Nonum dubium. An sumpturus Eucharistiam debeat esse ieiunus. & quomodo. Resp. affirmatiuè, quia sic ordinauerunt Apostoli. & hactenus seruatum est in Ecclesia. ex cap. significando. de consecr. d. 2. can. Sacramentum. de consecr. d. 1. cap. ex parte. de celebr. miss. Idq; ob reuerentiam Sacramenti, quamuis Christus vt legem seruaret post cœnam instituerit. D. Tho. 3 p. q. 80. ar. 8. Palud. d. 8. q. 2. Riccard. ibid. ar. 2. q. 3. Sot. in 4. d. 12. q. 1. ar. 8. Nau. cap. 21. num. 53. & cap. 45. nu. 75. Caiet. verb. communio Sacramentalis. Victor. q. 82. & sic tenendum est, & oppositum est erroneum; & hæreticum, vt determinauit Concil. Constans. sess. 13. Dices primo, quomodo quis debeat esse ieiunus ante communionem; ieiunio Ecclesiæ, an naturæ? Resp. ieiunio naturæ, ita vt qui aliquid sumpsit siue per modum cibi, siue per modum potus, etiam si ratione medicinæ, non posset communicare, nisi in necessitate per

viaticum,

viaticum; vt dictum est supra cap. 9. dub. 8. & omnes tenent. Nau.cap.21.num.53.Sot.ar.8.cit.potest verò deglutiri saliua, vel aquæ guttula, vel reliquia quæ intra dentes remansit &c. vt dictum est supra cap. 9.dub.7.D. Tho.& Sot. supra.Anton. 3.p.tit 13.cap.6.§.8.Angel.verb.missa.§.87.& alij. Sylu.ibid. Idem dicas quando quis gustando cibum, vel potum sumit aliquid, & statim proijcit, tunc siquid descendit, est per modum saliuæ. Dices secundo,quandiù homo debet esse ieiunus ante communionem. Resp. ex communi sententia à media nocte præcedente. Ita catechismus Rom. Caiet. Sot. Nau. & alij supra cit. Dices, quid si in illis regionibus computatur dies naturalis ab ortu solis, vel à vesperis? Resp. seruandam esse illius loci consuetudinem. Dices tertio, an censeatur ieiunus qui nec dormiuit post cibum sumptum,nec digessit quãuis ante mediam noctem comederit. Resp. affirmatiuè cum communi sententia, quam tenet D. Tho.3. p.q.80.ar.8.ad 5. Anton.supra cit.§.8. Adrian.q.de Euch.Nau.cap.21.num.53. Hinc confutatur glos. in cap. ex parte.de celebr.miss.& cap. si constiterit.de accus. & can. Sacramentum.de consecr.d.1. oppositum sentiens. Neq; obstat cap. si constiterit.quia ibi non punitur presbyter ratione digestionis, sed quia pernoctauerat in taberna, & cibum sumpserat post mediam noctem, vt Sot.supra.ar.8.Nau.sup.item ob vinolentiæ turpitudinẽ. Sylu. verb.Euch.3.q.7.

Decimum dubium. An quis possit communicare ita dispositus, vt neq; gratiam recipiat, neq; committat nouum peccatum. Resp. D. Tho. 3.p.q.79.ar.3.Sot.in 4.d.12.q.1. ar. 4. dicunt non posse. Alens.verò 4.p.q.46.m.3.ar.2.ad.7.Bonau. in 4.d.9.ar.2.q.3, Gabr.q.2.ar.1.Adrian.q.1.de Euch.Caiet.3. p.q 79.ar.3.Maior.d.9.q.2. Palud. d.ead.q. 2. dicunt posse. & est probabilior sententia. quia potest quis ignorare inuincibiliter esse necessarium habere dolorem ante sumptionem Eucharistię, & quòd is accedat cum conscientia peccati mortalis, cuius neq; displicentiam habeat, neq; complacentiam. & hic illa ignorantia excusabitur, & gratiam non consequitur ob defectum doloris; ergo potest neq; gratiã accipere, neq; nouum peccatum committere.

Vndecimum dubium. An suscipienti sit necessaria confessio ante communionem, an verò sufficit sola contritio cum

propoſito

proposito confitendi peccata semel in anno. Resp. de iure diuino, & humano ante sumptionem Eucharistiæ Sacramentalem est necessaria confessio peccatorum mortalium. Trident. sess. 13. cap. 7. & can. 11. vbi etiam excommunicatur qui contrariũ dixerit, vel pertinaciter assereret, vel publicè disputando defenderet, vel prædicauerit. Item probatur ex 1. cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*. quod per confessionem Sacramentalem exponitur. & est communis consuetudo Ecclesię, & sententia doctorum Theologorum. D. Tho. in 4. d. 12. q. 7. ar. 1. q. 4. Sot. d. 12. q. 1. ar. 4. Victor. q. 78. Nau. cap. 21. num. 49. Couar. in cap. alma mater. de sent. excom. Sylu. verb. Euch. 3. q. 14. Hinc patet esse falsam opinionem Caiet. 3. p. q. 80. ar. 4. & in sum. verb. confessio. cap. 1. cond. 13. & super cap. 11. 1. ad cor. qui putat sufficere contritionem. quam opinionem tenuit etiam Panorm. cap. de homine. de celebr. miss. Armill. verb. communio. & ad eandem Riccar. inclinat.

Duodecimum dubium. An sit duplex peccatum accedere ad Eucharistiam sine confessione. Resp. Sot. in 4. d. 18. q. 1. ar. 4. concl. 6. putat esse vnum sacrilegium sed grauissimum. Oppositum tenet Cano in relect. de pœnit. & Ledes. 2. p. ar. 5. dub. 5. in fine, vbi ait esse duplex peccatum, omittere confessionem est vnum, alterum est indignè sumere Eucharistiam. & hæc sententia est probabilior. Idem dicendum de eo qui accedit sine contritione saltem putata, in casu necessitatis.

Decimumtertium dubiũ. An sint aliqui casus quibus liceat suscipienti sine prȩuia confessione communicare. Resp. præter ea quæ dicta sunt supra cap. 9. dub. 9. Dico esse aliquos casus. Primus est, cum quis non habet copiam confessoris, & necesse est ei celebrare, vel sumere Eucharistiam. Sot. in 4. d. 18. q. 1. ar. 4. Sylu. verb. Euch. 2. q. 3. Victor. q. 162. dicunt licere cum quis habet casum reseruatum, quem ex iusta causa non vult reuelare superiori, & is non vult alteri concedere facultatem absoluendi. Vnde si parochus non habeat confessorem, & si non celebrat se infamat, potest sine confessione celebrare. patet ex Trid. sess. 13. cap. 7. Sed quamprimum confiteatur. Sic etiam qui habet casus reseruatos, & non sit præsens prælatus qui potest absoluere, & si non celebret infamatur, potest celebrare. intelligitur tamen si scandalum non potest aliter commo-

commodè vitari. Postremo ne sit peccatum publicum, vel scandalum; Sotus supra cit. ratio est, quia præcepta positiua non militant contra ius naturale de tuenda fama. Secundus casus est propter reuerentiam Sacramenti; vt siquis cæpit celebrare, & in ipsa celebratione meminerit se conscium peccati mortalis, non debet relinquere, sed cum contritione debet prosequi missam, etiam si esset in principio missæ, vt solum introitum dixerit. Sot. in 4.d.13.q.2.ar.6. Victor.q.79. Palud. supra cit. Ledes. 1. 4. q. 10. ar. 4. quamuis aliqui dicant quòd si ante consecrationem recordetur, & potest sine scandalo quærere confessorem, debet quærere. Anton. sup. Nau. cap.13.num.76. Sylu. Euch.2.q.7. D.Tho.3.p.q.83.ar.6.ad 2. tutius putant tamen omnes quòd si post consecrationem recordetur, potest prosequi cum contritione &c. D.Tho. & alij supra cit. Idem dicendum de illis dum volunt communicare, parati ante mensam, & recordantur alicuius peccati nec possunt confiteri absq; nota infamiæ, nec differre communionem, tunc satis est habere contritionem cum proposito statim confitendi, & communicare. Ita Nau.cap.2. num. 9. & cap. 21. num.49. Victor, q. 79. Sylu.verb.Euch.2.q.3. Sot. in 4.d. 12.q. 1.ar.4. Ledes. supra. Addunt cum Sylu. quòd quando aliquis in articulo mortis non potest confiteri, & est contritus, potest sumere Eucharistiam sine confessione. Notandum est quòd in dictis casibus in quibus diximus sufficere contritionem ante Eucharistiam, dicimus etiam sufficere displicentiam, quæ probabiliter putatur contritio. nec requiritur quòd aliquis sciat se esse contritum, ex D.Tho.3.p.q.79.ar.3. Sot. d.12. q.1. ar.4. Nau. cap.21.num.47. Riccar.q.1.ar.2. Ledes.sup. ratio est, quia nemo potest scire se esse contritum; sciret enim esse in gratia, quod est falsum. Illud sanè certum est, quòd si ille communicaret cum conscientia peccati mortalis sine illo dolore, is peccaret mortaliter, nisi inuincibilis ignorantia illum excusaret. Sed est

Decimumquartum dubium. An sola verecundia possit excusare à confessione prætermittenda. vt siquis habeat casum reseruatum, cuius absolutionem Prælatus non vult alteri remittere. Resp. cum Soto non excusari, sed debet obedire, nisi prælatus esset tyrannus à quo timeretur reuelatio, vel aliud malum; nec pateret accessus ad aliũ superiorem. Victor,

q.146. Dices quid si peccatum habeat annexam excommunicationem, vel aliam censuram, an liceret ante absolutionem celebrare, & communicare in casibus dictis? Resp. Sot. in 4. d.12.q.ar.4. dicit quòd excommunicato nec per odium, nec per scandalum, aut generale præceptum Ecclesiæ de communione licet ad Sacramentum Eucharistiæ accedere. Idem Couar. cap. alma mater. p.1.§.2.num. 11. expressè tenet oppositum. Nau cap.27.num.239. Victor.q.146.& omnes doctores recentiores; quia præceptũ de euitando scandalo, & tuenda fama est diuinum naturale, & ideo præualet præcepto de præmittenda absolutione ad communionem, quod est positiuum. Adde quòd excommunicatus sic celebrans, non fit irregularis, vt tenet Nau.cap.27.num.252. & Sot.l.5.de iust.q.1. ar. 9. cum dicunt non incurri sine peccato mortali, & contumacia.

Decimumquintum dubium. An sit neganda Eucharistia publico peccatori pœnitenti. Per publicum peccatorẽ intelligo illum, vel qui per sententiam iudicis est condemnatus; vel qui in iudicio confessus est delictum, vel cuius crimen ita manifestum est, vt nulla possit tergiuersatione celari. D.Tho. 3.p.q.8.ar.6.& q.82.ar.9.ad 3. Riccar.in 4.d.9.ar.3.q.1.Nau. cap.21.num.55. Sot.d.12.q.1.ar.6. Nunc resp. primo, publicis peccatoribus est omnino neganda Eucharistia, etiam si illam petãt. D.Tho.sup.ar.6.palud.in 4.d.9.q.4.ar.1.Riccar. ar.3.q.1. Dur. q. 5. Bonau.q.4. ar.2. Nau.cap.21.num.55. & can.Sacerdos.de pœnit.d.6.num.61.Sot.d.12.q.1.ar.6. Ledes. 1.4.q.21.ar.6.&ex can. pro dilectione.de consecr.d.2.& can. multi.2.q.1.ex Matth.7. *Nolite sanctum dare canibus.* Et patet; quia cooperatur peccato illius, quare qui daret, peccaret mortaliter. Caiet.verb.communio.cap. 2.etiam proprius parochus si tales petant ab eo. Nau.sup.Sylu.Euch.3.q.5.§.2. Siue petãt publicè, siue secretò. Sylu.& Ledes. sup. quamuis si secretò sit emendatus, & publicè petat, est etiam neganda; quia publica delicta egent publica pœnitentia, & satisfactione. cap. 1. de pœnit.&remiss. Sot. ar. 6.cit. Secundo dico, si peccatores publici post secretam pœnitentiam petant secretò, est illis danda Eucharistia. Palud. & Nau. sup. data tamen satisfactione, & nisi timeatur scandalum. Tertio dico, quòd post pœnitentiam, & publicam satisfactionem, publicis pecca-

catoribus non est neganda Eucharistia, præsertim in articulo mortis. Riccard. Palud. Sot. & Nau. sup. & patet ex can. penult. de consecr. d. 2. & can. tanta. d. 86. & can. quod in te. de pœnit. Dices, quid si peccator qui est publicus in vno loco, petat Eucharistiam in alio loco vbi non est notus, nisi à Sacerdote qui illum nouit. Resp. non est neganda; quia est eadem ratio ac de occulto pœnitente publicè, nam alioquin infamaretur. Ita Sot. ar. 3. siue Sacerdos illum sciat emendatum, siue non. Excipiendus est tamen peccator contagiosus, vt hæreticus, qui potest alios inficere. non enim videtur seruanda eius fama cum periculo aliorum: præsertim cùm teneantur omnes hæreticum deferre.

Decimumsextum dubium. An peccatori occulto danda sit Eucharistia. Resp. primo, si dictus peccator sit occultus cognitus per confessionem, & publicè petit Eucharistiam à proprio parocho tempore quo tenetur communicare, non debet ei negari. est Adrian. quodl. 3. ar. 3. Palud. in 4. d. 9. q. 4. ar. 1. Nau. in cap. Sacerdos. de pœnit. d. 6. num. 84. & in manuali cap. 21. num. 56. Caiet. 3. p. q. 80. ar. 6. probatur ex cap. si Sacerdos. de offic. iudic. ordin. Præterea quia infamaretur proximus. Imo addit Nau. num. 56. quòd nec etiam si scias extra confessionem potest negari publicè petenti si peccatum sit occultum. Secundo dico, si peccator publicus publicè peteret à proprio parocho extra tempus paschale, debet illi negari. Nau sup. Idem dicas si petat tempore quo tenetur communicare à Sacerdote non proprio. Dur. in 4. d. 8. q. 5. Palud. & Adrian. sup. quia tunc non infamaretur peccator. Si tamen sequeretur scandalum, vel infamia ex tali negatione, tunc non est neganda, etiam à Sacerdote non proprio. Ledes. 1. 4. q. 21. ar. 6. dub. 4. patet ex can. Christus. 1. q. 1. & can. non prohibeat. de cõsecr. d. 2. Tertio dico, q̃ peccatori occulto peteti occultè denegãda est à quocũq; Ales. q. 49. m. 1. Bonau. d. 9. ar. 2. q. 4. car. ar. 3. q. 1. Dur. q. 1. D. Tho. in 4. ar. 5. q. 1. quia tunc peccator non infamaretur. Dices, quid si sciat peccatum solum in confessione. Resp. in hoc casu non est neganda. Sot. d. 12. q. 1. ar. 6. Idem Palud. cùm sit proprius parochus, tempore paschatis petenti, vel in articulo mortis. alij communiter dicũt esse negandam, & videtur verum, dummodo sit sine scandalo. Quarto dico, quòd occultus, vel quiuis alius peccator non est

inducendus vt petat Eucharistiam, neq; est illi danda, etiam si occurrat praeceptum de illa, vel articulus mortis. quia numquam licet inducere ad malum. Alens. & alij cit. Gabr. d. 9. §. 2. dub. 21. Dices primò, an in aliquo casu liceat alicui hostiam non consecratam offerre. Resp. in nullo casu licere. D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 6. ad 2. & in 4. d. 9. q. vnica. ar. 5. q. 1. ad 4. Alens. 4. p. q. 49. m. 6. Riccar. d. 9. ar. 3. q. 3. Palud. q. 4. ar. 1. concl. 5. Sot. sup. ar. 6. Sylu. Euch. 3. q. 11. §. 11. cap. de homine. de celebr. miss. vnde non est audiendus Bonau. d. 9. ar. 2. q. 4. quē reijcit Alensis difficul. 4. ar. 4. quia daretur occasio idololatriae, quāuis cōmunicaturus id sciret, nam alij id ignorarent. Vnde falsum est quod dicit Adrian. quodl. 3. ar. 3. in adoratione semper esse tacitam conditionem, si hostia sit consecrata. & benè illum refellit Sotus. Multo minus licet dare non consecratā id ignoranti, quamuis id fiat ad euitandum magnum scandalum, quicquid dicat Altisodor. quia non sunt facienda mala, vt inde veniant bona. Dices secundo, an sit danda Euch. ad tollendam suspicionem alicuius criminis. Resp. non licere. Sic definitur in can. non consuluisti. 2. q. 4. Alens. 4. p. q. 49. m. 2. ar. 2. D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 6. ad. 3. Angel. verb. Euch. 3. q. 20. & omnes Theologi. Neq; obstat can. saepe contingit. & can. si Episcopo. 2. q. 4. vbi permittitur tale genus purgandi. nam abrogati sunt à Stephano Papa in can. consuluisti citato. Dices tertio, an saltem in hoc casu liceret dare hostiam non consecratam à tergo post consecratam positam, admonito peccatore ne adoret. Resp. non licere, ex dictis. Hinc damnatur abusus iudicum, vt notat Sot. ar. 6. cit. qui ad probandum innocentiam cogunt sumere Eucharistiam, vel confessionem.

Decimumseptimum dubium. An peccata venialia impediant effectum Eucharistiae, seu, an ad suscipiendum effectum huius Sacramenti requiratur actualis deuotio. Resp. Caiet. 3. p. q. 79. ar. 1. dicit requiri. quare si quis distractus per peccata venialia sumat, priuatur effectu Sacramenti. fauet Dur. d. 12. q. 4. ad 3. Idem Alens. d. 12. q. 41. Secundo dicit Caiet. quòd ille qui sic communicat, cum redierit in se per dolorem, & deuotionem, recuperabit effectum perditum. Secunda sent. Soti in 4. d. 12. q. 2. ar. 8. & Adrian. q. 1. de Euch. ar. 1. & D. Th. 3. p. q. 79. ar. 8. qui dicunt quòd communicans non fruetur effectu Sacramenti ob distractionem. Addit Sot. quòd per

per receſſum diſtractionis homo non recuperat effectum huius Sacramenti, contra Caietanum. Ego dico primo, quòd peccata venialia non impediunt effectum Euchariſtiæ. Secundo dico, quòd impediunt actualem refectionem, & dulcedinem. Eſt D.Thomæ ſup. & aliorum. Tertio dico, quòd qui tempore ſumptionis habent magnam diſtractionem mentis circa eſterna, amittit effectum huius Sacramenti; eſt Sot.lect.12.de Euch. nam alioquin qui data opera ſe diſtrahit, reciperet effectum. Quarto dico, tam minima poteſt eſſe vagatio mentis, vt non impediat. Poſtremo dico, quòd toto tempore quo ſpecies Sacramentales ſunt in ſtomacho, recedente diſtractione mentis, per actualem deuotionem recuperatur effectus Sacramenti. corruptis autem ſpeciebus, non recuperatur; quia tunc Sacramentum non manet amplius nec in ſe, nec in ſuo effectu; Sacramentum enim non operatur niſi quando eſt.

Decimum octauum dubium. An immunditia corporalis impediat ſumptionem Euchariſtiæ. Reſp. cum D. Tho.d.9.ar.4.q.3.Alenſ.4.p.q.47.m.2.Sylu.verb. Euch.3.q.9. Gabr. in can. lect.10. quòd cùm cibus iſte non ſit corporis, ſed mentis, magis in eius ſumptione conſideranda eſt mũditia mentis, quàm corporis. Primo, vel munditia eſt perpetua, vel diurna. Si diurna, non eſt abſtinendum. Si perpetua, ſi poteſt, communicet. ſi non poteſt, (vt ſunt hi qui carent dentibus vel labijs) abſtineant; quia eſt periculum ne Sacramentum de ore cadat; vt notat Guido cap. Euch. Leproſi autem Sacerdotes poſſunt celebrare, ſed ſecretò; vel coram alijs leproſis.cap.de rectoribus.de clericis ægrot.& notat Sylu. verb.lepra.D.Tho. 3.p.q.82.ar.vlt.Sot.d.13.q.1.ar.7. Secundo, ſi verò immunditia corporalis ſit temporalis, & de facili purgabilis, tunc ſiquis ſit mente benè diſpoſitus, non prohibetur ſumere Euchariſtiam. quamuis poſſit ad tempus laudabiliter abſtinere propter reuerentiam.cap. ad eius. d. 5. vt mulier menſtruum patiens &c.

Decimum nonum dubium. An pollutio nocturna impediat ſumptionem Euchariſtiæ. Reſp. primo, certum eſt quòd pollutio eſt peccatum mortale quando eſt voluntaria, & procurata. & ſiquis ante confeſſionem ſumat Euchariſtiam, peccat mortaliter. eſt communis ſententia. D. Tho. 3. p. q. 80.ar.3. Sylu.verb.Euch.3.q.10. Sot.in 4.d.12.q.1.ar.7. Secundo, poſt confeſ-

confessionem nulla pollutio impedit sumptionem Euch. eodem die de necessitate, seu sub peccato mortali; quia peccatum quod impediebat est iam sublatum per pœnitentiam. distractio autem & turbatio mentis non impediunt nisi ex quadam decentia. & hæc est communis sententia D. Tho. Sot. Sylu. & aliorum. Victor. q. 81. quamuis oppositum dicat Couar. de homicidio p. 3. num. 3. Dices, an siquis confiteatur causam pollutionis antequam sequatur, teneatur iterum confiteri pollutionem sequutam ante communionem. Resp. Nau. cap. 21. num. 55. dicit non teneri. Sot. supra. ar. 7. dicit esse tutius confiteri. Ego puto quòd si satis expressit causam, non teneatur. Si tamen confiteatur, non est dubium esse tutius. Tertio dico, si pollutio fuit mentalis, est peccatum veniale post confessionem intra eandem diem Eucharistiam sumere propter irreuerentiam, quia mens multum distracta est. D. Tho. sup. & opusc. 64. cap. 17. & 18. Sylu. & Sot. supra. Victor. q. 81. Ledes. 1. 4. q. 21. ar. 3. intellige, nisi aliquis communicaret iusta de causa, vel ratione præcepti, vel ad euitandum scandalum. Victor. Gabr. & Sylu. supra. Nau. cap. 21. num. 51 Vel magna deuotio pœnitentiæ. vel quia ipse in se non sentit malos effectus pollutionis. i. distractiones mentis, & cogitationes malas &c. Quarto dico, quòd quando pollutio non prouenit ex peccato, sed ex superfluitate naturæ, vel ex alijs causis, nullum est peccatum; & potest ad Eucharistiam eodem die accedere; Palud. d. 9. q. 3. ar. 1. concl. 3. D. Tho. 4. p. q. 80. ar. 7. Dico quinto, quòd si pollutio proueniat ex peccato veniali, & ex crapula, vel cogitationibus negligenter expulsis &c. est consiliū sanctorum vt eodem die abstineamus à communione; qui tamen accederet, non peccaret si deuotè sumeret. Ledes. sup. dub. 3. quamuis oppositum dicat Gabr. Adde quòd si sit festum, vel dies quo alij communicent, vel quo Sacerdos debet celebrare, melius est accedere, vt ait Ledes. ibidem. Dices, cur somnium homicidij, vel alterius peccati non ita impedit sumptionem Eucharistiæ? Resp. cum D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 7. ad 2. Sylu. Euch. 3. q. 13. Angel. Euch. 4. §. 33. & alijs, quoniam non inducit corporalem immunditiam, nec tantam distractionem. Vltimo dico, quòd post legitimum matrimonium factum causa propagandæ prolis, non est peccatum eodem die accedere ad Eucharistiam; nec est veniale. D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 7. Angel. ar. 5.

ar.5. Si verò fiat causa delectationis, est veniale eodem die accedere. Est Palud. q. 2. ar.2. Caiet. verb. communio Sacramentalis. Sylu. Euch.3. q.11. Nau. cap.21. num. 51. & fauet can. vir cum propterea. 33. d.4. posset etiam excusari si deuotè accederet, nec sentiret distractionem mentis. Illud est certum quòd qui coniugi postulanti reddit debitum, eodem die accedendo, non peccat. Palud. Sot. Sylu. Victor. & alii supra citati.

Vigesimum dubium. An post communionem liceat alicui petere debitum. Resp. Sylu. verb. Euch.3.q.11. Palud. supra ar.2. concl.3. dicunt esse peccatum veniale. Idem Angel. verb. Euch. §. 30. Verum si quis bono fine petat, nec videtur veniale. Reddere debitum semper est licitum. Nau. Alber. Sylu. & alij. Dices can. omnis homo. de consecr. d. 2. vbi dicit abstinendum esse tres, quatuor, vel octo dies ab vxore post communionem. ergo &c. Resp. ex glosa ibi recepta à Sylu. Angel. Palud. & alijs; quòd illud est consilium, non praeceptum. Imo satis est abstinere per viginti quatuor horas. D. Tho. Alber. Angel. Palud. & alij &c.



TRACTATVS QVINTVS

De Sacramento Pœnitentiæ.

Cap. I. Complectitur nonnulla dubia.



MISSA hæresi nouati negantis pęnitentię Sacramentum, quam refert August. l. de hæresi ad quoduuld. & Epiphan. l. de hæresib. & Ambr. l. 1. de pœnit. cap. 2. dicentis nulli concedendam esse pœnitentiam post baptismum, quem errorem Hieronym. adscribit Montano in ep. ad Marcellam. quod etiam & Anabatistæ dixere. Sed contra hanc hæresim etiam tempore Nouati coactum fuit Romæ cōcilium septuaginta Episcoporum, vbi habetur hominem post lapsum non dico septies, sed septuagies septies posse veniam suorum sperare peccatorum per pœnitentiam. Ita Cornelius Papa ep. ad Fabianum. Cyprian. l. de lapsis. Ambr. l. de pęnit. Chrysost. l. de reparat. lapsi. Dicamus nonnulla de Sacramento pęnitentiæ in genere. Sit igitur

Primum dubium. An detur pęnitentia post lapsum. ratio dubitandi est, quoniam Paulus ad Hebræ. 6. dicit; *Impossibile est eos, qui semel prolapsi sunt, iterum per pœnitentiam reuocari*. Resp. ex supradictis dari pęnitentiam post lapsum. Ad illud Pauli resp. dupliciter; primo, ibi per pęnitentiam intelligi baptismum. ita Chrysost. & Ambr. l. 2. de pęn. cap. 2. quare nihil aliud vult ibi Paulus, nisi prohibere baptismi reiterationem. D. Tho. 3. p. q. 84. ar. 10. ad 1. Secundo resp. per ly *impossi-*

possibile, non semper intelligitur pro eo quod fieri non potest, sed sumitur aliquando pro eo, quod non facilè fieri potest. vt est illud; *Non potest abscondi ciuitas supra montem posita.* Ita Cyrill. l. 6. Trin. Nazianz. orat. de Theologia. Quod si nulla post lapsum daretur pęnitentia, decepisset nos Deus per ora Prophetarum quibus per pęnitentiā peccatorum veniam promittit. Sic Moyses populo, Deuter. 30. *Reducet te Deus ex captiuitate tua &c.* Ita Hierem. 3. *Reuertere ad me, & ego te suscipiam, reuertere auersatrix, & non auertam à te faciem meam.* Ita Ezechiel 33. *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur, & viuat.* Ita 3. Reg. 8. *Si egerint pœnitentiam in corde suo dicentes peccauimus, exaudies de cœlo.* Ita Esai. 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominū, & miserebitur eius.* Ita Ezechiel 18. *Si impius egerit pœnitentiam omnium iniquitatum quas operatus est, nō recordabor.* Ita Hierem. 18. *Si pœnitentiā egerit, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei.* Et sexcenti sunt loci.

Secundum dubium. An pœnitentia sit Sacramentum nouę legis. Resp. hoc nomen *pœnitentia*, plures habet significationes, sed præcipuæ sunt quatuor. Primo sumitur pro virtute pęnitentiæ, quæ facit præterita mala plangere, & iterū noua non committere: sic sumitur can. 1. de pęnit. d. 3. Secundo, sumitur pro actu interiori pœnitentiæ, Rom. 4. *Benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit.* Tertio, pro satisfactione quæ in exteriori opere consistit; vt sumitur à Concilio Trid. sess. 6. can. 14. & hæc est vulgaris acceptio pęnitentiæ. vt ait Sylu. verb. pęnitentia. Quarto, sumitur pro vno ex septem Sacramentis Ecclesiæ; & ita accipitur cap. quod in te, de pęnit. & remiss. & à Trid. sess. 14. cap. 2. sess. 6. cap. 14. & alibi, Sylu. supra. & sic de fide est pœnitentiam esse Ecclesiæ Sacramentum. vt patet ex Trid. supra cit. & can. 1. de Sacram. pęnit. ex Concil. Flor. in vnione Armenor. ex Lateran. sub Innoc. iij. & habetur cap. firmiter de sum. Trin. & fide cathol. ex Cōstanf. sess. 8. in 7. errore. Vuiclef. patet ex Matth. 16. *Accipite Spiritum sanctum quorumquunq; remiseritis peccata, remittentur eis &c.* quibus locis reliquit Christus potestatem Apostolis remittendi peccata; ergo instituit Sacramentum pœnitentiæ. Vnde Ambr. l. 1. de pęnit. cap. 7. dicit, non esse impossibile

possibile datam Apostolis potestatem remittendi peccata, quandoquidem dedit maiorem, Ioan. 14. vbi ait, *Maiora horum facietis*. Hierony. in Matth. 16. Tertull. de pœnit. Chrysost. l. 3. de Sacerd. & hom. 85. in Ioan. Maxim. in ser. Apost. Petri, & Pa... Cypr. in ep. ad Cornelium Papam. patet etiam ex Trid. supra cit. vbi ponit differentiam inter hoc Sacramentum, & baptismum; tum quia differunt forma, & materia; tum quia minister huius .s. pœnitentiæ est Sacerdos iudex. in baptismo verò nullum potest iudicium exerceri; tum etiam, quia baptismus non potest reiterari; pęnitentia potest. Postremo quoad fructum, Baptismus remittit culpam, & pœnam temporalem, & æternam; pęnitentia non nisi temporalem. Probatur deniq; quia Ecclesia nostra esset diminuta nisi haberet aliquod Sacramentum quo remitteret peccata quæ fiunt post baptismum. eò magis quoniam Ecclesia veteris testamenti habebat victimas pro peccatis; nostra verò Ecclesia, est media inter veterem & triumphantem Ecclesiam. Sic autem pęnitentia definitur: est signum rei sacræ, qua homo interiùs absoluitur à peccatis post baptismum commissis.

Tertium dubium. Quæ sit huius Sacramenti materia. Resp. duplex est huius Sacramenti materia; remota, & propinqua. remota sunt omnia peccata, non quidem acceptanda, sed detestanda. propinqua sunt actus pęnitentis .s. contritio, confessio, & satisfactio; vt constat ex Concil. Flor. & Trid. sess. 14. cap. 3. & can. 4. dicunt tamen hos actus esse quasi materiam. D. Tho. 3. p. q. 84 ar. 2. q. 1. Victor. q. 205. Notandum est autem de peccato actuali mortali esse pęnitentiam propriè, & principaliter; quia de his propriè dicimur pęnitere quæ nostra voluntate commisimus. Principaliter, quia ad deletionem peccati mortalis est institutum hoc Sacramentum. De veniali, verò propriè, eadem ratione qua in mortali, sed non principaliter; quia non propter hoc institutum est. De originali non principaliter; quia non est ad hoc institutum hoc Sacramentum, sed baptismus. nec est voluntate nostra peractum, nisi fortè voluntas Adæ reputetur nostra per modū loquendi, in quo omnes peccauerunt; sed pœnitentia potest etiam dici de originali largo modo loquendo .i. pro quacunq; detestatione rei præteritæ. Dices, quare hoc Sacramentum non habet materiam externam sicut alia. Resp. Dur. in illis Sacramen-

tis esse materiam, per quæ homo cultui diuino mancipatur. D.Tho.sup.in 1.ar.ad 1.dicit, in illis esse materiam externam, in quibus est excellens effectus.

Quartum dubium. An huius Sacramenti forma sit hæc. *Absoluo te.* Resp. varij varia dicunt. Abulens. in defensorio, par. 1. cap. 6. dicit, de rigore illam propositionem esse falsam & abusiuè vsurpari. Primo, quia absoluere à peccatis est proprium Dei, Marc. 2. *Quis potest absoluere peccata nisi Deus?* Ergo præsumptuosum est dicere, *ego te absoluo.* confirmatur, quia Christus Luc. 7. leprosos mundatos misit ad Sacerdotes; & Lazarum ipse suscitauit, quem deinde tradidit discipulis soluendum, Ioan. 11. Secundo, quia post peccatum manet auersio, macula, seu offensa, quæ sunt priuationes; sed absolutio per aliquid positiuum est danda, non negatiuum. Tertio, forma debet esse deprecatoria; tum quia Leo Papa scribens ad Theodorum (vt habetur cap. multiplex. de pœnit. d. 1) dicit, indulgentiam Dei non posse obtineri nisi supplicationibus Sacerdotum. tum etiam quoniam Apostoli sanabant deprecatoriè; ergo eò magis sanando à peccatis. confirmatur; quia Hierony. in Matth. 16. dicit, hunc locum quidam non intelligentes, aliqui sumunt de supercilio Pharisæorum, vt damnarent innoxios. & noxios posse saluari, cùm apud Deum non Sacerdotis, sed reorum vita quæratur. Sed contra hanc opinionem dico, hæc verba formæ sumpta esse à verbis Christi qui tunc non parabolicè loquebatur, nec allegoricè; nam scriptura peccata vocat vincula animæ; si vincula, ergo soluenda. Neq; vnquam Ecclesia cognouit istum abusum in hoc modo loquendi. Vnde ad primum resp. verè Deum esse causam principalem absoluendi à peccatis; sed Sacerdos est causa ministerialis, qui verè absoluit autoritate data sibi à Christo Matth. 16. & Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* quod si præsumptuosum est dicere, *ego te absoluo;* cur non præsumptuosum est dicere, *ego te baptizo?* ad confir. resp. missos esse leprosos mundatos; nam veteres Sacerdotes non mundabant, sed declarabant tantum quinam essent mundati. ad illud de Lazaro, similitudo tenet tantum, Deum dare autoritatem absoluendi. Ad secundum dicimus, post peccatum manere auersionem, & illam esse priuationem; sed per illam peccatorem manere obligatum ad pœnam; at hoc nos dicimus

esse quid positiuum; & egere absolutione. Ad tertium, illud Leonis dicimus procedere in precibus, quæ precedunt absolutionem, vel etiam de alijs. Miracula verò quæ ab Apostolis fiebant deprecatoriè nihil mirū est; nam non erat ordinaria ista potestas in Ecclesia faciendi miracula, sicut neque prophetia; sed hæc potestas absoluendi est ordinaria Sacerdotibus ministris vt suo loco dicemus. Ad illud Hieronymi dicimus non esse ad libitum Sacerdotis dimittere, vel condemnare noxios, vel innoxios, sed claue non errante. Secunda opinio est Gugliel. Paris. opusc. de Sacram. vbi exponit hanc formam per modum deprecatorium; *Absoluo te*. i. deprecor Deum vt te absoluat. Sed contra: quoniam Christus non dixit; quorum petieritis peccata vt absoluantur, absoluta sunt; sed, quorum remiseritis .i. vos; remissa sunt. & patet, quia Sacerdos est verè iudex. Tertia opinio est Magis. d. 18. dicentis, sensum esse; *absoluo*. i. ostendo te absolutum; & nullo modo Sacerdotem absoluere à peccato. cui videtur accedere Bonau. d. ead. ar. 2. q. 1. Sed contra; quia hæc expositio Magistri eneruat claues; nam ostendere absolutum non est absoluere; quod est contra Concilium Trid. sess. 14. cap. 3. & can. 9. vbi anathema dicitur ille, qui dixerit non absolui, sed absolutum ostendi. Quarta opinio est Scot. d. 14. q. 4. qui dicit, Sacerdotem absoluere à reatu pœnæ, & pœnam æternam commutare in aliam. cui videtur accedere Hugo de sancto Vict. l. 3. de Sacram. par. 14. & Riccar. l. de potest. ligandi, & absoluendi. Sed contra; nam absoluere à reatu pœnæ non est absoluere à culpa primùm, deinde à consequentibus pœnis. Item, quia manet eadem difficultas; nam sæpe reatus æternæ pœnæ est remissus. Quinta opinio est D. Tho. 3. p. q. 84. ar. 3. qui dicit, *Absoluo te*. i. impendo tibi Sacramentum absolutionis; quæ verba Caiet. interpretatur, si enim intueamur formam verborum, non videtur benè dictum, quia per hæc verba non significatur peccator absolui in actu exercito; si verò attendatur sensus verborum quo videtur dicere D. Tho. ego Sacramentaliter te absoluo, benè dicitur. Et hæc est bona opinio. Sic etiam & illa Nau. de pœnit. d. 5. cap. 1. & Petri. Sot. lect. 4. de confess. qui dicunt sensum esse; *Absoluo te*. i. quantum ex me est ex vi Sacramenti, ego te absoluo. Dicendum est igitur Sacerdotem in Sacramento pœnitentiæ propriè, & effica-

citer

citer absoluere à peccatis. Trid. sess. 14. cap. 3.

Quintum dubium. Ex omnibus his verbis, *Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quæ verba sunt essentialia? Resp. Dur. in 4. d. 22. q. 2. dicit, necessariò addendum esse illud, *in nomine Patris &c.* vel aliquid simile quod significet Dei autoritatem. Palud. ibid. q. 3. dicit, esse addenda illa verba: *à peccatis tuis*. Sed communis opinio est, formam essentialem, conuenientissimam esse duo hæc verba, *absoluo te*. quod intelligi debet formaliter, non materialiter. dico formaliter; nam si quis diceret verba æquiualentia, vt, *remitto tibi peccata*, valet absolutio, ex Concil. Flor. & Trid. supra cit. nam per hæc verba sufficienter exprimitur actus iudicialis. vnde colligitur contra Dur. & Palud. illa verba, *à peccatis tuis*; & illa; *in nomine Patris &c.* non esse de essentia. & multo minus preces, quæ tamen non sunt omittendæ, tum ob Ecclesiæ vsum, tum ob vtilitatem pœnitentis, vt meliùs disponatur, & conseruetur. Dices an si quis omitteret illa verba, peccaret mortaliter? Resp. quòd si omitteret illa verba; *à peccatis tuis*, peccaret mortaliter; licèt enim non faciant ad essentiam, faciunt tamen ad integritatem. Si omitteret illa; *in nomine Patris &c.* dubitarem esse mortale omittere magna in curia. Si omitteret preces, nequaquam peccaret, saltem mortaliter. Ineptè verò faceret qui adderet; *Autoritate Papæ, vel Episcopi*; nam hoc non habet à Papa, vel ab Episcopo, sed à iure diuino. Pontifex tantum dat iurisditionem quæ consistit in eo, vt mihi detur materia in quam exercere possem autoritatem ordinis absoluendi: autoritas autem dispensandi in voto, vel excommunicatione, est autoritas iurisditionis data à Pontifice. potest addi *Autoritate Pontificis &c.* illud verbum etiam, *qui est summus Pontifex*, potest omitti, ne conueniamus cum hæreticis in modo loquendi, qui dicunt, non esse alium summum Pontificem nisi Christum. *de confessis, & contritis*, ineptè additur; nam non solum in contritis, sed in attritis etiam dari potest absolutio. Et licèt Trid. dicat formam esse *Absoluo te in nomine Patris &c.* intelligendum est, illa verba non esse omittenda tanquam de essentia, sed tanquam vtilia. quòd si in baptismate sunt necessaria tanquam de essentia, est quoniam ibi sit protestatio fidei. hic verò non.

Sextum dubium. An impositio manuum Sacerdotis requiratur in hoc Sacramento. Resp. fuerunt duo errores. alter Vuiglef, qui irridebat istam manuum impositionem. alter fuit dicentium hanc cæremoniam esse de essentia, eò quòd act. 8. *Apostoli manus imponebant &c.* & Matth. 19. oblati sunt paruuli, & imponebant manus super eos. Sed pro veritate, primo certum est, non esse de essentia. & ad illa loca scripturæ, dico illa non esse de necessitate, nec loquuntur de hoc Sacramento. Secundo, certum est istam cæremoniam esse sanctam, & conuenientem vbi est talis vsus imponendi manus. Iacob. enim can.45. imposuit manus vt benediceret filijs suis. Moyses extendens manus benedixit populo suo, Leuit. 16. Christus imposuit manus pueris: Paulus, & Dionys. probant hanc manuum impositionem. In Ecclesijs etiam erat vsus imponendi manus in reconciliationibus publicis, vt patet in Concil. Arausic. & cap. Arrianos. 1. q. 1. & est rationabilis illa cæremonia; nam impositio hæc manuum significat potestatem quam habet Ecclesia in pœnitentem.

Septimum dubium. Quis huius Sacramenti minister? Resp. est Sacerdos habens autoritatem absoluendi vel ordinariam, vel delegatam à superiore; vt dicemus infra.

Octauum dubium. Quis effectus huius Sacramenti? Resp. est absolutio à peccatis vt ait Concilium Flor. vel vt dicit can. 3. effectus tract. 7. cap. 6. est reconciliatio cum Deo, qui interdum in viris pijs & cum deuotione hoc sacramentum suscipientibus hoc Sacramentum, est conscientiæ pax, & serenitas, cum vehementi spiritus consolatione. Hinc sequitur, essentiam huius Sacramenti non consistere solum in absolutione, vt putauit Scot. in 4. d. 14. q. 4. Item, materiam eius non esse solam confessionem, vt tenuit Dur. in 4. d. 14. q. 3. illud autem est verum, & notandum, quòd cùm inter partes materiales primatum teneat confessio, factum est vt vulgo dicatur Sacramentum confessionis. Sed in iure vt patet ex can. ad abolenda. de hæres. magis propriè dicitur pœnitentia. quæ est etiam sufficiens remedium contra peccata, vt patet ex Matt. 3. *Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cælorum.*

Nonum dubium. An hoc Sacramentum sit de necessitate salutis. Resp. simpliciter, & absolutè non est necessarium ad salu-

ad salutem, sed ex suppositione, illis videlicet qui subiacent peccato, sicut medicina est solum necessaria ægrotis. D.Tho. 3.p.q.84.ar.5. explico. Sacramentum pœnitentiæ non est necessarium ad salutem sicut baptismus, sed supposito peccato mortali facto post baptismum, est necessaria pœnitentia vel in re, vel in voto. venialia verò possunt multis modis sine Sacramento remitti, vt dicemus infra. D.Tho. supra cit. Sot. in 4. d.14.q.1.ar.5. Victor.q.108. Trid. sess. 6.can. 14. de iustit. & sess. 14.can.2.de Sacram.pęnit.& est communis Theologorum. Hinc.Hierony. in Isai.3. dicit pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium.qua sententia vsa est Ecclesia ex Trid. & can.post naufragium.de pęnit.d.1. & eadem vtitur Tertuli. lide pęnit.& communiter Theologi, cùm sit optima metaphora. D.Tho. sup. ar. 6. Sot. ar. 6.& alij in 4.d.14. An verò per actum charitatis; vel per martyrium possit remitti peccatum mortale sine sacramento pęnitentiæ, vel sine virtute pœnitentiæ.Sot.in 4.q.1.ar.62. affirmat.

Decimum dubium. An Sacramentum pęnitentiæ rectè fuerit institutum in lege noua. & vbi. Resp. conuenienter fuit institutum hoc Sacramentum in noua lege à Christo Domino. patet tum ex parte Christi qui fuit sapientissimus institutor. tum ex parte iustificationis; quid enim facilius quàm dicere peccata, & remitti? quid securius quàm habere aliquod sensibile signũ quo fiat remissio ex opere operato? præsertim quia attritus hoc Sacramento accipit gratiam. quid vtilius quàm habere gratiam ex opere operato, & aliquam pœnarum remissionem? quid perfectius quàm exercere tot actus virtutum, satisfactionis, humilitatis, obedientiæ, erubescentiæ,&c. tum ex parte diuinæ prouidentiæ, iustitiæ .l. & misericordiæ. tum denique ex parte Ecclesiæ, vt haberet aliquam moralem certitudinem remissionis peccatorum. Fuit autem institutum hoc Sacramentum à Christo Ioan. 20. & Matth. 26. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* vt ait Trid. sess. 6. can. 14. de iustif. D.Tho.3.p.q.84.ar.7.Sot.in 4.d.14.q.1.ar.7.vide infra dub.12.

Vndecimum dubium. An hæc pęnitentia debeat durare vsq; ad finem vitæ. Resp. pęnitentia interior debet durare vsq; ad finem vitæ; non autem exterior, sed suo tempore. D. Tho. & Sot. supra cit. ar. 8. interpretatur Caiet. intelligi negatiuè,

non

non contrariè .i. nunquam debet placere peccatum, sed semper vsque ad finem vitæ displicere quòd peccauerit. quia si placeret peccasse, hoc ipso peccaret. exteriorem autē confessionem satis est semel fecisse legitimè. quare pœnitentia habitu debet esse continua, non autem actu; quia nunquam homo debet admittere aliquid contrarium pœnitentiæ, sed debent semper sibi peccata displicere, non quidem positiuè, nisi semel quando confitetur; sed negatiuè. actu enim continuare actum pœnitentiæ internum, vel externum, est impossibile, nec est necessarium. D. Tho. supra. ar. 9. Caiet. ibid. & Sotus loco cit.

Duodecimum dubium. An pœnitentia de peccatis vt sunt offensa Dei, sit de lege naturæ. & an in lege naturæ sit aliquid signum necessarium pro adultis. Resp. Caiet. 3. p. q. 84. ar. 7. dicit non esse de lege naturæ dolorem de peccato vt est offensa Dei, nec vt remedium peccati; sed cessandum esse à peccatis. & quod D. Tho. ibid. dicit esse de lege naturæ vt est remedium; dicit esse intelligendum quando peccatum est scandalosum, v.g. contra populum, vel rempublicam &c. tunc natura docet de hoc peccato esse dolendum. An autem essent Sacramenta, & necessaria pro adultis in lege naturæ: Scot. in 4. d. 1. q. 3. ar. 3. dicit fuisse & determinata, & obligantia. D. Tho. 3. p. q. 64. ar. 3. ad. 2. concedit fuisse, & obligasse, sed in communi. quò ostenderetur illa pœnitentia in communi. Alens. in 4. p. q. 1. m. 3. ar. 2. dicit quòd non obligabant nec in communi, nec in particulari. Circa tempus legis veteris certum est fuisse Sacramenta, & obligasse. Circa tempus legis Euangelicæ omnes conueniunt fuisse. Sed discrepant nonnulli primo, an quoad omnes partes fuerit à Christo institutum hoc Sacramentum. Bonau. in 4. d. 17. p. 2. q. 3. ar. 1. dicit quoad absolutionem à Christo institutum. quo ad confessionem ab Apostolis, Iacob. 5. *Confitemini peccata vestra*. Secundo, discrepant de loco vbi fuerit institutum. Alber. in 4. d. 27. ar. 4. dicit, quoad contritionem, fuisse institutū Matth. 4. *pœnitentiam agite &c.* quoad confessionem, Matth. 8. *Ostende te Sacerdoti*; quoad absolutionem, Ioan. 11. *Soluite illum &c.* quoad vsum, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Alens. in 4. p. q. 13. m. 1. ar. 3. dicit: quoad vtilitatem institutum fuit Matth. 4. quoad necessitatē Luc. 13.

Nisi

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. quoad absolutionem, Matth. 16. Ioan. 11. D. Tho. 3. p. q. 84. ar. 7. dicit quoad virtutem fuisse institutum Matth. 4. quoad officium ministrorum, Matth. 16. quoad efficaciam, Luc. vlt. Ego dico primo, dolorem de peccato vt est contra rectam rationem, natura docet, & est concessum ab omnibus; homo enim naturaliter amat obiectum quod est conforme suæ voluntati rationali, ergo naturaliter dolet de contrario. Item patet; quia non excedit limites naturæ. Dico secundo, pœnitentia illa quæcunq; sit, quam sola lex, & lumen naturæ docet, non sufficit ad delendum peccatum, quamuis non negem in lege naturæ peccatum fuisse deletum. Prima pars probatur; semper enim fuit necessaria fides supernaturalis, sine qua impossibile est placere Deo, ergo sola lex naturæ non sufficit. Secundo, ad remissionem peccati requiritur amor Dei super omnia, sed ex sola lege naturæ hoc non habetur; ergo &c. Secunda pars probatur; primo ex Iob, & Niniuitis, qui fuere in lege naturæ, non in lege scripta. Secundo, quia diuina prouidentia nunquam deficit in necessarijs, sed pœnitentia semper fuit necessaria; ergo &c. Tertio, quia semper fuit Ecclesia vera quæ incepit ab Abel iusto, & durabit vsq; ad seculi consumationẽ; ergo semper fuit pœnitentia; ergo etiam in lege naturæ. Dico tertio, probabiliter teneo ex solo lumine naturæ sine alio speciali auxilio, & reuelatione, posse cognosci Deum offendi peccatis, & placari pœnitentia; & hanc esse remedium peccati; quamuis hæc cognitio valdè imperfecta sit. explico: non dico posse hominem pœnitere sola natura sufficiente dolorẽ ad deletionem peccati, hoc enim pelagianum est; sed dico, hanc cognitionem esse valdè imperfectam. loquitur igitur hæc conclusio de intellectu, non de voluntate. Dixi etiam, esse probabile; quia potest teneri cum Caiet. nunc probatur conclusio: Primo ad Rom. 5. de philosophis ait Paulus, quòd *Cùm cognouissent Deum, non glorificauerunt*: & loquitur de philosophis in lumine naturæ. Secundo, apud gentiles multa leguntur quòd displicent Deo peccata. legendus est Plato l. 4. de legibus. & in Gorgia circa finem. Item multæ respublicæ constituunt multa sacrificia, & oblationes vt expiarentur à peccatis. Tertio, naturaliter cognoscimus peccatum esse contra rectam rationem; ergo & contra autorem rectæ ratio-

nis Deum. Quarto, naturaliter cognoſcimus Deum eſſe bonuǆ, & benignum; ergo & placari pœnitentijs. Dices, ſi hoc naturaliter cognoſcit intellectus, ergo voluntas naturaliter dolebit, ergo pœnitentia eſt à nobis, & à noſtro libero arbitrio, non à natura. Reſp. negando ſequelam; nam voluntas fuit magis læſa, quàm intellectus. Secundo reſp. quòd etiam voluntas poteſt aliquo modo dolere imperfectè tamen, & inſufficiẽter ad deletionem peccati; quia ſi poſſum amare Deum amore naturali, poſſum etiam naturaliter dolere de eius offenſa. Dico quarto, probabile eſt in ſtatu legis naturæ fuiſſe aliquod ſignum ſenſibile ad deletionem peccati, in communi tamen, & indeterminatè. Probatur primo, ex Gregor. l. 4. mor. cap. 2. quod apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud Iudæos circuncifio, & apud legem naturæ aliquod ſacrificium pro adultis, & fides parentum pro paruulis. Auguſt. l. 5. contra Iulian. cap. 9. Idem dicit. Secundo, apud illos erat neceſſaria fides, ergo erat neceſſarium hanc proteſtari aliquo ſigno. erat apud illos neceſſarius cultus externus, ergo aliqua ſigna erant neceſſaria. Dices, vbi habemus hanc inſtitutionem horum Sacramentorum? Reſp. primo, ſicut lex erat naturæ, inſtitutio non debuit in ſcriptis dari. Secundo, certum eſt in lege naturæ fuiſſe multa ſacrificia, & oblationes, Abel, Enoch, Abraham, Melchiſedech ſacrificabant, & alij etiam quos non habemus in ſcriptura. Dico quinto, in lege veteri fuere Sacramenta, & obligantia. Probatur ex toto Leuitico. & ad Hebræ. 9. Secundo, ſi in lege naturæ erant, multo magis in lege veteri.

Decimum Tertium dubium. An Sacramentum pœnitentiæ pluries iterari poſſit. Reſp. affirmatiuè, patet ex Matth. 18. *Nõ dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies*, &c. vbi finitus numerus ſumitur pro infinito. & cap. firmiter. de ſumma Trin. & fide cathol. ex Concilio Flor. in vnione Armen. Trid. ſeſſ. 14. can. 5. & can. 8 de Sacram. pœnit. Sot. in 4. d. 14. q. 1. ar. 10. D. Tho. 3. p. q. 84. ar. 10. patet ex vſu Eccleſiæ, & ex neceſſitate, & vtilitate huius Sacramenti. & ex ſexcentis ſcripturæ locis, in quibus peccatoribus pœnitentibus promittitur venia poſt lapſum. Et patet ratione: nam aliàs deſtrueretur prouidentia Dei ſi ſolum eos ſaluaret qui ſeruant innocentiam baptiſmalem. Secundo, deſtrueretur iuſtitia; quia ſicut punit peccatores ex

iuſtitia

iustitia, ita ex eadem recipere debet peccatores pęnitentes. Tertio, misericordia, vt patet. Quarto, mysterium incarnationis: *Non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam*. Quinto, Euangelium; quia via salutis esset angusta. Sexto, destrueretur Ecclesia, quæ semper orat pro peccatoribus. Septimo, liberum arbitrium. Octauo, destrueretur natura pœnitentiæ, quæ non respicit si ante baptismum sit, vel post.

Decimumquartum dubium. Quid est pœnitentia. Resp. primo, potest definiri ratione generis, & hoc modo definitur à Magist. in 4. d. 14. *Est virtus, vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plancimus, & plancendo iterum committere nolumus*. Vel secundum speciem, & sic definitur ab August. l. de vera, & fals. pœnit. *Est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolens commisit*. & refert eam ad speciem iustitiæ. dicit, *Semper puniens*, negatiuè, non contrariè; vt dictum est supra dub. 11. Vel ex parte finis ad quem; & sic definitur ab August. l. 3. hyponost. *Est res optima, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum*. Intelligitur de pęnitentia perfecta, & continuata. Vel respectu finis à quo; & sic definitur ab eodem l. de Eccles. dogm. *Est pœnitenda non admittere, & admissa deflere*. Sic etiam definitur à Gregor. hom. 14. in Euang. Vel in ordine ad subiectum; & sic vel consideratur vt eliciens actus; & sic definitur ab Ambr. in quodam ser. quadrag. *Est dolor cordis, & amaritudo animæ pro peccatis commissis*. Vel quatenus pœnitentia est recreans ipsum subiectum; & sic definitur à Glosa in Matth. 4. *Est correctio malæ mentis. i. malę voluntatis*. Vel in ordine ad peccatum; & sic definitur à Damasceno; *Est ab his quę sunt preter naturam, ad ea quæ secundum naturam reuersio*. Hoc vnum est, de ratione pœnitentiæ esse, vt sit detestatio peccati commissi. patet ex nomine pœnitentiæ; pęnitentia, quasi penæ tenentia. patet etiam ex scripturis; vbi enim agitur de pœnitentia, ibi sermo miscetur de dolore, & gemitu peccatorum. Isa. 26. *Domine in angustia &c*. Iob. 31. *Postquam conuertisti me, & egi pęnitentiam, percussi femur meum*. Ezech. 31. *Et tu fili hominis ingemisce &c*. Psal. 50. *Cor contritum, & humiliatū Deus non despicies*: patet etiam ex patribus, qui omnes definierunt pęnitentiam in ordine ad dolorem. August. Tertull.

Ambros. & omnibus qui de pęnitentia scribunt.

Decimumquintum dubium. An hæc sic definita pęnitentia, sit virtus. Resp. ex D. Tho. 3. p. q.85. ar.1. Pœnitentia, seu dolor vt est in appetitu sensitiuo, non est virtus. probatur ex Arist. l. 4. ethic. quia vt sic, est passio habens corporalem immutationem. Item, quia est de turpi actu, quod non habet locum in homine virtuoso. Secundo, si consideratur vt est dolor in voluntate, sic est virtus. probat ex l. 2.& hic.cap. 2.vbi habetur, virtutem esse habitum electiuũ secundum rectam rationem. Quòd autem hæc pœnitentia, seu dolor, & detestatio peccatorum sit virtus, probatur; quia est actus bonus, & laudabilis, vtilis, & necessarius. 2. cor. 7. *Gaudeo, quia contristati estis ad pœnitentiam*. Item, quia Christus laudat Niniuitas eoquòd egerint pœnitentiam. & omnes pœnitentes in scriptura laudantur. Vadat nunc in malam crucem nescio qui Lutherus dum dicit, pœnitentiam non solum non esse virtutem, sed neq; laudabilem; cùm faciat hominem hypocritã; eoquòd non ex charitate nascatur, neq; fiat ex toto corde. Resp. enim quòd multa sunt extra charitatem, quæ tamen virtutes sunt; vt est fides informis, prophetia, operatio miraculorum, cognitio miraculorum, cognitio rerum naturalium, &c. neq; valet quòd id quod non fit ex toto corde sit hypocrisis; modo non fiat contra cor; vt valeat dicere; *cor eorum longè est à me*; at pœnitens intendit se appropinquare Deo. Dices, An hæc virtus pęnitentiæ sit virtus specialis, & distincta. D. Tho. supra, ar. 2. dicit, esse quædam actum specialem circa actum specialem, & obiectum speciale, & est dolor de peccatis. Secundo dicit, simpliciter tristari de peccato, nullo alio addito, est charitas. Tertio dicit, obiectum speciale pęnitentiæ est circa peccatum emendabile per illos meos actus. Quarto, pęnitentia destruit omne peccatum effectiuè, quælibet alia virtus destruit formaliter; vt temperantia intemperantiam, sed pœnitentia effectiuè operatur ad destructionem omnium peccatorum. Non est iustitia; quia hæc facit æqualitatem, & vbi non est æqualitas, non est iustitia; sed non est æqualitas inter Deum, & hominem, ergo non est simpliciter iustitia. Est tamen pœnitentia pars iustitiæ, & species iustitiæ secundum quid; quia iustitia est ad alium, sed pœnitentia est ad alium; quia nos ad

Deum

Deum dirigit; ergo est pars iustitiæ secundum quid. reducicitur autem ad iustitiam commutatiuam. Dico igitur quòd dolor de peccato in particulari, vt est contra rectam rationem, non est virtus specialis, sed omnes vitutes; nam eiusdem virtutis est ferri in suum oppositum. Neq; pęnitentia est virtus generalis; non enim coincidit cum alijs virtutibus. probatur prima pars. nam omnis virtus dolet de peccato solum in particulari; Item sunt aliquæ virtutes intellectuales quæ non possunt dolere de suo opposito, cùm dolor sit in voluntate virtus autē in intellectu. & etiam quia impœnitentia vt dicit aliquem habitum, non haberet cui particulariter opponatur. Probatur secunda pars. i. quòd non coincidit cum alijs virtutibus; quia si coinciderent, vel in charitatem, & hoc non; quia charitas non habet eandem formalem rationem. Vel ad iustitiam, vt ait Dur. in 4. d. 14. q. 2. & hoc non; quia inter nos & Deum non est vera ratio iustitiæ. Vel ad religionem, vt ait Caiet. 3. p. q. 75. ar. 2. & hoc non; quia est expresse contra D. Tho. ibid. quod etiam docet in 4. d. 14. q. 1. q. 3. tū etiam quia omnino non est alia ratio formalis religionis, quàm pęnitentiæ. Est igitur Pęnitentia virtus distincta ab omnibus alijs; quoniam habet suum obiectum formale distinctum ab omnibus alijs.

Decimumsextum dubium. An pœnitentia subiectetur in voluntate. Resp. Altis. l. 4. de pęnit. cap. 3. & Scot. in 4. d. 14. q. 2. qui ponit quatuor actus, primum velle vindicare peccatum. Secundum, nolle peccasse. Tertium, acceptare punitionem. Quartum, pacienter ferre pœnas. Primus pertinet ad iustitiam vindicatiuam. Secundus ad omnes virtutes. Tertius ad virtutem à qua imperatur. Quartus ad pacientiam. & omnes alij qui dicunt esse virtutem generalem, dicunt esse in pluribus potentijs; quare non in voluntate tantum. Alij tenent esse in libero arbitrio. vt Alexander Alens. Bonau. in 4. d. 13. ar. 1. q. 1. dicit esse in parte irascibili, vbi est fortitudo, & cum eo consentit Alber. in 4. 14. ar. 8. Palud. verò ibid. q. 2. videtur ponere duos habitus pœnitentiæ; vnum in voluntate, alterum in appetitu sensitiuo. & illi cōsentiunt Sotus, & Ledes. Nihilominus tamen cum D. Tho. & Thomistis. 3. p. q. 85. ar. 4. dicendum est primo, tristitiam, & dolorem, nec vllam passionem partis sensitiuæ esse essentialiter pęnitentiam. patet

primo,

primo, ex Concilio Flor. & Trid. quæ definiunt contritionem esse detestationem cum proposito non peccandi. Secundo, sensus non attingit Deum vt finem, sed pęnitentia habet Deũ vt finem. Tertio, dolor in sensu non est semper in nostra voluntate. Vnde errant qui putant ideo homines non habere pęnitentiam, quia non habent dolorem in sensu. quamuis nõ dubitem graues peccatores qui non habent dolorem in sensu, nec habere in voluntate. Dico secundo, licèt opinio Palud. Sot. & Ledes. de duobus habitibus pęnitentiæ sit probabilis, tamen contraria est probabilior. Primo, quia si ponendus est iste habitus in potentia sensitiua, est vt moderetur passiones; sed ad hoc sufficit pęnitentia voluntatis, ergo non est ponendus alius. Secundo, quia habitus iustitiæ, & charitatis esset ponendus in parte sensitiua. Dico tertio, pęnitentia vt virtus in sola voluntate ponenda est, vt in proximo subiecto, cum D. Tho. supra. patet primo, quia non potest esse in pluribus subiectis, quia est vna virtus, vnaq; forma, & qualitas. tum quia licèt aliæ potentiæ concurrant, non tamen eliciriuè. Secundo, non est in intellectu; tum quia non est habitus cognoscitiuus. tum etiam quia est ad alium. Tertio, non est in parte sensitiua; tum quia sensus non attingit ad Deum finem; tũ etiam quia ratio formalis pœnitentiæ non est nisi ad Deum, & peccati detestationem.

Decimumseptimum dubium. In quibus potest esse pęnitentia. Resp. in Deo, Christo, B. Virg. Angelis beatis, vel damnatis, etiam hominibus nec fuit, nec potest esse pœnitentia. In Deo certum est non esse nisi abusiuè; vt quando dicit *Pœnitet me fecisse hominem*. In B. Virgine, Palud. dicit ante confessionem fuisse pœnitentiam, quia poterat peccare venialiter. Sed quoniam nec poterat peccare venialiter ex priuilegio vt definitum est ex Trid. sess. 6. can. 23. quia non peccauit in tota vita; ergo non poterat peccare ex priuilegio; ergo nec habuit pęnitentiam. Tertio, neq; poterat esse in Angelis omnibus, tum ratione naturæ, quia liberum arbitrium in ipsis est vertibile inuertibiliter; tum etiam ratione status; quia in termino non possunt amplius dolere. Sic etiam in damnatis hominibus, in quibus non operatur gratia Dei quando sunt in termino. In statu innocentiæ fuisset virtus pęnitentiæ, vt fuit in Adamo, in pueris baptizatis, confirmatis, peccatori-

bus, &

bus, & iustis. patet primo, de statu innocentiæ, quia Adam poterat peccare, & peccauit; quare meritò data est illi virtus pęnitentiæ. De pueris patet; quia possunt peccare quando sunt in vsu liberi arbitrij, & omnes virtutes infunduntur illis à Deo. In beatis non est habitus pęnitentiæ sicut est in nobis .i. cum dolore peccatorum, quamuis odio habeant peccata vt offensa contra Deum. Dices, vel placebant illis peccata, vel displicebant; non primum, ergo secundum; ergo habent pœnitentiam. Resp. quòd nec placebant, nec displicebant. sicut lapis non est cœcus, neq; videns; quia non est capax nec visionis, nec cæcitatis. Sic in beatis, in quibus Deus non concurrit aliquo actu qui potest illis afferre aliquam pœnam.

Decimum octauum dubium. An principium pœnitentię sit ex timore. Resp. habitus pœnitentiæ est infusus à Deo sine nobis principaliter operantibus, non autem sine nobis dispositiuè cooperantibus. D. Tho. 3. p. q. 85. ar. 5. Probatur, habitus pęnitentię est supernaturalis, & non potest haberi viribus naturæ; ergo est infusus. nam ideo ponimus Theologicas infusas, quia non possunt haberi viribus naturæ, cùm sui actus sint supernaturales. confirmatur ex Trid. sess. 6. can. 3. Secundo, agens naturale non se extendit vltra finem sibi proximum naturæ; ergo non potest producere habitum pœnitentiæ; ergo requiritur habitus infusus, Dices, satis est auxilium speciale. Resp. Deus suauiter procedit in omnibus suis operibus. cùm ergo ad actus naturales morales dentur naturales, & acquisiti, ita quoad actus supernaturales debet infundi qualitas supernaturalis, & habitus supernaturalis, cùm suauis Dei prouidentia hoc postulet. quem enim Deus sanat, perfectè sanat. Actus verò pœnitentis est etiã à libero arbitrio, licèt sit principaliùs à gratia Dei. prima pars patet primo, quia nos sumus cooperatores Dei, & agricolæ. Secundo, quia scripturæ hortantur nos ad pęnitentiam. Tertio, quia resistere Deo vocanti, est grauissimum peccatum; ergo possumus concurrere cum libero arbitrio. ad Rom. 2. *Nescis quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem secundum duritiam tuam, & impęnitens cor tuum &c.* Secunda pars probatur; quia Deus est causa vniuersalis quæ plus influit in causatum quàm causa secunda. Actus autem qui in pęnitentia

tia concurrant, sunt sex. Primus actus, est Dei mouentis. Secundus est fides. Tertius, timor seruilis. Quartus, spei. Quintus, dilectio. Sextus, timor filialis. Ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 6. Actus pęnitentiæ à timore seruili procedit tanquam à primo motu nostri affectus. ab affectu procedit fides, sed nō est principium motiuum affectus, sed potius intellectus. Actus deniq; legitimæ pęnitentiæ à timore filiali tanquam à principio immediato elicitur.

Decimum nonum dubium. An pęnitentia quæ nascitur ex timore seruili sit bona. Resp. duplicem esse timorem; seruilem, & filialem, seu castum. August. tract. 9 in Ioan. epist. nam timor humanus, seu mundanus non pertinet ad nos, & semper est malus, omittit enim facere bonum propter timorem. timor etiam initialis coincidit cum filiali quoad substantiā, & differt ab eo secundum perfectum, & imperfectum. Seruilis autem & filialis differunt specie: primus enim habet obiectum pęnam; secundus, Deum. Filialis tamen dignior est seruili; tum quia filialis est cum charitate, seruilis non. tum etiam quia filialis iustificat; seruilis non. Ita Iustin. martyr. q. 98. Chrysost. hom. 5. ad Rom. Gregor. I. 3. dialog. 34. Iste verò timor vel potest habere annexam voluntatem peccandi, vel non. Nunc dico: Timor seruilis ratione sui obiecti bonus est, & per consequens pęnitentia quæ ex hoc timore oritur, bona est. est de fide. Luc. 3. *Genimina viperarum &c.* Matth. 10. *Timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittendi animam in gehennam.* & alibi. August. supra cit. dicit, timorem hunc præparare charitatem. Clem. l. 2. strog. vocat illum, pædagogum legis. August. frenum. Gregor. hom. 34. vocat eum scopas ad inquirendam gemmam. Ber. ait, primum gradum obedientiæ esse timorem. Trid. sess. 6. can. 8. & sess. 14. cap. 4. patet ratione; nam si ista pęnitentia ex motu est mala, vel est mala in se, quia est detestatio peccati; vel propter causam .i. ex timore pęnæ. non primo modo, quia semper esset mala. non secundo modo; nam timor pęnæ non est malus, natura enim nos inclinat ad hunc timorem. Dico secundo, timor gehennæ habens voluntatem malus est. Explicatur primo à Nau. cap. sicut seta. de pęnit. d. 2. vbi dicit, pęna potest timeri principaliter .i. propter ipsam pęnam; vel non .i. principaliter propter Deum, minus principaliter propter

ter

ter penam: hic timor est bonus, ille non. Secundo explicat D. Tho. hic timor dicit vel substantiam timoris, vel seruilitatem; hæc non est ratio formalis timoris pœnæ, sed est aliquod extrinsecum .i. illa à qua timor denominatur seruilis. timor in se, bonus est; seruilitas, mala; quia opponitur libertati. Tertio, alij exponunt quando timor pœnæ est motiuum ad detestandum peccatum, tunc bonus est; quando est finis, malus est. Sed hoc non placet; nam etiam si sit finis, dummodo excludat omnem voluntatem peccandi, bonus est. & hoc modo potest intelligi Nau. Quare simpliciter est dicendum, quoties timor excludit voluntatem peccandi, bonus est. si non, est malus. patet ex Trid. sess. 14. cap. 4.

Vigesimum dubium. An ad veram pœnitentiam, & iustificationem requirantur omnes illi sex actus supradicti in dub. 18. Resp. descendendo ad singulos actus. primo, de Dei motione; dico non solum Deum præuenire dormientem animam, sed etiam cooperari ad eliciendos reliquos quinq; actus. De secundo, qui est fides, apud Ionam prædicauerunt doctrinam &c. Dices; ante fidem præcedit cognitio naturalis. Resp. nos hic loqui de pœnitentia vera, & Christiana. De tertio .i. de timore seruili figurato in muliere parturiente, Isa. 26. & in vento, commotione, & igne, & 3. Reg. 19. figuratur etiam in deiectione Pauli. Huic actui timoris sunt coniuncti alij, vt erubescentia; *Quem fructum habuistis in quibus nunc erubescitis?* ait Paulus. indignatio; Iob. 31. *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam &c.* deliquium quodam, psal. *Defecit cor meum &c.* conturbatio, psal. *Conturbata sunt omnia ossa mea.* De quarto idest spe, psal. 42. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo &c.* & Ioël, *Conuertimini ad Dominum, quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus?* De quinto .i. dilectione, *Dimittuntur ei peccata sua, quia dilexit multum.* Luc. 7. & Ioan. *Qui non diligit, manet in morte.* De sexto .i. timore filiali, extat parabola filij prodigi, Luc. 15. Media verò præcipua ad hos actus eliciendos, primum est oratio. Secundum, consideratio enormitatis peccati, & iudiciorum Dei. Tertium, consideratio benignitatis Dei. Quartum, lectio sacrarum scripturarum. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 11. §. 18. Ambros. ad Virginem lapsam. Hi omnes actus non semper sunt necessarij, nec semper ordo iste est necessarius.

morales enim actus sunt vt plurimum , & regulariter. probatur primo quia potest Deus in instanti iustificare. Secundo, quia potest vnus facere vnum actum ex his. Tertio, quia potest vnus priùs facere vnum actum, quàm alium. Hi actus de condigno nullo modo merentur remissionem peccati, vel gratiæ infusionem. De congruo autem non in se considerati, sed vt profluunt ab auxilio speciali. Dixi *Non de condigno*, quia ad condignitatem requiritur amicitia operantis, & operis condignitas. Dixi *Mereri de congruo*, quia licèt aliqui omnino non admittant meritum, de congruo tamen nos admittimus cum Sot. in 4. d. 14. q. 2. ar. 5. & alijs. Dixi *Non mereri de congruo de se*; quia de se vt sunt à libero arbitrio, non habent proportionem ad finem supernaturalem. Dixi *Prout profluit ab auxilio speciali*, quia vt sic dicunt respondentiam ad finem supernaturalem. & ita potest esse meritum de congruo, quod dicit respondentiam præmij, & operis.

Vigesimum primum dubium. An actus pœnitentiæ sit posterior actu dilectionis, & an vterq; iste actus sit posterior habitibus infusis, & ipsa gratia. Resp. supponendo nos loqui de vltima, & proxima dispositione, non de præuijs, nam in his nulla est difficultas quòd præcedant gratiam, & infusionem habituum etiam tempore, sed vltima in eodem instanti; & supponendo certum esse in eodem instanti temporis quo est vltima dispositio infundi gratiam, & habitum; supponendo etiam nos loqui de gratia habituali, & dono infuso, non de auxilio speciali, & an habitualis præcedat. Dico, primam opinionem esse D. Thomæ 3. p. q. 85. ar. 7. dicentis, vltimam dispositionem præcedere, & subsequi gratiam habitualem in diuerso genere causarum. In genere causæ materialis præcedere natura actus pœnitentis. In genere causæ formalis, præcedere gratiam, & habitum pœnitentiæ, Explicatur primo exemplo allato de forma naturali. Secundo, exemplo apertionis fenestræ apertæ à vento; fenestra priùs aperitur, & ventus ingreditur. Tertio, exemplo lucis pellentis tenebras, Confirmatur ex secundo physic. vbi causæ sunt inuicem sibi causæ. Probatur, nam D. Tho. 1. 2. q. 113. ar. 8. docet ad impij iustificationem quatuor concurrere; infusionem gratiæ, actum dilectionis Dei, odium peccati, & remissionem. & ar. 6. docet, actum fidei formatæ præcedere actũ pœnitentiæ. &

ibid.

ibid. dicit, quòd actus, & habitus pœnitentiæ simul sunt tempore cum habitu, & actu charitatis; sed habitus, & actus charitatis simul sunt. Hanc opinionem D. Thomæ defendit Sot. & Ledes. Secunda opinio est illorum qui dicunt vltimam dispositionem non prouenire à gratia, & habitibus infusis, sed à libero arbitrio. Hanc tenet Scot. in 4. d. 54. qui non agnoscit pœnitentiam infusam. Defendit Vega.l.6. in Concil. Trid.cap.28.29.& l. de iustif.q.6.ad 9. & q.7.ad.3. Ego dico primo, quòd quamuis opinio D.Tho. sit aliquo modo probabilis, tamen contraria est probabilior. probatur ex modo loquendi Concilij Trid.sess.6.cap.6.vbi ponit sex illos actus dictos supra dub.18.& cap.7.subdit; *Iustificatio ipsa consequitur per susceptionem gratiæ, & donorum.* & can.3.& 4. dicit, hominem disponi per spiritus sancti motionem &c. vbi non meminit habitus infusi. & cap.6. dixit, quòd homo incipit diligere.q.d. quòd dilectio quæ est dispositio non est illa perfecta, quæ habetur ex habitu infuso. Secundo prob. ex D. Tho. 1.p. q.62.ar.2.ad 3.vbi dicit, triplicem esse conuersionē in Deum; prima, perfecta vt beatorum. Secunda,qua conuertitur cum gratia ad Deum, vt iustorum. Tertia,qua homo se disponit ad gratiam, vt peccatorum qui ad Deum se conuertunt. & hæc non requirit gratiam, sed est ad gratiā. & in 3.p.q.89.ar.1.& 2.dicit; quòd primus actus pœnitentis se habet vt vltima dispositio ad gratiam. alij verò sequentes procedunt à gratia, & habitibus infusis. & in 1. 2.q. 109. ar.6. dicit, ad præparationem ad gratiam non præsupponi gratiam habitualem, sed diuinum auxiliū. Dices, ergo D. Tho. sibi contradicit. Resp. Sot. quòd ille actus dupliciter consideratur, vel vt dispositio, vel vt elicitur ab habitu. Primo modo procedit, secundo subsequitur. Dico secundo, quòd habitus charitatis est prior habitu pœnitentiæ, Similiter actus dilectionis est prior actu pœnitentiæ, Explico: actus pœnitentię, & charitatis vel possunt esse ante iustificationem, vel post. & vtrobiq; actus dilectionis præcedit actum pœnitentiæ, probatur de habitu; quia obiectum habitus charitatis est bonum; pœnitentiæ est peccatum, sed prius natura est bonum, quàm peccatum; ergo &c. Secundo, quia pœnitentia est dolor de peccato propter Deum dilectum; ergo præsupponit illum. Probatur de actibus ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 6. vbi præmittit actum dilectionis

actui detestationis. Secundo, quia priùs naturâ fertur homo in Deum, quàm in peccata.

Vigesimum secundum dubium. An de lege ordinaria sit necessaria pœnitentia necessitate medij ad remissionem peccatorum. Resp.& nota, nos hic loqui de pœnitentia ordinaria, non de absoluta. Secundo, nos loqui non de Sacramento pęnitentiæ, sed de virtute. Tertio, nos loqui de necessitate medij, vel finis, non de necessitate præcepti. Quarto, duplicem esse pœnitentiam; vel actualem & formalem, vel virtualem; de vtraq; loquimur. Quinto, difficultatem esse de fide, de dilectione, de martyrio, & de baptismo. Circa fidem, Lutherus dicit, solam fidem & nihil aliud requiri ad hominis iustificationem. Sed contra hoc certa fide tenendum est fidem sine pœnitentia non sufficere. Patet primo, ex omnibus scripturis quæ præcipiunt pęnitentiam, vt supra ostensum est. Secundo, ex patribus supra citatis. Tertio, ex Concil. Later. cap. firmiter. de sum. Trin.& fide cathol. & Trid. sess. 6. can. 9. Quarto, ratione; nam peccatum non solum deordinauit intellectum, sed etiam voluntatem; ergo in voluntate requiritur dolor. Circa dilectionem, Scot. in 4.d. 14. q. 1. Adrian. quodl. 7. ar. 4. Gregor. Arim. in 2. d. 17. Veg. in Concil. l. 6. cap. 34. & 35. dicunt Dei dilectionem super omnia sine pęnitentia sufficere ad peccati remissionem. Melchior in 3. p. relect. pęnitentiæ, dicit dilectionem Dei nullo modo remittere peccatum sine actuali pęnitentia. Ego dico; in eo qui non habet conscientiam peccati mortalis, vel facto examine nihil recordatur, actus dilectionis remittit peccatum; non tamen si est conscius peccati mortalis, vel potest recordari. Suppono enim benedicere Petrum Sot. lect. 4. de pęnit. impossibile esse moraliter quòd sit actus dilectionis Dei super omnia, & non sit pęnitentia actualis, quia dilectio Dei statim inducit hominem ad detestandum peccatum. nunc probatur sufficere dilectionem in eo qui non est sui conscius mortalis, nec recordatur. Primo, quia fecit debitam diligentiam, ergo non tenetur ad aliud. Secundo, quia ille seruat alia præcepta, & præceptum dilectionis, ergo iustificatur. Neq; valet dicere quòd in tali casu Deus reuelabit peccata sua; nam hoc gratis dicitur, & est recurrere ad miracula. neq; valet dicere illum debere conditionaliter pęnitere, quia hoc etiam gratis dicitur. Probatur

nunc

nunc non sufficere dilectionem in habente conscientiam mortalis, vel in eo qui potest recordari. Nam scripturæ clamant pœnitiam esse necessariam, vt dictum est supra, dub. 9. sed si non est necessaria quando recordor, quando erit? Secundo patet ex Trid. sess. 6. cap. 6. & cap. 14. alioquin accederemus ad hæresim Lutheri, dicentis pœnitentiam esse nouã vitam. Tertio ratione, si enim in humanis ad iniuriam conpensandam non solum requiruntur signa dilectionis, sed etiam recompensatio pro damno, & iniuria illata, ergo multo magis in Deo. Sot. in 4. d. 15. q. 2. ar. 2. Circa Martyrium, Veg. l. 6. in concil. cap. 36. & 37. defendit per martyrium hominem saluari sine actuali pęnitentia, etiam si occurrat casus recordandi peccatorum, & non possit confiteri. Melchior supra cit. dicit, nullo modo saluari sine pęnitentia actuali. Ego dico, in eo qui habet conscientiam peccati, vel ob tormentorum grauitatem, & celeritatem non vacat recordari, satis est martyrium. in eo verò qui habet conscientiam, vel potest recordari, non sufficit. Suppono martyrium non esse Sacramentum, vt quidam erroneè dixere; sed tantum remittere totam pęnam ex opere operato, D. Tho. in 4. d 3. q. 3. ar. 3. q. ad 2. licèt alij dicant hoc conuenire martyrio in paruulis ex priuilegio, in adultis ex opere operantis; tum quia paruulis martyrium id conferat, & facit eos martyres; & eodem modo facit in adultis; ergo sicut ex se operatur in pueris, & in adultis facit idem: ergo martyrium id ex se habet. tum quia Ecclesia statim colit omnes martyres. Probatur nunc satis esse martyrium in eo qui non habet conscientiam peccati mortalis, vel ob tormentorũ & grauitatem, & celeritatem non possunt recordari. Primo, quia si dilectio Dei illud facit, ergo multo magis facit martyrium, quod includit maximam dilectionem. Secundo, martyrium vel ex priuilegio, vel ex opere operato liberat hominem à culpa, si non inueniat obicem; sed in casu nostro nullus est obex; ergo &c. Tertio, quia Ecclesia statim ac audit aliquem esse martyrem, colit eum; & non inquirit eius pęnitentiam; ergo &c. Quarto, ex August. l. 2. contra Donatist. Cyprian. l. de laude martyrum, dicit; martyrij inextimabilem esse gloriam, inextimabilem titulum &c. probatur non sufficere in eo qui habet conscientiam mortalis, vel potest recordari. Primo ex August. l. 4. de baptis. cap. 21. dicit, martyriũ

supplere

ſupplere vicem baptiſmi: ſed baptiſmus non deleret in illo caſu ſine pœnitentia; ergo nec martyrium. Secundo, ſi martyr nondum baptizatus teneretur baptizari, quia baptiſmus eſt neceſſarius neceſsitate præcepti vel in re, vel in voto; ergo & ad pœnitentiam ſi habet tempus eſt hoc intelligendum. Tertio dilectio in illo caſu non ſufficeret, ergo nec martyrium. *Dices*; an hæc eadem præſtat in dormiente, quæ in vigilante. *Reſp.* ſi dormiens eſt attritus, vel contritus, & habet deſiderium martyrij, eſt verum martyrium. Secundo, ſi eſt attritus, vel contritus, & non habuerit actuale deſiderium, modo non habuiſſet contrarium, eſt verè martyr. Tertio, ſi non habet attritionem, vel contritionem actualem, non tamen habet complacentiam peccati, ſi eſt etiam cum deſiderio martyrij, martyr eſt. quamuis Vega ſentiat contrariũ. Quarto, ſi nec eſt attritus, nec contritus, & non habet deſiderium martyrij, non eſt martyr. Circa baptiſmum Caiet. 3. p. q. 86. ar. 1. docet Baptiſmum per ſolam ſuſceptionem, vel cum voluntate, & non habeat actualem pœnitentiam, ſine complacentia peccati, iuſtificare. Omnes alij tenent oppoſitum. Ego dico: Baptiſmus in adultis habentibus peccata, non remittitur ſine aliqua pœnitentia, contra Caiet. cuius opinio videtur temeraria. Probatur primo, ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. vbi docet pœnitentiam ſemper in omni ſtatu fuiſſe neceſſariam lapſis, etiam his, qui baptiſmi Sacramento abluuntur; & ſeſſ. 6. cap. 14. ponit differentiam inter pœnitentiam quæ eſt ante baptiſmum, & eam quæ eſt poſt baptiſmum. Secundo, act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum.* Tertio, ex Auguſt. l. de fide ad Petr. cap. 30. firmiſsimè tene, & nullatenus dubites exceptis his qui pro nomine Chriſti ſanguinem effuderunt, nullum accepturum vitam æternam, niſi à ſuis peccatis expietur per pœnitentiam. Eſt igitur neceſſaria pœnitentia actualis de neceſsitate medij, habenti vel potenti habere conſcientiam peccati. patet ex Hierem. 18. *Si gens illa egerit pœnitentiam, agam & ego.* Zacchar. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis* act. 3. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* Quæ loca indicant actualem pœnitentiam eſſe neceſſariam, non virtualem. Secundo, ex Trid. ſupra, quod loquitur de neceſsitate medij, non de actuali,

actuali, nec de virtuali, sed absolutè. Tertio, iustitia requirit vt qui per conuersionem ad creaturam auersus est à Deo, per detestationem peccati cui adhæsit conuertatur ad Deum. Quarto, non potest homini placere vita bona, sine displicentia vitæ malæ. Ex his colligitur pęnitentiam actualem esse necessariam necessitate medij habenti conscientiam peccati, vel potenti habere.

Vigesimum tertium dubium. An de potentia Dei absoluta remitti possit peccatum sine pœnitentia. Resp. prima opinio est Medin. & aliorum, qui affirmant. nam cùm remitti peccatum sit sine ordinatione ad pœnam, ergo est sine actu nostro. Secunda opinio est Soti, & aliorum qui contendunt esse opinionem D. Thomæ, non posse remitti peccatum sine pęnitentia. tum quia D. Tho. 3. p. q. 86. ar. 1. absolutè loquitur, & dicit esse impossibile. tum quia dicit, impossibile esse sine pęnitentia virtute, non tamen sine pęnitentia Sacramento. at si loqueretur de potentia ordinaria, non potuisset dicere de Sacramento pœnitentiæ, quia est necessaria. Sed hæc nõ conuincunt. primo, quia impossibile significat potentiam ordinariam. Secundo, quia D. Tho. potuit loqui de Sacramento pœnitentiæ in quocunq; tempore, & sic de potentia ordinaria non erat necessaria. Vel loquitur de Sacramento pęnitentiæ in re, quomodo nec de potentia ordinaria est necessarium. Quare dico primo, peccatum non posse remitti per quamcunque potentiam sine aliqua immutatione voluntatis facta per aliquod Dei donum supranaturale quodcunque sit, siue infusum, siue non. Explico. non dico sine aliquo actu elicito voluntatis, quia hoc non puto esse necessarium, (vt dicam) sed solum dixi *Per aliquam immutationem.* nec dico istam immutationem esse faciendam per aliquam qualitatem infusam, sed per quodcunq; Dei donum. Dixi *supernaturale*, quia cùm auersio fuerit à Deo supernaturali fine, fit etiam per aliquam immutationem, vel donum supernaturale. probatur primo, auersio erat quid priuatiuum, sed nullum priuatiuum tolli potest nisi per positiuum, ergo &c. Secundo, non potest peccatum tolli nisi Deus cesset odio habere peccatorem saltem, sed hoc non potest fieri nisi immutatione voluntatis; quia nisi mutatur, adhuc est idem qui erat; ergo adhuc peccator. Tertio, nulla obliquitas potest tolli nisi per aliquã rectitudinem;

ergo

ergo voluntas auersa non potest esse sine aliquo peccato nisi rectificetur per aliquam sui immutationem. Secundo dico, de potentia Dei absoluta non est necessaria nec virtualis, nec actualis pœnitentia, nec vllus actus elicitus à voluntate est necessarius: probatur primo, quia in paruulis Deus remittit peccatum sine ipsorum actu. quòd si dicas non valere consequentiam in adultis, quia in his commissum est peccatum per proprium actum: Resp. istud non facere implicationem. confirmatur, quia iam actus est transactus, & manet solum habitualis auersio. Secundo, quia auersio illa (vt iam diximus) potest tolli per aliquod Dei donum supernaturale absq; vllo actu. Dices; non intelligo quomodo sit necessaria immutatio voluntatis, & tamen non est necessarius vllus actus voluntatis; neq; vllum donum infusum in voluntate. Resp. finge sine actu proprio illum immutari per qualitatem habitualem; deinde progredere, & dic; an non quod Deus facit per donum infusum, posset facere sine isto habitu infuso? quidni? & probatur primo, sit aliquis attritus tantum, & accedat ad baptismum in amentia; iste sine actu proprio conuertetur. & certè sine qualitate infusa posset Deus. Secundo, si quis non attritus accessit ad cubandum, nec contritus cum voluntate martyrij, & dormiens occidatur, iste sine actu proprio ex auerso fit conuersus, & tamen sine actu suo; ergo Deo non iufundente illos habitus, adhuc potest &c.

Vigesimumquartum dubium. An per ordinariam, vel absolutam Dei potentiam vnum peccatum possit remitti sine alio. Resp. vel intelligitur ex parte Dei remittentis, vel ex parte voluntatis vt possit pœnitere de vno, & non de alijs. Quoad primum, Sotus ait, de quacunq; potentia id non posse fieri. Quoad secundum Medin.tract.1.de pœnit.q.12.dicit hominem posse pœnitere vtiliter de vno, & non de alio. Ego dico, de potentia ordinaria per pœnitentiam non posse remitti vnum peccatum sine alio, quia nullum peccatum remittitur sine gratia, omne autem peccatum contrariatur gratiæ; ergo &c. nec obstant peccata oblita; quia qui habet contritionem in genere, dolet etiam de oblitis; & sic per pœnitentiam remittuntur. Sot. in 4.d.15.ar.3. D. Tho.3.p.q.86.ar.5. & est de fide. patet, quia Christus quando sanabat aliquem, perfectè sanabat; vt patet de surdo, muto, & Dœmoniaco habente

legionem

legionem Dominum. probatur ex August. l. de vera, & fals. pœnit. cap. 9. *Quædam impietas, & infidelitatis genus est, ab eo qui iustus est, dimidiam sperare iustitiam, & veniam*. De potentia verò Dei absoluta non potest remitti vnum peccatum sine alio quoad maculam, offensam, & auersionem, sed tantum quoad reatum pęnæ. Prima pars probatur, nam sequeretur hominem esse simul auersum, & conuersum; amicum, & inimicum; iustum, & iniustum; gratum, & ingratum; quę implicant. Secunda pars probatur. nam potest remitti vna pęna, & alia detineri. Vltimò dico, non videtur possibile, quòd aliquis possit verè pęnitere de vno peccato, & non de alio; contra Medinam. probatur, nam ratio formalis pœnitentiæ est, quatenus dolet de peccato vt offensa Dei; ergo ei debet displicere totum quod est contra Deum quem offendit. Confirmatur; nam pœnitentia nascitur ex dilectione Dei super omnia; ergo necessariò debet detestari totum id quod est contra Dei amorem.

Vigesimumquintum dubium. An per pęnitentiam remittatur culpa, manente interdum reatu pęnæ temporalis. Resp. Docet D. Tho. 3. p. q. 86. ar. 4. auersioni respondere pœnā æternam. Conuersioni verò per se pęnam temporalem quæ in damnatis per accidens est æterna; quia cùm illi sint inimici Deo, nunquam poterunt satisfacere illi, pęna temporali; nam illa satisfactio quæ est ab inimico nō est valida, nec acceptabilis. Durandus tamen dicit quòd non solum auersioni, sed etiam conuersioni debetur pœna æterna, quia is qui adhæsit bono commutabili spreto Deo, debetur cruciatus æternus. Vtraq; sententia bona est. Et Dico, per pęnitentiam semel cùm culpa remittitur reatus pœnæ æternæ. patet ex Trid. sess. 6. can. 14. de iustif. & sess. 14. can. 8. de pœnit. ratio est, quia cùm per peccatum homo læserit amicitiam Dei, & iustitiam; fit vt quamuis per pœnitentiam amicitiam recuperaret, tamen ratione iustitiæ soluat pœnas vel in hac vita spontaneas, vel in purgatorio. probatur exemplo Dauid. 2. Reg. 12. cùm enim dimissum esset peccatum, punitur tamen morte filij. D. Tho. 3. p. q. 86. ar. 4. Sot. in 4. d. 11. q. 1. ar. 4. potest tamen aliquando esse tanta contritio, vt totam pœnam remittat. vt patet in Latrone, & Magdalena.

Vigesimumsextum dubium. An remisso peccato mortali

per pœnitentiam remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus effectæ, quæ dicuntur reliquiæ peccati à Theologis; vt est praua illa dispositio, & si frequentetur nascitur habitus, qui habitus & dispositiones, vocantur reliquiæ peccati. Resp. affirmatiuè,& manent etiam in iustificatis, vt patet experientia; quoniam habent difficultatem in illo peccato. remanent tamen debilitatæ, & diminutæ, ita vt homini non dominetur, & hoc magis per modum dispositionum, quàm habituum; sicut post baptismũ remanet fomes. Trid. sess. 14. cap. 8. Origen. hom. 8. in Leuit. D. Tho. 3. p. q. 86. ar. 5. & Sot. ibid. hoc tamen intelligi debet regulariter; nã potest esse vt aliquis adeo diligenter conuertatur ad Deum, vt auferantur etiam reliquiæ, ad has autem tollendas si remanent vsq; ad mortem, instituta est extrema vnctio.

Vigesimumseptimum dubium. An pœnitẽtia sit causa remissionis peccati, & iustificationis. Resp. & nota, in peccato esse quatuor; Auersionem, offensam, maculam, & reatum. Item, duo concurrere in iustificatione; remissionem peccati, & infusionem gratiæ. Item, quatuor causas concurrere ad iustificationem; efficientem, & principalis est Deus; Christus, meritoriã; Sacramentum instrumentalis: Finalẽ, gloria Dei, & vita æternã; formalem, gratiã, & virtutes infusã: materialem, pœnitens cum suis actibus. Scot. in 4. d. 14. q. 1. ar. 2. dicit, contritionẽ quæ est actus pœnitentiæ dupliciter concurrere ad remissionem peccati. Primo, vt est informis, & sic solum est dispositio. Secundo, vt est formata, & sic concomitanter se habet cum remissione peccati. Sot. in 4. d. 15. q. 1. ar. 6. dicit pœnitentiam dupliciter considerari; vel ex se, & sic non est causa, sed dispositio gratiæ, & remissionis peccati. Vel vt procedit à gratia, à qua formatur, & sic est causa efficiens remissionis peccati. Ego dico, non est dubium pœnitentiam vel vt virtus est, vel vt Sacramentum, remittere peccatum. Probatur vt Sacramentũ; quia omne Sacramentum nouæ legis est causa gratiæ, & remissionis peccati, vt supra diximus, tract. 1. cap. 4. dub. primo. probatur vt virtus est, ex omnibus scripturæ locis, vbi dicitur esse pœnitendum in remissionem peccatorum. Et nos supra probauimus dub. decimoquinto, pœnitentia remittit peccatum materialiter, efficienter, & formaliter. primo materialiter, quia est dispositio ad gratiam, & remissionem peccati. & omnis

nis dispositio se tenet ex parte causæ materialis. Secundo efficienter, inquantum ipsa est cum gratia cooperante, quæ cum libero arbitrio remittit efficienter ipsum peccatum. & vt Sacramentum etiam efficienter instrumentaliter causat gratiā, & cum gratia instrumentaliter causat remissionem peccati. Tertio formaliter etiam tollit auersionem; quia conuersio pœnitentiæ formaliter opponitur auersioni peccati, & vnum contrarium tollitur per aliud. De alijs verò quæ in peccato sūt, Dico; offensa formaliter tollitur per Christi merita nostris actibus applicata, quia Deus maximè placatus est, & placatur Christi meritis. Macula formaliter per acceptationem ad gratiam, & eius infusionem; quia eius formale oppositum est, acceptare ad gratiam. Reatus pœnæ per actum diuinæ voluntatis nolentis punire: quia sicut voluntas Dei ordinauerat ad pœnam, ita eadem tollit pœnam formaliter.

Vigesimumoctauum dubium. An ad remissionem peccati venialis sit necessaria pœnitentia actualis. Resp. & nota primo, quòd quamuis peccatum veniale non separat nos perfectè à Deo, tollendo principium vitæ .i. gratiam sicut peccatum mortale, tamen separat imperfectè citra imperfectionē à Deo, quia retardat mentem ne ita promptè feratur in Deum. Sicut lapis quamuis retineat suam grauitatem, tamen retardatur aliquo impedimento ne tendat ad centrum. ideo peccatum mortale est simpliciter contra legem; veniale est præter legem. Secundo, vtrunque peccatum tam mortale quàm veniale deletur per pœnitentiam; quia hac homo Deo conifigitur. quare ad remissionem venialis necessarium est aliquod genus pœnitentiæ per quod remoueatur voluntas ab illo creato cui inhæret. Tertio, ad remissionem venialium non requiritur actualis expressa, & diligens pœnitentia, quæ requiritur ad remissionem mortalis. nec sufficit habitualis, quæ habetur per habitum charitatis, vel virtutis pœnitentiæ, sed requiritur displicentia virtualis, quæ contingit dum quis eo affectu fertur in Deum, & res diuinas; vt quicquid sibi occurreret qui eum ab hoc motu retardaret displiceret ei, & doleret se cōmisisse, etiā de illo non cogitet. quæ tamen non sufficit ad remissionem mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem. Quarto, nullus actus, nec feruor charitatis remittit vllum peccatum veniale quando adest eius complacen-

tia, aut propositum. Item nullus actus, aut feruor charitatis remittit vllum peccatum veniale, etiam absente eius complacentia, & proposito, nisi illi qui est ipsi veniali peccato contrarius; quia nihil expellitur nisi per suum contrarium, & illa sola dicitur pœnitentia virtualis. ideo autẽ est contrarius aliquis actus peccato veniali, quia si illius peccati cogitatio menti occurreret, displiceret ei, & doleret se commisisse, & iste reputatur feruor charitatis respectu illius peccati contrarius, vt docet Sot. contra Scot. in 4. d. 15. q. 1. ar. 1. Quinto, ad remissionem venialis non requiritur vt habitus gratiæ infundatur, sed sufficit motus eius, & charitatis. quandocunq; tamen de nouo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur, nisi ponatur obex. Sot. supra cit. ar. 2. & D. Tho. 3. p. q. 87. ar. 3.

Vigesimumnonum dubium. An peccatum veniale remittatur per Sacramenta, & Sacramentalia ex opere operato. Resp. remitti venialia oratione dominica, aqua benedicta, Eucharistia, confessione generali, eleemosyna, & benedictione Episcopali. Vnde versus. *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens*. De oratione dominica, habetur can. quotidianis de pœnit. d. 3. de quotidianis, & leuibus peccatis satisfaciat oratio dominica. De aqua benedicta habetur can. aquam. de consecr. d. 2. de cuius institutione non est modo disputandum; vsus eius est antiquissimus, cuius meminit Alexander v1. à S. Petro cępisse. de consecr. d. 3. meminit Clemens l. 8. constit. Apostolic. Cassiodor. l. 9. histor. tripar. cap. 33. vbi refert quodam miraculum. De Eucharistia habetur can. cùm omne crimen. de consecr. d. 2. quamuis enim hoc commune sit omnibus Sacramentis, peculiariter tamen tribuitur Eucharistiæ, tũ quia datur per modũ refectionis, tũ quia per illã excitatur deuotio charitatis, cui peccata venialia cõtrariantur. De cõfessione generali nõ est textus expressus, sed Ecclesiastica consuetudo, ideo dicitur in prima, in cõpletorio, & in introitu missæ; vt ait Sot. in 4. d. 15. q. 1. ar. 3. De eleemosyna, habetur cap. de medicina. de pęnit. d. 1. & capite sanè d. 3. De benedictione Episcopali, habetur can. multi. can. benedictio. 1. q. 1. & est vsus Ecclesiæ ex antiquissima traditione. Remittũtur etiã tunsione pectoris, vt habetur can. tres sunt actiones, de pęnit. d. 1. & can. sicut inquit. d. 2. Et sacra vnctione; vt Regum, templorum, & mo-

& monialium &c. vt habetur can. cum venissem. §. 1. Victor. q. 110. alij addunt esum panis benedicti, meminit Chrysost. in sua quadam liturgia. Dices, quam virtutem habent hæc prædicta Sacramenta, & Sacramentalia ad remittenda peccata venialia? Resp. quodlibet Sacramentum ex opere operato remittit veniale, tum quia magnum est Sacramentorum priuilegium, tum etiam quia venialia sunt leuia. Reliqua verò Sacramentalia habent hoc ex vi clauium Ecclesiæ ex opere operato; vt patet ex verbis quibus benedicitur aqua; alioqui non haberet maiorem vim quàm alia, si solã excitarent mentem. & sic intelligendus est D. Tho. 3. p. q. 86. ar. 3. ad 1. vbi dicit, quòd hæc remittunt veniale, quatenus inclinant animum ad modum pœnitentiæ: non quòd semper requiratur illa excitatio, sed quòd ex se sint ad hæc instituta; quare illa suscipere tanquam per illum effectum ab Ecclesia accommodata, censetur actus pœnitentiæ: quamuis in oratione dominica, tunsione pectoris, & confessione generali appareat expressior imago. Sot. supra cit. ar. 31. Victor. q. 110.

Trigisimum dubium. An in purgatorio remittatur peccatum veniale. Resp. fuit error quorundam quos citat Magist. in 4. d. 21. dicentium, in vltimo fine vitæ vel dolere hominẽ de quibusdam venialibus, vel non dolere, si non peccant mortaliter; quia retardant sibi ingressum patriæ. Hæc opinio falsa est, & erronea. falsum est enim omnes dolere, aut non dolere de venialibus, quia multi dormientes possunt mori. Falsum est etiam quòd in tali casu sit mortale non dolere de veniali, quia nunquam poterit esse maior malitia non dolendi quàm peccatum de quo non dolemus. Falsum est quoque quòd retardare gloriam hoc modo sit mortale; nam omnes qui desiderant longam vitam peccarent mortaliter, nisi sit in contemptum gloriæ. Alexander Alens. in 4. p. q. 13. m. 3. dicit per gratiam finalem in qua homo decedit, omnia venialia remitti. ponit enim triplicem gratiam; baptismalem, pœnitentialem, & finalem. Scot. in 4. d. 21. concedit remitti in purgatorio veniale quando definit pœna purgatorij: nam tenet quòd remitti peccatum sit tolli ordinationem ad pœnam. Opinio communis est D. Tho. Bonau. Ricar. & aliorum in 4. d. 21. Quare dico, verè, & propriè remitti veniale in purgatorio. Dixi *Verè & propriè* contra Scot. probatur primo, ex Matth. 12.

Non

Non remittetur neq; in hoc seculo, neq; in alio; ergo est aliquod peccatum quod in futuro seculo remittitur,non mortale, ergo veniale. Secundo ex August.l.21. ciu. cap. 26. Greg. l. 4.dial.& in cap.12. Matthæi, & Theophyl.ibid. Tertio probatur ratione: potest enim esse vt aliquis moriens habeat cõplacentiam peccati venialis, iste talis non est damnandus, neq; potest ingredi cœlum nisi purgetur à veniali;ergo in alia vita remitti debet. Dico, quomodo ibi operabitur ille talis? Resp. D. Tho. q.7.de malo.ar.11. per actum dilectionis, sicut in hac vita. Resp. Bonau.supra cit. per ignem tolli.i.per pacientiam in igne.

Trigesimumprimum dubium. An peccatum veniale possit remitti sine mortali. Resp. Dur. in 4. d.16.q.1.ar.2. Gabr. d.16.q.5. Sot. d. 21.q. 1. affirmant. & Scot.ait veniale in inferno remitti: remitti enim peccatum non est aliud (vt ait) quàm tolli ordinationem ad pœnam. Nihilominus dicendum est cum D.Tho.3.p.q.87.ar.4. Palud. in 4.d.16.q. 1.ar.1. Caiet. Riccar.& alijs Thomistis: nullum veniale remitti illi qui est in peccato mortali; quia remissio non fit sine gratia; huic autem repugnat peccatum mortale.ergo &c.quare contraria est falsa. probatur Eccles. 34.*Dona iniquorum non probat altissimus*. Isa. 1. *Quid mihi multitudinẽ victimarum vestrarum*; *ne offeratur sacrificium frustra*. 1.Cor.13.*Si distribuero omnes facultates meas &c.charitatem autem non habeã, nihil mihi prodest*. Matt. 6. *Si non dimiseritis, nec pater dimittet vobis*. Vnde si veniale posset dimitti sine mortali, daretur casus in quo aliquis non dimitteret, & dimitteretur. Gen. 4. *Respexit Deus ad Abel, & munera eius; ad Cain autem non*. Secundo, nulla deordinatio peccati etiam venialis potest tolli nisi aut per compensationem, aut per meram Dei liberalitatem; sed neutro modo potest tolli veniale ab eo qui est in mortali; nam si Deus gratis mihi dimittit, iam facit me amicum. quòd autem non possim compensare existens in mortali,patet:quia nulla compensatio est idonea coram Deo, nisi nascatur ex gratia. Dices, quare Deus non vult acceptare illa opera bona. Resp. quia illa sibi debentur alio titulo. Idcirco non vult illa acceptare ad remissionem peccatorum, nisi facta eum gratia. Dices, sequeretur veniale puniri pœna æterna in eo qui moreretur cum peccato originali, & veniali

niali. vel in damnatis qui haberēt mortalia & venialia. Resp. per se veniali debetur pœna temporalis ; per accidens verò punitetur pœna æterna in inferno, ratione personæ quæ non potest satisficare in inferno. Idem dicendum de pœnis temporalibus non solutis, pro pœnis non solutis peccatorum dimissorum in hac vita; D. Tho. in 4. d. 21. q. 1. ar. 2. q. 3. confirmatur ; quia neq; in hac vita satisfactiones quæ fiunt ab his qui sunt in peccato mortali, validæ sunt.

Trigesimumsecundum dubium. An peccata dimissa redeāt per sequens peccatum. Resp. peccatum per pœnitentiam remissum non potest redire per sequens peccatum quantum ad culpam, nec quantum ad reatum pœnæ sensus, sed solum quantum ad pœnam damni aliquo modo ; quia eodem modo priuatur visione diuina. & sic intelligitur illud Iacobi cap. 2. *Qui peccauerit in vno, factus est omnium reus.* probatur ex Ezechiele 18. *Peccatorum eius non recordabor amplius.* Naum 1. *Non consurget bis tribulatio.* Iacob. *Qui dat omnibus affluēter, & nemini improperat.* Matth. 16. *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt.* Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei.* Secundo, patet in humanis. cum quis dimittit pœnas, ex sequenti delicto non amplius exiguntur. Tertio, pro peccatis dimissis facta est recumpensatio per me, & satisfactio per Christū data, & acceptata à Deo, ergo videtur fieri iniuria satisfactioni Christi. Quarto, patet ex extrauag. Benedicti, super cunctas. ex Gelasio cap. si diuina. pœnit. d. 4. Ex August. ibid. cap. qui redit. Dicuntur tamen redire peccata dimissa per sequens peccatum, ratione ingratitudinis, quæ aggrauat peccatum. quod non est simpliciter redire, & absolutè, sed secundum quid. D. Tho. 3. p. q. 88. Sot. in. 4. d. 16. q. 1. Victor. q. 3. quare peccata remissa non redeunt simpliciter, sed secundum quid, inquantum virtualiter in peccato sequenti continentur. neq; verò ingratitudo est speciale peccatum, nisi quando aliquis peccaret in contemptum accepti beneficij. D. Tho. supra. ar. 4. Dices, an ingratitudo quando est circunstantia sit confitenda. Scot. in 4. d. 22. q. 1. ar. 3. dicit necessarium esse hominem in generali se accusare de ingratitudine. Alij dicunt esse confitendam non ratione sui, sed vt intelligat Confessarius statum pœnitentis, & occasionem in qua est. Ego dico primo, quando ingratitudo est speciale peccatum, est

confitenda.

confitenda. Secundo, quando est circunstantia, vtile est confiteri. & fortè in aliquo casu est necessarium quando inde necessariò deberet patere Confessario aliqua occasio peccati: quod aliquando posset contingere quando quis mutat Confessarium. Tertiò, communiter non est necessarium, tum quia illa circunstantia non mutat speciem; tum quia rarò est occasio proxima peccati; tunc enim esset aperienda in confessione. tum quoq; quia non est in vsu vt confitens confiteatur de hoc.

Trigesimumtertium dubium. An per pęnitentiam virtutes restituantur, & gratia, &c. Resp. per pęnitentiam restitui gratiam, & virtutes omnes infusæ, quæ gratiã comitantur. Est communis sententia D. Tho. 3. p. q. 89. ar. 1. Sotus in 4. d. 16. q. 2. ar. 1. & patet de filio prodigo Luc. 15. cui reddita est stola, & reliqua ornamenta. Secundo, quia pœnitentia homini dat gratiam, sed cum gratia conferuntur virtutes; ergo &c. Per pænitentiam autem non semper resurgit homo ad maiorem gratiam quæ erat illa à qua cecidit, nec ad æqualem, sed secundum proportionem contritionis quam habet, vt tenet D. Tho. supra. ar. 2. Victor. q. 112. & hæc est probabilior sententia. probatur; tũ quia gratia debetur secundum dispositionem, sed contritio est dispositio; ergo &c. Præterea dico quòd ratione contritionis non solum confertur resurgenti æqualis gratia, sed etiam nouus gradus ratione meritorum mortificatorum quæ tunc viuificantur, quia etiam ad hoc est dispositio. Postremo dico, quòd his qui huiusmodi conatu quem per auxilium Dei habere potest, resurgit, præter gradum gratiæ respondentem contritioni, recuperat omnem gratiam à qua ceciderat siue magna fuerit, siue parua; quia si posita dispositione ponitur effectus, ergo posita summa dispositione, ponitur summus effectus. est doctrina D. Thomæ, quam expo nit Sotus supra ar. 2.

Trigesimum quartum dubium. An per pęnitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem. Resp. Potest homo per pœnitentiam restitui ad pristinam dignitatem quam amisit per peccatum, ad Dei .s. filiationem. innocentiam autem amissam recuperare non potest. recuperat tamen quandoque aliquid maius. Ecclesiasticam verò dignitatem quam peccando amisit, recuperare prohibetur; vel quia non pœnitet, vel quia negligentem pœnitentiam agit; vel propter irregularitatem:

tatem: vel deniq; propter scandalum, vt ait D. Tho. 4. p. q. 79. ar. 3. Sot. in 4. d. 16. q. 2. ar. 3. Sed est

Trigesimũquintum dubium. An virginitas recuperari possit per pœnitentiam. Resp. in virginitate primo considerari integritatem carnis. Secundo, inexperientiam impudicæ voluptatis. Tertio, propositum firmum non experiendi illam voluptatem. Primum per accidens se habet ad hanc virtutem virginitatis. quia eatenus est necessaria, quatenus propositum non experiendi impudicas voluptates infert integritatem carnis. Dixi *per accidens*, quia si alio modo pereat illa integritas quàm ex defectu illius propositi, non perit virginitas, iuxta illud sanctæ Luciæ; *Si inuitam violari feceris, castitas duplicabitur ad coronam*. Secundum est materiale in virginitate. Dixi *impudicę voluptatis*. quia si alio modo voluptas illa sentiretur quàm ex defectu propositi, non esset impudica; nec tolleret virginitatem; vt ex inuoluntaria seminis effusione, vel ex infirmitate &c. Tertium est formale in virginitate; vnde siquis sine isto proposito haberet integritatem carnis, non esset virgo. an autem hoc propositum debeat esse voto firmatum? Ita videtur dicere D. Tho. 2. 2. q. 152. ar. 2. 3. & 4. ego non ita credo; satis enim est propositum firmum. Secundo dico, quòd integritas carnis amissa, per Dei potentiam absolutam potest recuperari, ac resarciri. Secundo, illud materiale per nullam potentiam recuperari potest semel amissum. & in hoc sensu ait Hieronym: Deum non posse facere, vt quæ corrupta fuit, sit virgo; nam implicat contradictionem. Tertio, propositum verò quod est formale, D. Tho. ibid concedit posse restitui. sed non erit eo modo quo erat antea; nam tunc erat propositum absolutæ castitatis, nunc est cum conditione .i. si adesset illa castitas, seruaret.

Trigesimum sextum dubium. An opera virtutum mortificentur per peccatum mortale. Resp. opera in charitate facta dicuntur mortificari per peccatum mortale; quatenus suspenduntur quousq; homo per gratiam (quæ est eorum radix) fiat dignus eorum præmio. per pœnitentiam verò talia opera mortificata reuiuiscunt, inquantum per eam suscipiunt efficaciam perducendi ad vitam æternam; quam efficaciam habent quatenus remanēt in acceptatione diuina. D. Tho. 3. p. q. 89. ar. 5. Sot. supra. ar. 1. Opera verò mortua .i. peccata mor-

talia, est impossibile viuificari per pœnitentiam; quia non processerunt ex gratia quæ est principium vitæ, & iam transierunt; ergo non possunt vificari. D. Tho. & Sot. sup. ar. 6.

Trigesimum septimum. Quæ sint partes integrales pœnitentiæ. Resp. esse tres; contritionem, confessionem, & satisfactionem: nam ex his tribus gerentibus vicem materiæ informatæ per formam absolutionis integratur Sacramentum pœnitentiæ. dicuntur autem partes integrantes, ad differentiam partium essentialium, qualis est materia, & forma. & subiectiuarum; sicut species dicuntur partes generis. & ad differentiam partium potentialium, quomodo religio & pietas dicuntur partes iustitiæ. D. Tho. & Sot. supra ar. 3. Dices, an istæ partes sint pœnitentiæ vt virtutis, an vt Sacramenti? quòd sint virtutis, videtur; quia hæc requirit vt homo perfectè reconcilietur etiam Ecclesiæ, quod non fit sine accusatione delicti, & satisfactione. Quòd non sint partes pęnitentiæ vt Sacramenti, videtur; quia satisfactio est potius fructus pęnitentiæ, quàm pœnitentia. tum quia illæ partes sunt à pęnitente potius, quàm à Sacerdote; Sacramenti autem minister est Sacerdos. tum quia istæ partes non possunt esse simul. & ex consequenti non possunt integrare Sacramentum. Resp. primo, istas non esse partes propriè loquendo pęnitentiæ virtutis, licèt sint actus illius vel eliciti, vel imperati. Sunt verò partes Sacramenti pęnitentiæ, & partes integrales materiæ, vt docet D. Tho. 3. p. q. 90. ar. 4. Nec obstat quòd satisfactio sit fructus pœnitentiæ; nam est fructus ratione virtutis pęnitentiæ, & tamen est pars integralis assumpta ad Sacramentum ipsum pœnitentiæ. Nec obstat quòd minister Sacramenti sit Sacerdos; quia licèt isti actus sint à pœnitente, tamen non sunt Sacramentum, nisi vt coniunguntur clauibus, quæ se tenēt ex parte Sacerdotis. Sicut materia habet totum suum esse à forma. Nec obstat tertium, quia istæ non sunt partes integrantes aliquod totum substantiale permanens; sed sicut integratur oratio, quæ est totum quodam discretum ex suis partibus, quæ sibi succedunt mutuò. Et hæc de pęnitentia in genere. Sequitur nunc de eius materia differere; quæ quoniam duplex est, remota, & propinqua; remota sunt peccata; propinqua est peccatum ipsum contritioni, confessioni, & satisfactioni expositum; idcirco priùs de remota dicamus, idest

ideſt de pecccato in genere.

De peccato in genere. Cap. II.



RImum dubium. Quid eſt peccatum. Reſp. *Eſt receſſus voluntarius à regula diuina*. eſt *receſſus*, ideſt fuga quædam, & declinatio, non eſt enim aliqua ſubſtantia. *à regula*, declinatio enim à regula eſt peccatum, regula namq; eſt principium dirigens operationes hominis ad finem. nam tradit qualiter, quomodo, & quando eſt operandum ad finem. quando igitur aliquis diſcedit à regula, non facit iuxta regulam. *diuina*, quoniam non quicunque receſſus à regula dicitur peccatum, ſed à regula diuina. Duplex namq; eſt regula; artis, & moris. Artis eſt, quæ docet qualiter opus fieri debet vt conſequamur finem artis. receſſus ab hac regula non eſt peccatum de quo loquimur. Regula moris eſt; quæ docet qualiter ſit operandum vt homo ſtudioſè, & ſecundum virtutem operetur. Hæc regula dicitur diuina; quia omnes virtutes ſiue acquiſitæ, ſiue infuſæ ſunt à Deo, & ad Deum nos reducunt. quando igitur aliquis non ſe confirmat huic regulæ, tunc eſt peccatum. Hæc regula morum continetur in præceptis virtutum. Dicitur etiam receſſus *voluntarius*, tres enim conditiones debet habere aliquis actus vt ſit voluntarius, & cõſequenter vt ſit peccatum; prima conditio, vt ille actus ſit elicitus, vel imperatus à voluntate. tunc eſt elicitus, quando eſt productus à voluntate, vt eſt velle. tunc eſt imperatus, quando eſt aliarum potentiarum, ſed imperatur à voluntate; vt videre, eſt actus voluntarius, quia imperatur à voluntate, licèt actus in ſe producatur ab alia potentia, nempe viſiua. Actus autem vt ſit voluntarius, requirit vt ſit elicitus, vel imperatus à voluntate; vnde ſequitur quòd quando non eſt elicitus, nec imperatus à voluntate, non poteſt eſſe peccatum. hinc excuſantur multi ſcrupuloſi. Secunda conditio eſt, vt ita ſit à voluntate, vt ſit cum libertate, ideſt vt ſit talis actus, vt poſſit voluntas hominis non elicere illam, vel non imperare. Hinc

excusantur multi, qui ex nimia cholera prorumpunt in desiderium vindictæ. Tertia conditio est, vt procedat ex scientia, qua homo scit illum actum esse contra regulam; nam si nesciebat, nec tenebatur scire esse contra regulam, non est peccatum. vt si quis in vigilia oblitus sit esse vigiliam, & sicut solet facit collationem, recedit à regula, & liberè facit, tamen non peccat; quia ex ignorantia; quando verò hæc ignorantia excuset nec ne, dicemus infra. Alia peccati definitio est hæc: *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei*. August. l. 22. contra Faustum, cap. 27. tomo 6. & est ab omnibus recepta in 2. d. 35. & à D. Tho. 1. 2. q. 71. ar. 6. hæc autem definitio directè cōpetit peccato mortali actuali, secundum omnes in dicta dist. potest tamen conuenire peccato veniali, & originali; nam peccatum originale est aliquo modo dictum, factum, & concupitum contra legem Dei, quia est voluntarium per voluntatem saltem interpretatiuam. similiter potest conuenire veniali: quia hoc aliquo modo est contra legem Dei, quatenus .s. non est secundum illam; sed præter illam. Conuenit etiam peccato omissionis, hoc enim comprehenditur sub ly concupitum. nam cùm omissio eatenus sit peccatum quatenus est voluntaria, quando quis v. g. vult omittere sacrum die festo, iam concupiscit aliquid contra legem Dei. Potest autem aliquid esse volitum dupliciter, vel in se, vel in sua causa; Caiet. 2. 2. q. 150. ar. 4. vt autem aliquid sit volitum in causa, duo requiruntur; alterum, vt fuerit præuisum in illa causa; alterum, vt homo possit, & teneatur illud vitare. Item potest aliquid eligi dupliciter: Primo, formaliter, & explicitè; Secundo, virtualiter, & implicitè. v. g. ille secundum se vult omittere sacrum die festo, qui explicitè deliberat illud non audire. ille verò formaliter vult in sua causa, qui videt ex aliquo imminere sibi periculum omittendi sacrum, nec illud euitat. Ille autem vult omittere virtualiter, & implicitè in sua causa, qui potuit, & debuit præuidere periculū cui se exponebat, non tamen præuidit ex negligentia. vel quia noluit. quando ergo omissio est talis quæ solet semper vt plurimum ex illa causa, idq; ipse sciebat, tunc licèt non præuiderit formaliter, imputatur tamen illi ac si præuidisset. vt v. g. qui tota nocte præcedente festum lusit, & tempore audiendi missam cæpit dormire, iam illi imputatur, quia præuidit.

præuidit. Ex dictis sequitur veram esse illorum sententiam, qui dicunt nullo modo posse esse peccatum omissionis absque aliquo actu vel præcedente, vel concomitante, qui sit causa per se, vel per accidens talis omissionis, vt ait D. Tho. q. 21. de malo. ar. 1. & 1. 2. q. 71. ar. 5. Hen. de Gandauo quodl. 12. q. 35. Capr. in 2 d. 35. q. 1. concl. 2. Explico; ad omissionem eius ad quod aliquis tenetur, actus dupliciter se habere potest; aut enim directè fertur in ipsam omissionem, vt quando quis vult non audire sacrum, & talis actus per se concurrit ad omissionem tanquam causa eius; aut potest esse actus qui non feratur directè in omissionem, sed se habet per accidens ad illam. Hoc autem dupliciter potest contingere; aliquando enim actus ille est coniunctus cum ipsa omissione, quando quis tẽpore sacri ludit; aut præcedit omissionem, vt quando quis nocte vigilauit, & tempore audiendi sacrum, dormit. patet igitur non dari omissionem sine actu. quò fit, vt peccatum omissionis non solum referri possit ad particulam *concupitum*, sed etiam ad ly *factum*.

Secundum dubium. quotuplex est peccatum. Resp. peccatũ diuiditur in originale, & actuale. Actuale diuiditur multipliciter. prima diuisio est in spirituale, & carnale, ex Gregor. l. 31. mor. cap. 41. i. in septem peccata mortalia, quorum duo sunt carnalia, Gula, & Luxuria. reliqua sunt spiritualia. spirituale est quod consumatur in delectatione spirituali, & sola apprehensione, vt superbia, inuidia &c. Carnale est quod perficitur in delectatione carnali, vt gula, & luxuria D. Tho. 1. 2. q. 72. ar. 2. Secunda diuisio, est Isidori l. de summo bono. in peccatũ contra Deum, contra proximum, & contra seipsum; nam peccatum est deuiatio ab ordine. homo autem habet hunc triplicem ordinem: cum Deo, cum proximo, & cum seipso; D. Tho. supra ar. 4. Petrus Sot. in instit. Sacerd. sect. 11. de distinct. peccati. Tertia diuisio in peccatum mortale, & veniale; quæ sumitur ex reatu, ideo non constituit diuersas species. mortale enim, & veniale possunt esse in eadem specie, D. Tho. ibid. ar. 5. differunt autem inter se, quòd mortale est illud quod deordinat nos à fine. Veniale verò à medijs. mortale enim inducit mortem animæ, & priuat illam gratia Dei. Nota, quòd sicut anima dicitur quæ dat corpori operationem ab intrinseco vt per se moueatur; vnde quando res ante se habebat ope-

ratio-

rationem, iam non habet, est mortua, & vita priuata. gratia Dei dat animæ vt moueatur, & faciat operationes in suum finem ad Deum ipsum, propterea gratia dicitur anima animæ nam deficiente gratia, anima nullam facit operationem dignā vita æterna. sicut igitur vulnus dicitur mortale quia excludit vitam à corpore, sic peccatum dicitur mortale, quia excludit gratiam ab anima. Dices; hinc sequi, secundum peccatum non esse mortale, quia non habet gratiam quam possit perdere. Resp. dici peccatum mortale non quia semper aufert gratiam, sed quia de se illam aufert si inuenit. Peccatum veniale est quod non priuat animam gratia; sed priuat hominem aliqua perfectione amoris; non enim ita perfectè amat Deum qui peccat venialiter, ac qui non peccat. Dicitur veniale, quia facilè remittitur. Nota, quòd aliud est peccatum de genere suo mortale; aliud mortale de facto. Idem de veniali, aliud est veniale de genere suo; aliud veniale de facto. Mortale de genere suo est, quod est contra præceptum Dei, licèt possit esse vt impediatur ne de facto sit mortale. impeditur autem duplici de causa, vel ex leuitate materiæ, vt furari vnum trientem; vel ex indeliberatione actus quando erat contra præceptum Dei, sed non fuit plenè in potestate hominis; vt siquis ex nimia ira voluit occidere hominem. Rursus, veniale ex genere est quando non peccat homo contra præceptum Dei, sed peccat in hoc, quòd cùm deberet omnes suas actiones ordinare in Deum, facit aliquid non propter Deum. aliquando tamen de facto fit mortale. Primo ex præparatione animi, quando aliquis sic peccat in paruo, quòd est paratus peccare etiā in magno. Secundo ex conscientia erronea; quādo aliquis existimat se peccasse mortaliter, sed in veritate nō peccat. Tertio, quādo peccatū veniale ordinatū est in finē mortalē, vt dicere mendaciūiocosum vt fornicetur. Quarto, quando sequitur aliqua grauis materia, quæ per se faceret peccatū mortale; puta si sciam aliquem esse blasphematurum si ei dicam verbum conuiciosum leue. Quarta diuisio peccati, in peccatū cōmissionis, & omissionis, quæ formaliter, & propriè loquēdo non differunt specie; quia ad idē ordinantur, & ex eodem motiuo procedunt: nam gulosus comedit superflua ad satisfaciendum gulæ, & recentia debita prætermittit propter eundem finem. D. Tho. supra. ar. 6. Quinta diuisio est Hieron.

super

ſuper Amoſ. in peccatum cordis, oris, & operis; nam ſicut in diuerſas ſpecies completas conſumatio peccati eſt in opere, prima tamen inchoatio eſt in corde. Secundus gradus in ore. Tertius, in opere. D. Tho. ſupra, ar. 7. Hoc autem triplex peccatum poteſt tribus modis in aliquo reperiri. Primo, vt vnumquodq; eorum ſit perfectum; vt odium, infidelitas, contumelia, furtum, & ita diſtinguuntur ſpecie. Secundo, vt concurrunt in eodem opere, vt quando quis vult hominem occidere, id cogitat, loquitur, & opere exequitur, & tunc eſt vnum peccatum ſpecie. D. Tho. ſupra. ad 3. Tertio, vt ſunt gradus diſtincti eiuſdem peccati; vt aliquis cogitans de re turpi, ibi ſiſtit. Similiter quando loquitur &c. & hoc modo intelligitur D. Tho. ſ. quãdo hæc diuiſio datur ſecũdũ diſtinctos gradus eiuſdẽ formæ. Omnia autem peccata diſtinguuntur inuicem ſecundum obiecta, ſiue ſecundum fines; vt furtum, & homicidium differunt obiecto, ſeu fine, quod idem eſt; quia finis habet rationem boni, quod eſt obiectum voluntatis; D. Tho. 1.2.q.72.ar.1. & 3. Item, peccata diſtinguuntur ſpecie ſecundum ſuperabundantiam, & defectum. Imo talia ſunt contraria; vt liberalitas, & prodigalitas, D. Tho. ibid. ar. 8. Item, circunſtantiæ nõ diſtiguunt peccata ſecundum ſpeciem, niſi habeant diuerſum finem; D. Tho. ar. 9. & nos infra, dubijs ſequentibus.

Tertium dubium. De circunſtantijs peccati. & quid eſt circunſtantia. Reſp. circunſtantia eſt accidens actus humani, attingens illum extrinſecè, vt patet ex nomine. & quia eſt extra ſubſtantiam actus, & ad illum pertinet; ergo eſt accidens. D. Tho. 1. 2. q. 7. ar. 1. Sylu. verb. circunſt. hæ verò circunſtantiæ ſunt ſeptem, quæ hoc verſu continentur. *Quis quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* D. Tho. q. 7. cit. ar. 2. & in 4. d. 16. & alij ibid. ex Ariſt. l. 3. ethic. cap. 1. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 17. §. 4. Nau. cap. 6. num. 2. Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 4. & Summiſtæ verb. circunſt. Addit Raimund. *quoties*, ſed reijcitur à Sylu. Nau. & alijs. nam numerus non eſt circunſtantia, ſed potius multiplicatio actus. Nota primo, quòd inter has circunſtantias prima eſt (finis). i. cuius gratia fit aliquid. Secunda eſt (quid) quæ attingit ipſam ſubſtantiam actus. aliæ verò ſunt magis & minùs principales, prout ad has magis, vel minùs accedũt. D. Tho. q. 7. cit. ar. 4. hæ verò circunſtantiæ

non

non sunt considerandę respectu actus interni. neq; sunt sumendæ respectu actus exterioris in esse naturali, sed in esse morali. D. Tho q. 7. cit. ar. 1. quicquid dicat Dur. Secundo nota; quòd cum finis dicitur esse circunstantia, non intelligitur de fine proximo qui coincidit cum obiecto, & dat esse morale actui, sed de extrinseco superaddito. v. g. siquis fortiter agit propter bonum fortitudinis, est finis proximus, seu intrinsecus. si autem ob defensionem patriæ, est finis extrinsecus, & circunstantia. similiter persona dicitur circunstantia .i. qualitas personæ, alioquin spectat ad substantiam actus.i. aliquid circunstans obiectum, vt qualitas, quantitas &c. alioquin obiectum spectat ad substantiam actus. D.Tho. supra.ar.3. ad 3. Tab.verb. circunst.q 1.

Quartum dubium. An circunstantia mutet speciem peccati, vel actus humani. seu, An peccatum distinguatur specie à circunstantijs .Resp. & nota primo, quòd circunstantię actus vel sunt impertinentes, vt v. g. occidere manu dextera, vel sinistra; quæ nec aggrauant, nec minuunt peccatum. Vel sunt minuentes, quæ .s. comparatæ ad rationem, reddunt actionem minùs malam; vt quando quis peccat ex ignorantia. Vel sunt aggrauantes, quando .s. comparatæ ad rationem, faciunt actionem magis malam; & hæ, vel parum aggrauant, vel multum. Præterea vel aggrauant in infinitum; cum .s. opponuntur charitati; vel non aggrauant in infinitum; de quibus infra dicam. Præterea hæ vel includunt aliquid repugnans rationi primò, & per se, vt furari rem sacram; vel ex suppositione, vt accipere alienum in magna quantitate, nam magna quantitas non repugnat rationi nisi ratione alieni. Sylu. verb. circunst. q. 1. Nota secundo, quòd aliquæ circunstantiæ includuntur in ipso obiecto, & fine; vt siquis furetur res sacras. aliæ sunt coniunctæ extrinsecè, & affixæ à voluntate; vt qui furatur vt fornicetur. aliæ consequuntur naturaliter; vt ex furto sequuntur iurgia, & contentiones. Tertio nota, aliquid potest esse volitum à voluntate tripliciter. Primo, actualiter, vt volo occidere. Secundo virtualiter, & in alio; vt, si volo occidere, volo etiam auersionem à Deo. Tertio interpretatiuè, vt quod sequitur ex ignorantia; v.g. quando iacio iaculum ad occidendam feram, occido hominem &c. Dico primo, vt circunstantia det nouam speciem actui, duo requi-

runtur

runtur; primo, vt circunstantia illa sit volita saltem virtualiter. Secundo, vt illa circunstantia comparata ad rationem habeat nouam deformitatem distinctam à deformitate operationis. Prima pars probatur; quia actus morales specificantur ab obiecto, & fine. Secundo, aliàs in qualibet operatione essent innumeræ species, quia sunt innumeræ circunstantiæ, quod tamen est absurdum. Secunda pars probatur; quia species actus moralis sumitur ab obiecto comparato ad rationem; ergo illa sola circunstantia potest dare speciem quæ habet nouam deformitatem. Hinc patet quòd furtum viginti aureorum non differt specie à furto triginta aureorum, quia est eadem deformitas (quamuis maior) ideò aggrauat. Vel (vt loquũtur alij,) quia nõ repugnat per se primò rationi; sed ex suppositione. Sylu.verb. circunst. q. 1. sed res sacra addit furto nouam deformitatem, ideo mutat speciem. similiter cognoscere coniugatam addit ad fornicationem simplicem, iniustitiam, & iniuriam contra virum, ideo mutat speciem. Secundo dico, quòd cum aliqua circunstantia est interpretatiuè volita, & habet nouam deformitatem, illa constituit nouam speciem, sed imperfectam; vt qui occidit ignoranter hominem volens occidere feram, est homicida. Similiter qui detrahit præter intentionem, incidit in detractionem, quamuis imperfectam: D.Tho.2.2.q.72. & 73. ar.2. quicquid dicat Caiet. Dices, hinc sequeretur quòd aliquis quando peccaret contra legem, committeret duplex peccatum; nam hæc noua deformitas est. Similiter qui vt peccaret cum coniugata, illam solicitaret, committeret adulterium, & homicidium spirituale; quia priuaret animam vita gratiæ. Resp. quòd virtutes sunt in duplici differentia; quædam sunt generales, quædam speciales. & similiter præcepta illarum; nam virtutes generales habent præcepta generalia, vt charitas, obediẽtia &c. speciales verò habent præcepta specialia, vt temperantia, fortitudo &c. Item, potest quis velle circunstantiam actus vel formaliter, vel virtualiter. Item vel directè, vel indirectè. Nunc dico primo, quòd circunstantiæ quæ sunt directè contra speciales virtutes, si sunt formaliter volitæ, dant speciem actui; vt furans in contemptum Dei committit furtum, & impietatem. Similiter qui furatur in contemptum legis, committit furtum, & inobedientiam. Secundo dico,

quòd quando circunſtantia eſt indirectè contra præceptum vniuerſale, tunc non mutat ſpeciem; vt qui furatur, tantum vt furetur, hic quamuis faciat contra charitatem, indirectè tamen committit ſolum furtum. Hinc ſoluuntur obiectiones. quoad primã dixi, quòd circunſtantia furti cũ non ſit contra ſpecialem legem, non mutat ſpeciem; ſi autem quis furetur in contemptum legis, mutat ſpeciem. Soluitur ſecunda obiectio. ſi enim quis ſolicitat puellã in odium animæ, vt inducat ad peccatum, erit duplex peccatum; quia talis circunſtantia, cùm addat nouam deformitatem contra ſpecialem virtutem, inducit nouam deformitatem, & peccatum. Si autem tentet ad explendam libidinem, erit vnum ſolum peccatum.

Quintum dubium. An circunſtantia quæ mutat ſpeciem actus, ſemper aggrauet in infinitum, vt de veniali fiat mortale. Reſp. quòd circunſtantia quæ aggrauat in infinitum eſt, quæ directè eſt contra præceptum legis, cuius finis eſt charitas. ſeu quæ directè opponitur charitati, & eſt propriè quando circunſtantia peccati mortalis aduenit peccato veniali de genere ſuo; vt ſiquis dicat verba iocoſa animo trahendi ad luxuriam, tunc illa circunſtantia finis aggrauat in infinitum, & conſtituit ſpeciem peccati mortalis. circunſtantia autem quę aduenit peccato mortali, quamuis dicatur trahere in infinitum quia eſt peccatum mortale, quod meretur pœnam æternam, tamen quoniam id cui aduenit iam habebat iſtam infinitatem, ideo non dicitur ita propriè grauare in infinitum: vt v.g. circunſtantia ſacri adiuncta furto. & hoc eſt quod dicit D. Tho. cum Theologis, quòd circunſtantia non aggrauat in infinitum, quia remanet circunſtantia. quando autem aduenit veniali, non remanet circunſtantia, ſed conſtituit ſpeciem. D. Tho. in 4. d. 16. & ibid. Palud. Tab. verb. circunſt. q. 5. Sylu. eod. q. 3. Hoc poſito reſp. ad dubium, ex doctoribus citatis; primo quòd circunſtantia quæ non dat ſpeciem, nunquam aggrauat infinitè; quia ſi adueniat peccato veniali, & non mutet ſpeciem, certum eſt non grauare in infinitum, cum vtrunque ſit finitum. Secundo dico, quòd circunſtantia quæ dat ſpeciem, non ſemper aggrauat in infinitum; vt quando ipſa ex ſuo genere eſt peccatum veniale, vt ad actum gulæ circunſtantia lautè, vel opiparè, addit nouam deformitatem, quæ ex ſe faceret peccatum, & tamen non aggrauat in infinitum. aliquando

quando autem aggrauat, vt patet ex dictis. v. g. vt siquis iocosa dicit vt inducat ad libidinem &c. vt patebit in dub. sequenti, vbi dicam quomodo peccatum aggrauet ex circunstãtijs. Hinc infertur primo, quòd circunstantia temporis non trahit in aliam speciem,& consequenter non aggrauat in infinitum. vt dubio sequenti patebit. Secundo, ratione præcepti sibi facti directè. Tertio, ratione scandali, & casu, quo scandalizare est illi peccatum mortale. D. Tho. 1. 2. q. 73. ar. 9. & 10. Sylu, verb. circunst. q. 3. Nau. cap. 6. num. 13. & num. Sylu. verb. scandalum.

Sextum dubium. An circunstantia temporis sacri addat actui nouam speciem? Resp. prima sententia est eorum, qui affirmant, & aiunt quòd qui peccant die festo facit duplex peccatum. est Alens. 3. p. q. 32. m. 5. ar. 2. ad 4. D. Tho. 2. 2. q. 122. ar. 4. ad 3. videtur etiam Scoti in 3. d. 27. Maior. in 4. d. 17. q. 4. Adrian. q. 4. de confess. Anton. 3. p. tit. 17. §. 5. Angel. verb. feriæ. §. 36. Rosell. verb. dominici dies. §. 2. Nicolai de Lyra, & Abulens. in Luc. 13. Cyrill. l. 4. in Ioan. cap. vlt. Teophyl. cap. 5. & cap. vlt. in Ioan. Secunda sententia opposita, & tenenda est recentiorum qui dicunt hanc circunstantiam esse solum aggrauantem. est Sylu. verb. circunst. q. 3. & in rosa aur. cas. 63. Tab. eod. q. 11. Nau. cap. 6. num. 10. Caiet. 12. q. 7. & 2. 2. q. 122. ar. 4. & quodl. 10. & in summa. verb. dies festus. Almayn. in 4. d. 17. & l. 1. mor. cap. 18. Sot. 2. de iust. q. 4. ar. 4. Imo D. Tho. in 3. d. 33. q. 2. ad. 2. ar. 5. & d. 36. ar. 6. vt notant Tab. Nau. & Sot. idem Armill. verb. festum §. 12. idem congregatio quædam Dominicanorum quam refert Sylu. in rosa. & Nau. cap. 6. num. 10. Pro intelligentia huius sententiæ nota, quòd lex vetus præsertim cęremonialis habet duplicem finem in præceptis, vnum immediatè, & generalem, v. g. in sanctificatione sabbati abstinere à seruilibus. alterum remotum, & specialem; vt. s. in sabbato vacarent rebus spiritualibus, prior pertinebat ad substantiam præcepti; non autem posterior; sed erat finis præcepti. vt notauit Sot. & Tab. locis citatis. Hoc posito probatur hæc sententia primo, quia in alijs præceptis circunstantia temporis non addit nouam speciem, vt occidere hominem die ieiunij; ergo neq; in hoc. Secundo, quia tantum seruilia opera prohibentur, quale non est peccatum; vt ait D. Tho. in 3. d. 37. ar. 5. q. 2. Postremò, quia finis præ-

cepti non cadit sub præcepto. intellige tamen nisi aliquis in contemptum festi peccaret. plura apud Sot. supra. Neq; obstat autoritas sanctorum Patrum, qui videatur contrarium asserere; Ambrosij in Luc. 13. vbi ait, *Ius non prohibet in festo hominem curare, sed à peccatis grauari*. & ipse D.Tho. 2.2. q. 122. ar. 4. ad. 3. ait, magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporale opus aliàs licitum facit. Intelligunt enim peccata esse contra præceptum sanctificandi festum quantum ad finem, non quantum ad substantiam. & hoc modo interpretatur D. Thomas. & alij supra citati. & ita certum est quòd magis peccat contra finem legislatoris qui facit peccatum die festo, quàm qui facit opera seruilia. Adde quòd patres id dixerunt ex quodam feruore spiritus, vt homines intelligerent non satis esse exteriorem obseruantiam legis, sed requiri interiorem. Obijcies, circunstantia loci variat speciem; ergo & circunstantia temporis. Resp. non esse eandem rationem; nam tempus non potest maculari iniuriosa actione sicut locus, vt rectè Sylu. q. 4. adde quòd circunstantia loci non in omnibus mutat speciem, sed in casibus expresè prohibitis ad reuerentiam loci sacri; vt patebit dubio sequenti.

Septimum dubium. An circunstantia loci mutet speciem. Resp. primo, quòd aliquando hæc circunstantia loci non aggrauat actum, nec mutat speciem, quando .s. se tenet ex parte agentis tantum, non ex parte obiecti; vt si quis in templo optet occidere hominem. Secundo, aliquando ex se circunstantia loci aggrauat, & mutat speciem, quia repugnat rationi etiam si addatur actui bono, præsertim statutis iuris humani, vt si iudex iubeat in Ecclesia suspendi, vel capite truncari proditorem; Vel vir in illa reddat debitum vxori suæ. in his enim casibus infertur iniuria loco sacro secundum Sylu. verb. circunstantia. q. 4. Tertio dico, quòd aliquando ratione obiecti cui additur circunstantia loci mutat speciem; idq; in quatuor casibus. Primo, in effusione sanguinis. Secundo, in effusione seminis. Tertio, cum violatur immunitas Ecclesiastica. Quarto, quando fit sacrilegium. i. furtum rei sacræ in templo. De quibus Sylu. verb. sacrilegium. & verb. consecutio. 2. q. 5. Nau. cap. 6. num. 13. ex his infertur quòd circunstantia temporis, & loci non aggrauant in infinitum;

temporis

temporis enim non aggrauat nisi ratione contemptus, vt aiũt Almayn. D. Tho. Tab. Nau. & Sylu. supra citati. vel cum circa hoc fieret spirituale peccatum, Sylu. verb. circunst. in fine. Locus verò in casibus iam dictis? Vnde diuersæ species sacrilegij distinguuntur. De circunstantia personæ, & icandali in tract. de confessione, & infra dub. 11. agemus.

Octauum dubium. Quæ comparatio peccatorum? Resp. & nota primo, quòd licèt virtutes sint inter se coniunctæ, vt ait D. Tho. 1. 2. q. 73. quia vniuntur in intentione agentis, quæ est agere secundum rationem; peccata tamen non sunt connexa. hæc enim specificantur ex obiectis ad quæ se conuertit peccans. sed obiecta peccatorum sunt diuersa, ergo & ipsa peccata. Secundo, non omnia peccata sunt paria, quia aliqua sunt magis contra rationem, & iustitiam, quàm alia. D. Tho. supra. q. 2. ar. 2. & q. 2. de malo. ar. 9. Tertio, cùm peccata habeant species ab obiectis, ex eisdem etiam variatur eorum grauitas; quare homicidium est grauius furto. & grauiora sunt quæ immediatè sunt contra Deum, vt blasphemia, infidelitas &c. & inter hæc vnum est grauius altero secundum quòd est circa aliquid principalius, vel minus principale &c. Item grauius est peccare circa omnes articulos fidei, quàm contra vnum tantum. Quarto, maximæ virtuti opponitur maximum vitium ex parte obiecti, vt charitati Dei opponitur odium Dei; sed ex parte effectus maiori virtuti minus peccatum opponitur; quia quanto virtus fuerit maior, tanto minora peccata cohibet. D. Tho. q. cit. ar. 4. Quinto, peccata carnalia sunt minoris culpæ, & maioris infamiæ quàm spiritualia; quia illa habent vehementius impulsiuum, f. concupiscentiam carnis; D. Tho. ar. 5. ex Gregor. l. 31. mor. cap. 31. vt iræ peccatum est maius quàm luxuriæ ex genere suo &c. Luxuria tamen est maioris infamiæ. Sexto, peccatum habet duplicem causam; vna est per se intrinseca, & propria quæ est voluntas; & hæc quò fuerit maior, eò maius erit peccatum; quia tantò grauiùs quis peccat quantò maiorem voluntatem habet peccandi. Altera causa est extrinseca, & remota; & hæc vel inclinat ad peccandum secundum ipsam naturam voluntatis, vt finis; & talis auget peccatum; quia quò peiorem finem habet, eò grauiùs peccat. vel inclinat præter naturam ipsius, idest minuendo iudicium rationis, vt ignorantia; vel

minuit

minuit liberum arbitrium, vt infirmitas; violentia mentem. & hæc diminuunt peccatum, ficut minuunt etiam voluntatem. Ita quòd fi actus fit omnino inuoluntarius, non fit peccatum. D.Tho.q. cit. ar. 6. Septimo, peccatum grauatur ex circunstantijs, idq; tripliciter; aliquando mutando fpeciem, vt fiquis peccet cum coniugata &c. aliquando intra eandem fpeciem, vt cum prodigus dat quod non debet, cui non debet, quando non debet &c. aliquando agendo folum deformitatem aliunde prouenientem, vt fiquis multum furetur de alieno. D.Tho.q.cit.ar.7.

Nonum dubium. An fit maius peccatum primum quod quis committit in aliqua fpecie, quàm fecundum in eadem fpecie. vt v.g. aliquis bis blafphemauit, quæ fit maior blafphemia prima, an fecunda? Refp. ex Altifiodor. 2.p.tract. 28. q. 4. primum eft grauius, cæteris paribus, in eadem; & in aliqua quidem fpecie clarum eft; nam primum peccatum carnis eft maius, quia amittitur virginitas. D. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 4. Præterea vniuerfaliter probatur; quia poft primum, alia difficiliùs vitantur. Dixi *cæteris paribus*, nam ratione praui habitus, & confuetudinis alia poffent effe grauiora primo; præfertim quia faciliùs peccatur ex contemptu. & fic int elligitur caput ficut. de pœnit. d. 1. & cap. fin. de confuetudine.

Decimum dubium. An continuatio eiufdem peccati fit circunftantia aggrauans. v. g. cum quis moratur in turp cogitatione, vel defiderio. Refp. ex Caiet. tom. 1. opuf. tract. 31. refp. 15. notando quòd vnum numero peccatum in genere moris complectitur non vnum fimplicem actum, fed omnes actus internos, & externos, qui per fe ordinantur ad opus principale externum, & non interrumpuntur per contrariam voluntatem. vt v.g. vnum peccatum funt velle occidere, confentire, eligere, impetere, recipere enfem, quærere inimicum, occidere. Dixi *Dummodo non interrumpatur*; quia fiquis per horam velit occidere, deinde nolit, fi poftea denuò deliberet occidere, eft duplex peccatum; & tot funt peccata, quot fuerunt interruptiones, & deliberationes peccandi. Dixi *per fe*, nam cum actus affumuntur per accidens, fi per fe funt mali, tunc dant nouam fpeciem illi actui. vt fiquis quærendo

rendo inimicum, blaſphemat. Ex quo reſp. ad dub. quòd omnis continuatio eiuſdem peccati eſt circunſtantia valdè aggrauans, dummodo ſit libera. Nam ſi homo peccat in prima intentione, ergo & in continuatione. Imo addo, quòd etiam fine continuatione; permanentia & continuatio in prima circunſtantia, eſt aggrauans. vt v.g. aliquis voluit occidere tūc, poſtea non vult, tamen non pœnitet eum peccati, ex quo augetur. Hæ tamen circunſtantiæ non ſunt aperiendæ in confeſſione, nempe quòd continuauit peccatum, vel non ſtatim doluit, niſi longo tempore continuaſſet. Nau. cap.6.num.17. & nos in tract. de confeſſ. Grauitas peccati etiam attenditur penes maius nocumentum quod prouenit ex ipſo peccato ſi ſit præuiſum, & intentum; vt quando quis peccat animo nocendi. quando verò nocumentum eſt præuiſum intentum, aggrauat peccatum, ſed indirectè; quatenus ex voluntate valde inclinata ad peccatum, non prætermittit ſibi, & alijs nocere. vt v. g. ſiquis vt citiùs furetur tranſeat per agrum, & ſegetibus damnum inferat. ſi verò nocumentum non ſit præuiſum, neq; intentum, tunc vel nocumentū ſequitur per ſe ex actu peccati, vel per accidens; ſi per ſe, licèt non ſit intentum, neq; præuiſum, aggrauat directè peccatum; vt ſiquis furetur, & ſequitur ſcandalum multorum. ſi autem ſequitur per accidens, non aggrauat peccatum directè, ſed per negligentiam conſiderandi nocumenta quæ conſequi poterant, imputatur ad pœnam, & culpam; præſertim quando quis dabat operam rei illicitæ. Si verò diligentiam debitam adhibuit, non imputatur culpæ; aliter tamen ſi habet nocumentum pœnale, quod incurrit ille qui peccat. hoc enim potius ſequitur grauitatem peccati; vt pœna inferni &c. Nota etiam, quòd quamuis priuari vita gratiæ ſit maius nocumentum quàm priuari vita corporali, non tamen ſequitur fornicationem. v. g. eſſe grauius homicidio; tum quia fornicator non intendit ſpirituale detrimentū, ſed delectationem; ſi enim illud nocumentum intenderet, eſſet ſpiritualis homicida. tum quia homicida eſt per ſe cauſa ſufficiens mortis corporalis, non autem fornicator mortis ſpiritualis; quia nemo ſimpliciter moritur niſi propria voluntate peccando. D. Tho. 1.2.q.73.ar.8.

Vndecimum dubium. An circunſtantia perſonæ reddat grauius peccatum. Reſp. affirmatiue ratione maioris dignitatis

tatis, aut propinquitatis. nam persona in quam peccatur, est quodammodo obiectum peccati ratione cuius attenditur grauitas peccati, quatenus ipsum est finis principalior. Fines autem principales humanorum actuum sunt Deus, ipse homo, & proximus. & ideo quia persona in quam peccatur est magis coniuncta Deo, vel quia sanctior, vel sacratior &c. idcirco peccatum est grauius. Similiter ex parte sui ipsius, quò persona quam offendit est sibi magis coniuncta siue naturaliter, siue beneficijs &c. eò grauius peccatum facit. ex parte deniq; proximi, quò peccatum plures tangit, eò est grauius; Vnde peccatum contra personam publicam est grauius, quàm contra priuatam; quia redundat in scandalum, & perturbationem multorum. Dignitas etiam, & præstantia personæ peccantis etiam aggrauat. hoc tamen nō est intelligendum de peccatis quæ procedunt ex surreptione, sed de his quæ ex deliberatione; tum quia illis faciliùs possunt resistere, tum propter ingratitudinem, & maiorem indecentiam: tum ratione mali exempli, seu scandali. Vbi nota, quòd circunstantia personæ tunc mutat speciem, quando repugnat statui personę, vel voto; vt si Sacerdos fornicetur, si religiosus committat vsuram; & tunc est duplex peccatum, & augetur infinitè. quādo verò non repugnat statui, neq; voto, tunc auget sed non infinitè. D. Tho. 1. 2. q. 73. ar. 10.

Duodecimum dubium. Quod est subiectum peccatorum. Resp. peccatum principalius consistit in actu interioris voluntatis. exteriores autem actus qui sunt contra legem Dei, verè sunt peccata; non quatenus procedunt à membris externis, sed nascuntur ab ipsa voluntate. similiter operationes, appetitus sensitiuus intellectus. Secundo, omne peccatum est in appetitu rationali subiectiuè & formaliter. & in sensitiuo materialiter, sicut in alijs potentijs. tota enim deordinatio est in voluntate, & à voluntate. Probatur primo, quia patres dicunt eatenus esse peccatum, quatenus est voluntarium. Secundo, quia nulla operatio respectu appetitus sensitiui est magis laudabilis, vel vituperabilis, quàm operatio qualibet membrorum, sed hæc habet malitiam à voluntate; ergo similiter illa. Vnde in appetitu sensitiuo non solum est peccatum mortale, sed nec etiam veniale, nisi materialiter. & hæc est communior opinio Theologorum, quamuis Thomistæ aliter doceant.

doceant. Dur. in 4. d. 24. q. 6. Almayn. l. 3. mor. tract. 24. Tertio, motus appetitus sensitiui non est peccatum nisi sit aliquo modo præuisus, & consideratus à ratione, & volitus in se, vel in causa; quia impossibile est esse peccatum nisi voluntarium: Sed non potest esse voluntarium nisi altero ex dictis modis; ergo &c. aduerte tamen hic etiam distinguendum; vt cum quis ex causa pia, an ex causa illicita se exponat periculo pollutionis, vt infra dicam. Quarto nota, culpa prius est in voluntate, quàm in intellectu; nam in intellectu nullum est peccatum nisi ratione voluntatis.

Decimumtertium dubium. Quando motus appetitus sensitiui est peccatum mortale, vel veniale. Resp. & nota hæc dicta: Primum, quando ex parte intellectus nulla est aduertentia motus praui excitati; tunc nullum est peccatum in illo motu. & talis motus vocatur primò primus. & ideo non considerat an sit peccatum nec nè. D. Tho. 1. 2. q. 74. ar. 3. ad 1. Dices, an hi primi motus in infidelibus sint peccatum mortale. Resp. negatiuè, nisi eis consensiant. D. Thó. 1. 2. q. 89. ar 5. dicuntur tamen peculiari ratione peccatum ad Rom. 6. nã per illos regnat peccatũ in infidelibus secundũ Augustinũ, D. Tho. 1. 2. q. 74. ar. 6. Secundum, si ille motus primò rationẽ tangit, & ratio aduertit esse malum quod appetitur, si tamen statim conetur reprimere, & dissentire, tunc meretur, & non peccat ex communi sententia. Tertium, quando voluntas post plenam deliberationem, & perfectam aduertentiam consentit in tale opus, tunc peccat mortaliter, etiam si ratio dictet non esse faciendum. Quartum, si ratio aduertat sed non plenè, & perfectè, similiter si deliberet, sed non perfectè quãtum requiritur ad actum humanum, etiam si continuet motum, & delectationem, quamdiu non perfectè deliberet, non peccat mortaliter, sed venialiter; quia non est perfectè voluntarium. Quintum, quando ratio non solum aduertit esse peccatum; sed incipit etiam deliberare secundum causas tamen humanas, & quasi trahit ad consensum, si statim per rationem superiorem reprimatur ratio inferior, & motus voluntatis vt dissentiat, tunc illa prima deliberatio non est peccatum mortale; quia ille consensus non est perfectè voluntarius; ratio enim inferior statim regressa est à superiore, est tamen peccatũ veniale grauius quàm præcedens. Ita Gerson

 2. p. alpha-

80 p. alphabeti 30. Sextum, si ratio deliberat de illo obiecto, id est de re mala cogitata, etiam si non sequatur consensus in voluntate, si tamen sequitur continuatio in ipso motu prauo appetitus, & voluntas rationalis non dissentiat, tunc est peccatum mortale; quia eo ipso quòd homo non dissentit, necessariò consentire interpretatiuè; est Caiet. Adrian. & communis. Septimum, idem dicendum est, quando quis aduertit plenè illam cogitationem esse peccatum mortale, etiam si nō deliberet, si voluntas non dissentit, & non conatur reprimere. peccat mortaliter; quia tunc vult virtualiter. Notandum tamen ex Caiet. verb. delectatio morosa, excipi illum qui nō resistit quia contemnit; & non putat esse periculum; tunc enim habet virtualem dissensum. quod verum est; tamen in praxi est difficile; quia plerią; non resistunt propter delectationem. Octauum, quando post plenam deliberationem, & perfectam aduertentiam voluntas resistit ita negligenter, & imperfectè, vt videatur resistere, standum est iudicio Dei, & viri timorati. & hæc in confessione ita syncerè sunt aperienda. Adde tamen ex Caiet. loco cit. quòd in his qui habitualiter sunt parati potius mori, quàm peccare; in dubio, interpretandum est non consensisse.

Decimum quartum dubium. Quale peccatum est hic motus, cum ex causa libera prouenit. Resp. primo, quando in aliqua causa aliquis motus appetitus sensitiui est intentus, tunc est peccatum mortale; quia hic effectus est voluntarius directè. Secundo, cum hi motus non sunt intenti licèt præuisi, tunc habent bonitatem, & malitiam quam habet causa; quia sunt voluntarij in causa. Vnde infertur, quòd motus turpis est primò primus natus ex iusta causa, quamuis sit præuisus, nullum est peccatum, sed fortè meritum; quando tamen causa est venialis. Similiter motus primò primi erunt peccata mortalia, si causa sit mortalis. Tertio, qui ex quacunque causa etiam sanctissima videt probabiliter imminere periculum consensus in peccato mortali, si id fecerit, fecit peccatum mortale, etiam si effectus non sequatur; quia quantum in se est, amplectitur peccatum; vt legendo turpia, &c. Quarto, idem dicendum est de illo qui probabiliter iudicat imminere periculum incidendi in pollutionem in vigilia; quia talis videtur interpretatiuè consentire in ipsam pollutionem, & se

expo-

exponit periculo consensus. Hoc tamen moraliter intelligendum est. Quintus, quando quis ex necessitate, & sancta causa se exponit periculo pollutionis, nullo modo peccat; vt Sacerdotes audientes confessionem, qui experientia sciunt se non solere consentire, &c. Caiet. opusc. tom. 1. tract. 21. An consensus in delectatione sit peccatũ mortale: videndus est Caiet. verb. delectatio morosa. Nota quòd ratio superior circa proprium obiectum quod est ex genere suo peccatum mortale, potest peccare mortaliter, & venialiter: mortaliter quidem per consensum deliberatum; venialiter verò in motibus subitis. v. g. in motu infidelitatis sine deliberatione. in his autem quæ pertinent ad inferiores vires animæ quando ipsa ratio est directiua, semper peccat mortaliter in his quæ sunt de genere suo peccata mortalia; quia in hæc semper fertur per modum deliberationis. In illis autem quæ sunt de genere suo peccata venialia, peccabit venialiter. D. Tho. 1. 2. q. 74. ar. 9. & 10 Item nota quòd (vt patet ex dictis) in voluntate sunt motus primò primi qui non sunt peccata; nam experimur quòd cum voluntati proponitur magnum bonum, rapitur ad illud. Similiter ex passione vehemente trahitur naturaliter voluntas; ergo &c. hinc etiam sequitur quòd in intellectu potest esse huiusmodi motus primò primus, vt in actu infidelitatis ex subita apprehensione, vt dictum est. Hi verò motus non se habent merè passiuè, sed habent principium ab ipsa ratione, & voluntate, vt dictum est. Possunt igitur in peccato concurrere multi actus: Primus, est motus natus ex carne ex causa naturali, v. g. ex calefactione. Secundus, est actus appetitus sensitiui. Tertius, est rationis superioris per solam apprehensionem, qui dicitur primò primus; & non est peccatum nisi in causa. Quartus, est cum superior ratio imperfectè aduertit, & deliberat; & tunc est peccatum veniale. Quintus, est quando post deliberationem perfectam aut consentit, aut non resistit; & tunc peccat mortaliter. Sextus, quando contrahit consuetudinem in peccando. Septimus, est desperatio diuinæ misericordiæ. Octauus, quando punitur in inferno.

Decimumquintum dubium. An peccatum veniale per multiplicationem actus efficiat vnum mortale. Resp. peccatum veniale non fit mortale per solã actus multiplicationem.

Vnde neq; multa venialia efficiunt vnum mortale. Est certa, & communis sententia; ratio est; quia peccatum veniale, & mortale differunt genere, & non solum tanquam magis & minus gradu in eadem specie; ergo &c. Confirmatur; quia per multa etiam venialia non constituitur finis vltimus in creatura. Secundo, nam eodem præcepto prohibentur omnia mendacia, quo vnum; sed totum illud præceptum non est de re ad salutem necessaria; ergo transgressio eius siue vna, siue multiplex non est materialis: quæ ratio solum procedit in venialibus ex genere. Tertio, quia nullus numerus venialium designari certò potest, qui sufficiens sit ad peccatum mortale constituendum; ergo si aliquis numerus nobis ignoratus esset sufficiens in quocunq; peccato veniali, exponeremus nos periculo peccandi mortaliter; & hoc ipso peccaremus mortaliter. Dices, eodem argumento probaretur quodlibet veniale ratione periculi esse mortale; quia disponit ad mortalia. Resp. non esse simile; quia licèt veniale sit dispositio ad mortale, est tamen dispositio remota, quæ per se non est moralis occasio peccandi, at si solus numerus peccatorum venialium compleret mortale, de quocunque peccato esset timendum, ne expleret illum numerum. Tandem confirmatur, sap. 7. *Septies in die cadit iustus*; vbi numerus certus pro incerto ponitur. & tamen tribuitur iusto. Contra glos, c. tres sunt, de pœnit. d. 1. propter illud Augustini epist. 108. ad Felician. vbi de venialibus ait; *Si collecta contra nos fuerunt, ita nos grauabunt, sicut vnum aliquod grande peccatum*. Resp. de glosa non curo. Augustinus piè exponendus est. videlicet posse multa peccata venialia ita nocere dispositiuè, quia sunt occasio labendi in mortale, ita D. Tho. 1. 2. q. 73. ar. 4. ad 1. sic etiam interpretandus est Augustinus tract. 11. in Ioan. & serm. 88. de temp. & 41. de sanctis. *Quemadmodum sapiens qui spernit modica, paulatum decidit*. Dices, siquis vnum & alterum leue furtum committat, tandem peccabit mortaliter in illis actibus, aliàs posset furari illo modo magnã quantitatem sine peccato mortali. Resp. siquis habeat vnam voluntatem furandi sæpius illo modo, illa voluntas est peccatũ mortale; atq; adeo actus omnis vt ab illa procedit. & ferè ita peccant omnes illi qui habent consuetudidem furãdi illo modo. Si tamen non adsit vna talis voluntas nec formalis, nec

virtualis,

virtualis, contingere poterit furari vnam magnam quantitatem sine peccato mortali; quam tamen postea retinere cum primum aduertat, erit mortale; non quia ex venialibus sit factum aliquod mortale, sed quia est ibi nouus actus, vel noua omissio cadens in materiam grauem. Veg. l. 14 in Trid. cap. 11. & l. 5. de iust. q. 3. ar. 3. Vrgebis; nam siquis habet vnam voluntatem formalem, vel virtualem omittendi quotidie partem aliquam leuem dicendi officij, aut missæ, aut earum precum, aut eleemosynæ quas Deo vouet, erit in statu peccati mortalis. Resp. de his in proprijs materijs disputatur. nunc solum in genere dicimus, peccata venialia per se multa non efficere vnum mortale. nonnunquam verò materiam aliquam integram quæ in multis actibus diuisa faceret singulos actus peccata venialia obiectum vni actui facere mortale, quando tota illa materia constituit vnum obiectū graue contra vnum præceptum quod ex suo genere obligat; vt contingit in furto. Quando verò illæ singulæ partes non faciunt vnum quod vni præcepto sit contrarium, actus enim erit mortalis ex vi illius obiecti, sed habebit quasi malitiam multorum venialium. & ita contingit in casibus illis particularibus. quamuis illud de voto habeat peculiare dubium.

Decimumsextum dubium. An peccatum veniale ex sua natura possit fieri mortale. vel contra. Resp. nullum est peccatum mortale secundum suum genus, quod ex accidenti non possit fieri veniale. Est sententia certa, & communis. nam ex indeliberatione actus, vel ex leuitate materiæ ferè omnia mortalia fiunt venialia. Peccatum verò veniale ex suo genere nunquam fit mortale, nisi addatur circunstantia quæ mutet speciem, aut quidam amor directè charitati contrarius. ratio prioris partis est; quia hoc differt veniale ex genere à mortali; quòd illius malitiæ ex natura & vi sua nunquam est coniuncta deformitas mortalis. Confirmatur: nam si ex vi propriæ speciei posset hoc peccatū veniale fieri mortale, iam quando non esset mortale, non esset ex effectu suæ speciei .i. propriæ malitiæ specificæ, sed quia non haberet totam grauitatem illius speciei. Esset igitur veniale ex leuitate materiæ, vel ex imperfectione actus. Dices, hoc modo nullum est veniale ex genere; patet, quia nullum est peccatum quod ex vi speciei suæ non pugnet cum aliqua virtute. nulla est autem

virtus

virtus quæ per se interdum non obliget ad mortale. Confirmatur; nam peccatum potest destruere virtutem contrariam omnino; hoc autem non videtur fieri sine mortali culpa; ideo censent aliqui nullum esse veniale ex genere, nisi illud quod per se est indifferens, & sine honesto fine fit: sed hoc est contra communem sententiam, & non necessarium ad soluendas difficultates. Igitur dico primo, posse virtutem aliquam habere materiam adeo leuem, & ad conseruationem charitatis nõ adeo necessariam, vt nunquam propria sua virtute ad mortale obliget, nisi accedat iustitia, neq; liberalitas ex se. Dico secundo, eidem virtuti multa vitia posse esse contraria; ex quibus aliquod poterit esse sua specie adeo leue, vt neq; possit omnino, neq; grauiter virtutem contrariam destruere. & ideo nunquam mortale fit ex specie sua. Probatur vltima pars, quòd .s. nisi addatur circunstantia quæ mutet speciem veniale non fit mortale; vt, siquis in obiecto eius finem vltimum constituit; quod est omnino certum. Et sic intelligi potest illud eccles. 10. *Nihil iniquius quàm amare pecuniam*. & Iacobi 2. & Ioan. 2. *Qui diligit mundum non est charitas patris in eo*. quod etiam inquit August. summam peruersitatem esse frui vtendis. ratio est, quia tenemur solum Deum diligere propter vltimum finem. Illud autem est hic obscurum, quid sit constituere finem vltimum in obiecto peccati venialis. Gerson l. de vita spirituali, dicit; id esse peccare venialiter solum propter peccare. Sed non rectè dicit; nullus enim peccat qui non sub aliqua ratione boni velit peccare. Varij varia dicunt. Ego dico, tunc aliquem constituere finem vltimum in obiecto peccati venialis, quando ex affectu ad illud paratus est alia præcepta grauiora transgredi. quod dupliciter euenire potest: Primo, siquis directè, & expressè id animo concipiat quod directe est contra charitatem Dei. & hoc modo veniale interdum fieri posset mortale ex circũstantia addita quæ mutat speciem. Secundo modo esse potest implicitè tantum; vt cum voluntariè aliquis in actu exercito transgreditur præceptum vt ociosè loquatur. Vel cum huic periculo voluntariè se exponit. Sylu. verb. peccatum §. 10.

Decimumseptimum dubium. An idem actus possit esse peccatum veniale, & mortale simul, vel successiuè. Resp. idem actus numero potest esse successiuè peccatum mortale, & ve-

niale.

niale. De exteriori actu patet. De interiori probatur; quia idem actus potest esse in principio indeliberatus, & si ratio magis aduertat,& voluntas in eodem actu perseueret,& consentiat, erit peccatum mortale. & contra; potest in principio actus esse deliberatus, postea verè fieri potest vt homo passione aliqua, vel ira paulatim accendatur ita, vt perfectum rationis vsum impediat. præterea idem facilè patet in actu veniali ex leuitate materiæ. nam sicut potest idem actus successiuè intendi, & remitti, ita ad maiorem vel minorem materiam extendi. idem patet si in principio actus sit fortè ociosus ex materia indifferente,& perseuerante eodē actu accedat prohibitio grauis,homine id aduertente; & ratio est, quia deformitas peccati mortalis quãuis sit de essentia peccati mortalis vt sic, tamen accidit ipsi actui voluntatis, & ideo potest interdum inesse, & abesse, eodem actu tantum accidentaliter mutato.

Decimumoctauum dubium. Quæ sunt causæ peccatorum in genere. Resp. peccatum quatenus est quidam actus, habet causam per se. Sed quatenus est inordinatus, habet causam per accidens. Explico; nam voluntas carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ,intendens aliquid bonum commutabile, causat actum peccati per se. Sed inordinationem actus causat per accidens præter intentionem; quia defectus ordinis in actu prouenit ex defectu directionis qui est in ipsa voluntate. D. Tho.1.2.q.75.ar.1. Obijcies; peccatum omissionis non habet causam per se; cùm sit pura priuatio; ergo non ratione peccati habet causam per se. Resp. quòd omissio habet causam;quia ferè semper peccatum omissionis habet coniunctum aliquem actum voluntatis, ratione cuius omissio dicitur voluntaria, & intenta; & est quasi materia deordinationis, quæ est priuatio, Secundo, esse videtur pura omissio,tamen adhuc dicitur per se intenta, & volita per se, quamuis indirectè, cùm sit in potestate hominis, & voluntatis, teneretur illam non velle, quod satis est vt dicatur per se volita. Secundo, causæ peccatorum sunt duplices, quædam interiores, quædam exteriores. causæ interiores sunt voluntas, intellectus, appetitus sensitiuus. Intellectus & voluntas sunt causæ immediatæ. appetitus verò, seu interior imaginatio, & sensus apprehensio sunt causæ mediatæ. Causæ exteriores peccati

sunt

sunt homo, & Dæmon, seu exteriora bona. Pro quo nota, ex D. Tho. 1.2.q. 75. ar. 3. quòd aliquod extrinsecum tripliciter potest esse causa peccati. vel quia mouet immediatè ipsam voluntatem, vel quia mouet rationem, vel quia mouet appetitum sensitiuum. Voluntatem autem interiùs mouere non potest nisi Deus, qui non potest esse causa peccati. Vnde relinquitur vt nihil exterius possit esse causa peccati nisi vel quatenus mouet rationem vt homo, vel Dæmon suadens peccare: vel sicut mouens appetitum sensitiuum, sicut aliqua sensibilia exteriora. non tamen mouent ex necessitate, nisi fortè aliquo modo dispositum &c. vnde patet, quòd licèt aliqua exteriora possint mouere ad peccandum, non tamen possunt sufficienter inducere ad peccandum; quia causa principalis, & immediata quæ sufficienter peccat, est sola voluntas. Tertio, vnum peccatum potest esse causa alterius peccati secundum quatuor genera causarum, efficientis, quia per vnum disponitur ad aliud simile. materialis, vt auaritia præparat materiam litigiosam. finalis, vt si committatur simonia propter ambitionem; fornicatio propter furtum. formalis, vt in dicto exemplo. formale est furtum, materiale est fornicatio, nam finis dat formam in moralibus. D. Tho. supra. ar. 4. Quartò, cùm hic agendum sit de dictis peccatorum causis, dicam primò de interioribus: at cùm causa interior sit triplex, vt dictũ est, singulas exponam. Primo, de ignorantia, quæ est causa peccati ex parte rationis. Secundo, de infirmitate, seu passione, quæ est causa peccati ex parte appetitus sensitiui. Tertio, de malitia, quæ est causa peccati ex parte voluntatis. de his D.Tho. 1.2.q.76. & sequentibus.

Decimumnonum dubium. An ignorantia sit causa peccati. Resp. cum D. Tho. supra. ar. 1. non quælibet ignorantia est causa peccati, sed illa solum quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati, siue sit vniuersalis talis sciẽtia, siue sit particularis. exemplum in D. Thoma videndum est.

Vigesimum dubium. An ignorantia sit peccatum. Resp. D. Tho. q.76. ar. 2. supra. quòd nulla ignorantia inuincibilis est peccatum. Ignorantia autem vincibilis est peccatum, si sit earum rerum, quas quis scire tenetur, non autem si sit earum, quas quis scire non tenetur. pro explicatione nota primo, sex esse diuisiones ignorantiæ. prima est, quæ diuiditur in ignorantiam

rantiam quæ dicit simplicem negationem scientiæ quæ non sit culpa, nec pœna, qualis est in Angelis. de qua D. Tho. q. 3. de malo. ar. 7. & in ignorantiam quæ est culpa, vel pœna nata ex culpa, qua homo ignorat quæ est culpa, vel potest facilè scire. de qua August. l. 1. de ciu. cap. 11. Secunda diuisio. in ignorantiam puræ negationis, & prauæ dispositionis. Arist. l. 1. post. cap. 12. prima dicit puram negationem, vt cum quod deberemus, vel possemus scire, ad sensum falsum ducimus. qui dicitur error; August. in Enchir. cap. 26. Tertia, diuiditur ex parte subiecti in affectatam quæ est volita, & amata ab ipso homine. & in crassam, ac supinam, quæ est voluntaria ex negligentia, & fuga laboris. Quarta, diuiditur ex parte obiecti in ignorantiam iuris, qua ignoramus ius siue diuinum, siue humanum; & in ignorantiam facti, qua incognita lege ignoramus factum. Quinta, diuiditur in ignorantiam vincibilem, & in inuincibilem. Vincibilis est quæ parum differt à crassa, videlicet quando homo non fecit quæ debuit facere ad ignorantiam vincendam & superandam. Inuincibilis est quæ non potest vinci facta omni diligentia. Sexta, diuiditur in antecedentem, & subsequentem, ex l. 3. ethic. antecedens est quæ antecedit, & est causa operationis; vt siquis hominem occidat, quem non occidisset si sciuisset eum esse; qualis fuit Iacob cum Lia. & hæc vt plurimum est inuoluntaria, & dicitur ignorantia probabilis. Consequens est quæ consequitur, & non est causa operationis, & est eadem cum affectata, quando .s. quis vult ignorare, nec bonum opus facit. Concomitans est quæ non est causa, nec volita, tamen si fuisset cognita fuisset volita; vt siquis occidat hostem, putans se occidere feram, quem tamen si sciuisset occidisset. Secundo nota, quòd quæ tenetur homo scire vel sunt ordinata ad operationem, quæ .s. discimus vt operemur; vel sunt ordinata ad cognitionem, quæ .s. tenemur scire vt sciamus, vt sunt articuli fidei. His positis. Resp. ad dubium septem dictis. Primo, ignorantia eorum quæ tenemur scire vt sciamus solum, est peccatum ex se, seu ex obiecto. est de fide: quia tales ignorantes damnantur in scriptura; cùm fides ea cognitione nitatur sine qua impossibile est placere Deo. Hebr. 11. Secundo, ignorantia eorum quæ tenemur scire non vt ea sciamus, sed vt operemur, secundum se est peccatum, non tamen distinctum ab opere; quare

ignorantia decalogi, & iuris naturalis &c. est peccatum propter ipsa opera. Probatur, quia tenemur seruare præcepta; ergo tenemur ea scire. Tertio, post sufficientem promulgationem alicuius legis positiuæ, ignorantia huius legis est peccatum; quia homo tenetur illa seruare, ergo & scire. Item patet ex cap. 1. de const. & ex l. leges. c. de legibus. Quarto, ignorantia eorum quæ tenetur quis scire ex proprio officio, est peccatum; nam si conetur multa agere ratione officij, ergo tenetur illa scire. Quinto, ignorantia facti aliquando est peccatum secundum se ad eum modum quo aliæ ignorantiæ; vt pastori qui ignorat facta subditorum quos tenetur corrigere. Similiter omnibus qui ex tali ignorantia peccata committũt; vt qui hominem occidit ignoranter ex negligentia. Sexto, ignorantiæ prædictæ sunt peccata secundum se, & non ex negatione solum, vt ait Caiet. eo modo quo actio exterior, & omissio dicuntur peccata. D. Tho. loco cit. ad 3. probatur; quia in omnibus peccatis quæ nobis imputantur ex negligentia non solum id est peccatum quod fit, & omittitur, sed etiã ipsa negligentia; &c. Septimo, ignorantia inuincibilis est eorum quæ tenetur quis scire, non est peccatum vllum; vt siquis adhibuit diligentiam vt sciret decalogum, si nescit non peccat; quia talis ignorantia non est voluntaria. Idem dicendum est de ignorantia vincibili eorum quæ non tenetur scire.

Vigesimumprimum dubium. Quid requitur ad ignorantiam inuincibilem, seu non culpabilem. Resp. & nota; tria esse certa. Primum, non requiritur vt homo faciat quod potest ad illam vincendam, quia sic nulla daretur ignorantia inuincibilis. Secundum certum est, requiri vt homo faciat totum quod debet facere ad pellendam ignorantiam. quid autem teneatur facere, dubium est. Aliqui dicunt quòd teneatur facere quod faciunt prudentes in tali casu. Aliqui quòd sit satis consulere vnum, vel alterum doctorem; vt Adrian. quodl. 4. q. 1. & Castro. Alij distinguunt, nam si ignorantia versetur circa ius humanum, dicunt satis esse consulere viros doctos circa illam rem. Si autem sit circa ius diuinum, illud non esse satis, sed adiungendam esse conuersionem, & pœnitentiam &c. Adrian. supra. quem sequitur Castro l. 2. de pœnali. cap. 14. His positis. Resp. primo, si loquamur de ignorantia inuincibili facti, satis est adhibere aliquam diligentiam

gentiam. Probatur exemplo Iacob cum Lia. Confirmatur ex l.nec ſupina.ff.de iuris & fact.ignor. Secundo, ſi loquamur de iure naturali, vel poſitiuo,ſatis eſt vt homo adhibeat diligentiam moralem pro qualitate materiæ, vt ignorantia dicatur inuincibilis: patet ex communi ſententia. Tertio, in his quæ ſunt de iure diuino, non eſt opus adhibere pœnitentiam, vt illa ignorantia ſit ſine culpa; contra Adrian. probatur primo, quia multi poſt pœnitentiam retinent adhuc ignorantiam;ergo &c. Tertio. quia ſemper expectanda eſſent miracula; ergo &c. Quarto,in aliquo caſu neceſſaria eſt pœnitentia,& recurſus ad Deum, vt tempore ſchiſmatis; vel quando idiotæ audirent errores circa fidem; vel quando ex prauo affectu hæret alicui opinioni Doctorum; vt v.g. poſſe retinere plura beneficia,&c. & in his vera eſt ſententia Adriani, quouſq; enim quis exuat prauum affectum, manet in ignorantia inuincibili. Medin.1.2.q.76.ar.2. Dices, an ignorantia vincibilis fiat inuincibilis per pœnitentiam? Reſp. affirmatiuè, quia tunc eſſet in gratia Dei. Nota tamen quòd adhoc non requiritur vt doleat quis de peccatis, vel de illa ignorantia, ſed tantum vt proponat cognoſcere veritatem;quia ex hoc facit totum quod poteſt ad vincendam illam ignorantiam; ergo ſatis eſt. Medin. q.79.ar.2.

Vigeſimumſecundum dubium. Circa quæ verſetur ignorantia inuincibilis? Reſp. & nota, diſtinctionem iuris naturalis, diuini, & humani. præterea, quòd ius naturale latè patet; nam ſicut in ſcientia ſpeculatiua ſunt principia, & concluſiones, ita in iure naturali ſunt principia practica. Secundo, concluſiones quæ facilè ex his deducuntur. Tertio, concluſiones quæ difficiliùs, & longiori diſcurſu deducuntur. Poſtremo nota, ignorantiam eſſe multiplicem, vt ſupra dub. 20. Nunc dico primo, ignorantia inuincibilis non poteſt cadere circa prima principia legis naturalis,vt honeſtum eſſe amandum, inhoneſtum fugiendum; quod tibi non vis, alteri ne feceris, &c. quia hæc facilè ab omnibus cognoſcuntur cùm ſint innata. Vnde pſal.4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine &c.* & ad Rom.2. *Naturaliter quæ legis ſunt facere.* Secundo dico. Circa præcepta decalogi quæ ſunt vt primæ concluſiones deductæ ex principijs iuris naturalis, poteſt homo habere inuincibilem ignorantiam ad breue tempus, non

 tamen

tamen diù. prior pars probatur; quia ex principijs per se notis facilè cognoscuntur, & de facto cognita sunt. & ad id Deus lumen non negabit. Medin ar. 2. cit. Tertio dico. Circa alia præcepta quæ lōgè distant à primis principijs potest dici cadere ignorantia inuincibilis, vt de mendacio, de bigamia, &c. quia hæc non possunt sine magna solertia haberi. Medin. ibid. Quarto, circa ius diuinum positiuum potest diù cadere ignorātia inuincibilis, ex August. l. de natura & grat. cap. 2. & alijs. Medin. supra. & probatur, quia dixit Dominus, *Si ego non venissem &c. peccatum non haberent*. & Rom. 10. *Quomodo audient sine prædicante &c.* Quinto, circa præcepta humana potest diù cadere ignorantia inuincibilis. Probatur; nam non sunt perse nota, cùm longè distent à lege naturali. Secundo, quia nemo ferè excusaretur à peccato, & esset onus grauissimum; nam omnes tenerentur studere, vt discerere leges &c. Sexto, circa quodcunq; factum potest diù cadere ignorantia inuincibilis, vt quòd coniux sit consanguinea &c. & in alijs multis vt patet.

Vigesimumtertium dubium. An ignorantia omnino excuset à peccato. Resp. D. Tho. supra. Primo ignorantia consequens, vel concomitans actum peccati, non excusat à peccato. Secundo, ignorantia quæ est causa actus peccati, excusat, non tamen omnino. idq; contingit dupliciter. Primo, quando ignorantia est alicuius circunstantiæ sine qua adhuc esset peccatum. Secundo, quando ignorantia est voluntaria directè. Vt si quis non vult aliquid scire. indirectè, dum propter alias occupationes negligit hoc discere quod scire tenetur &c. Tertio, dicit D. Tho. ignorantia quæ est omnino inuoluntaria, quia est inuincibilis, siue quia est eius quod homo scire non tenetur, omnino excusat à peccato; nam talis ignorantia causat omnino inuoluntarium. Dices primo, an ignorantia concomitans excuset à peccato? v.g. Paulus putans se occidere feram, occidit inimicum, quem si cognouisset etiam occidisset; an talis ignorantia excuset à peccato? Resp. primo, quòd ignorantia concomitans non excusat; quia qui operatur dicta ignorantia, non dolet postquam scit se fecisse; ergo non habet excusationem. est Arist. l. 3. ethic. cap. 1. & sequūtur communiter theologi. Dur. in 2. d. 22. q. 4. Gabr. q. 2. Marsil. q. 15. ar. 2. dub. 2. Medin. 1. 2. q. 76. ar. 3. Dico secundo, quòd

igno-

ignorantia concomitans non excusat. propterea homicidium quod ex ea consequitur, non imputatur ad culpam secundum se &c. quia talis ignorantia facit non voluntarium. Secundo, quia voluntas interior Pauli antequam emitteret sagittam, non erat mala; ergo quando emisit sagittam pro illo instanti, non erat mala. Ad oppositum patet ex dictis. Probatur enim solum non accusare, Medin. loco citato. Dices secundo, an dans operam rei illicitæ scienter, ignorata aliqua mala circunstantia, excusetur ab illa. v. g. aliquis putat se accedere ad solutam, & accedit ad coniugatam, an sit adulter, an verò fornicator? Resp. quòd omnino excusatur ab illa ignorantia; vnde talis solum erit fornicator. ratio est; quia actus non habet plus de peccato quàm de voluntario. Neq; verò ad hoc quicquam refert vtrum quis det operam rei licitæ vel illicitæ, quia respectu illius circunstantiæ est purè inuitus. Dices tertio, an similiter qui ignorat ius inducens censuras, incidit in illas si transgrediatur. Resp. affirmatiuè si ignorat vincibiliter. Medin. ar. 3. cit.

Vigesimumquartum dubium. An ignorantia diminuat peccatum? Resp. D. Tho. 1. 2. q. 76. ar. 4. quòd illa sola ignorantia potest minuere peccatum, quæ est causa peccati. & tamen non excusat totaliter à peccato; qualis est ignorantia culpabilis non affectata. Hinc infertur primo, quòd ignorantia affectata potius auget peccatum. Secundo, quia ignorantia quæ omnino excusat, non minuit peccatum, sed illud omnino aufert voluntarium. Tertio, infertur quòd ignorantia quæ non est causa peccati sed concomitanter se habet ad peccatum, nec minuit, nec auget illud, sed se habet tanquam impertinens. Ita D. Tho. supra. Dices, an actus factus ex ignorantia inuincibili, sit bonus in genere moris? resp. affirmatiuè, quia est meritorius ex charitate imperantis. Præterea quia est ex proprijs bonis, & boni scientia, vt Iacob cum cognouit Liam, quia sciebat esse reddendum debitum vxori &c. Dices secundo, an post factum liceat consentire in actum excusatum ab ignorantia inuincibili, & in ea sibi complacere? Resp. negatiuè, quia obiectum illud est malum, & solum excusatur ab ignorantia; ergo &c. est Palud. in 4. d. 9. q. 3. Adrian. quodl. 10. & est communis. Medin. q. 74. ar. 6. Dices tertio, quomodo ignorantia affectata augeat peccatū? Respondēt aliqui,

quia

quia peccans ex tali ignorantia committit duo peccata; vnum ignorantiæ, alterum est quod ipse committit, vt videtur sentire D. Tho. 1.2.q.76.ar.4.ad 2.& q.3. de malo.ar.9.ad 3. sed meliùs dicendum est, peccatum ex ignorantia affectata esse grauius, quia illud peccatum si fieret ex scientia, esset minus peccatum; quia voluntas peccandi causat ignorantiam illam affectatam. Secundo, quia v.g. fornicatio est magis voluntaria quando est ex ignorantia affectata; quia non vult illud impedimentum ad peccatum; ergo &c. Dices quarto, an peccatum quod fit ex ignorantia affectata sit eiusdem speciei cum peccato quod fit ex certa scientia. Pro solutione nota primo, quòd duplex est ignorantia, quædam voluntaria priuans vsu rationis, vt ebrietas; quędam quæ priuat sola scientia, & hæc vel est iuris, vel facti. Secundo nota, quòd peccata facta ex ignorantia iuris aut sunt ex se mala, vt furtum; aut sunt mala solo iure positiuo, vt non ieiunare. nunc dico primo, quòd peccata ex ignorantia iuris quæ secundum se sunt mala, sunt eiusdem speciei cum factis ex scientia; quia obiectum vtriusq; actus est idem, & intentum, ab obiecto autem sumitur specificatio; ergo &c. Dico secundo, opera facta per ignorantiam quæ priuat vsum rationis, sunt eiusdem speciei reductiuè cum alijs, vt homicidium factum ab ebrio est verum homicidium, contra Caietanum. Ita enim docet D. Tho. ad 4. & alij communiter; Vnde inducit irregularitatem. Tertio dico, quòd peccata commissa ex ignorantia facti, sunt eiusdē speciei cum commissis scienter, vt homicidium commissum in venatione ex negligentia inaduertendi, est virtualiter, & indirectè volitum; ergo &c. Quarto dico, quòd peccata facta ex ignorantia iuris positiui, sunt in eadem specie reductiuè in qua essent cum scientia; vt qui ex ignorantia culpabili non ieiunat, peccat contra temperantiam, &c. quia talis actus est indirectè voluntarius. D. Tho. 1.2.q.76.ar.4.

Vigesimumquintum dubium. An voluntas possit moueri ab appetitu sensitiuo. Resp. primo, directè non potest moueri, quia potentia immaterialis non potest moueri à materiali. Secundo dico, quòd indirectè potest moueri per abstractionem. cùm enim anima sit finita, quando appetitus vehementer applicatur in vnum, remittitur, vel impeditur motus voluntarius. Secundo, ex parte obiecti voluntatis, quod

est bonum apprehensum, nam impeditur iudicium, & appre-hensio rationis propter vehementem, & inordinatam apprehensionem imaginationis. D. Tho. 1.2.q.77.ar.1. Medin. ibid. q. 7. ar. 2. Dices, an possit esse peccatum in voluntate, non præcedente errore in intellectu? Resp. Scot. in 3.d.36. tenet posse. Sed D.Tho.q.77.ar.2.& alij communiter negant.& hæc est vera,& tenenda. quare absolutè dicendum est non esse peccatum errore, vel inconsideratione præcedente in intellectu: nam non videtur possibile quòd voluntas consentiret in peccatum absq; eo quòd iudicium corrumpatur vel ex volitione efficaci, vel ab ipsa passione appetitus sensitiui. Neq; obstat quòd scripturæ, & patres sæpe dicunt quòd multi sciēter peccant; nam vel loquantur de scientia vniuersali, vel de particulari in habitu, vel de iudicio intellectus practici sine imperio efficaci. Medin. 1.2.q.77.ar.2. Dices secundo, an peccatum, quod est ex passione debeat dici ex infirmitate? Resp. affirmatiuè cum D. Tho. ar. 3. quia passiones sunt quædam animi ægritudines impedientes regulam rationis. Vnde Arist. l. 1. polit. incontinentem comparat paralytico. Tertio dices, an amor sui sit principium omnis peccati? Resp. quòd inordinatus amor sui est causa,& principium omnis peccati; ex August.l.ciu.cap.13.D.Tho.supra.ar.4. patet; nam nemo peccat nisi consequatur aliquod bonum quod inordinatè amat. Caiet. ar.4.cit. Dices quarto, an causæ peccatorum sint concupiscentia oculorum, & superbia vitæ? Resp. affirmatiuè, nam ad duo priora reducuntur omnes passiones concupiscibilis. ad peccatum verò passiones irascibilis, vt prosequitur D. Thó. ar.5.& ibid. Medin. Dices quinto, an passio minuat peccatū? Resp. primo, quòd passio quæ præcedit actum, seu anteuertit iudicium rationis, & electionem, magis auget peccatum; vel potius est signum grauitatis peccati, quatenus demonstrat intentionem voluntatis ad actum peccati. D. Tho. ar.6. Dices sexto, an passio omnino excuset à peccato? Resp. D. Tho. ar. 7. quòd passiones quæ simpliciter causant inuoluntarium, excusant in toto à peccato, vt quæ auferunt omnino vsum rationis; non autem aliæ. addit tamen id intelligi, quando causa non fuit voluntaria, sed rationalis; si enim fuit voluntaria, tunc peccata inde sequuta imputantur tanquam indirectè volita in causa; vt ebrio homicidium. Dices septimo, an peccata

quæ

quæ facit ebrius sint circunstantiæ peccatorum, an verò peccata distincta volita in causa? Secundo, an ei qui sua culpa incidit in morbum, imputandum sit quòd non ieiunet, non recitet officium &c. Resp. negatiuè, nisi ea intentione dedisset occasionem. Medin.ar.7.cit. Tertio, an imputetur primum ei qui dedit causam peccato, v. g. pollutioni nocturnæ, sed antequam acciderit, pœnituit? Resp. negatiuè. Medin. loco cit. Dices septimo, an peccatum quod est ex passione, possit esse mortale? Resp. quòd quando quis ex passione procedit ad actum peccati, vel consensum deliberatum, peccat mortaliter. In motibus autem subitis in quibus ratio non potest occurrere ob vehementem passionem, non est peccatum mortale. D.Tho.& Medin.q.77.ar.8.cit.

Vigesimumsextum dubium. Quid est peccare ex malitia? Resp. primo, peccare ex malitia non est velle malum sub ratione mali, vt vult Scot. quia voluntas non potest velle malum sub ratione mali. neq; est peccare ex habitu vitioso, vel praua consuetudine, quia multi ex malitia peccant, qui non habent habitum prauum. nec est peccare ex præcedente peccato; quia peccatum ex malitia interdum est primum peccatum, vt in Angelis. quare peccare ex malitia est, nulla impellente passione eligere malum quod scitur esse malum. Nota tamen quòd licèt malum secũdum se non possit esse intentum ab aliquo, potest tamen esse intentum ad vitandum aliud malum, vel ad consequendum aliquod bonum saltem apparens. D.Tho.1.2.q.77.ar.1. Medin.ibid. Secundo, peccantes ex habitu, peccant ex malitia, cũm agant ex quadam electione; non tamen necesse est vt quicunq; ex certa malitia peccat, ex habitu peccet. D.Tho.supra. ar.2.& 3. Tertio, peccatum ex certa malitia est grauius peccato facto ex passione. tum quia illud est maximè voluntarium; tum quia est diturnius; tum quia peccans ex certa malitia est malè dispositus quoad finem. D.Tho.q.cit.ar.4 hactenus de causis intrinsecis peccati. nunc de extrinsecis quæ possunt esse Deus, Dæmon, & homo. de singulis dicamus.

Vigesimumseptimum dubium. An Deus possit esse causa peccati? Resp. quòd actus peccati vel consideratur in genere naturæ ratione entitatis naturalis quod est naturale peccatũ; vel in genere moris, quod dicitur formale peccatum. hoc

posito,

posito, dico; quòd quamuis Deus sit causa entitatis peccati, non tamen est causa deformitatis ipsius; quare non est dicendus quòd sit causa peccati nec directè, neq; indirectè. Plura apud Medin.1.2.q. 79.ar.1. & ad omnia loca scripturæ vbi dicitur Deus indurare, excæcare, &c. Resp. intelligi permissiuè. Vel intelligi debent quatenus priuat Deus homines propter ipsorũ peccata illis auxilijs, sine quibus non possunt absq; summo conatu, & difficultate resipiscere. Vel offerendo occasiones peccatorum; non tamen priuat omni auxilio. Et hãc ipsam excæcationem aliquando ex sua misericordia ordinat Deus ad salutem ipsorum peccatorum. Medin. supra.ar.2.& 3. Dices; an Deus velit aliquando peccatum sub ratione boni? Resp. ex communi sententia, quòd Deus vult tantum permittere peccatum fieri ex quocunq; bono fine.

Vigesimum octauum dubium. An Diabolus sit causa peccati. & quomodo? Resp. non potest esse homini directè, & sufficienter causa peccati; sed indirectè, & per modum persuadentis, & proponentis exteriùs appetitum. non enim potest interiùs mouere voluntatem ad agendum. Secundo, Dæmones possunt inducere hominem ad peccandum interiùs ingerendo, & instigando, &c. Tertio, licèt Deo permittente possint Dæmones inducere aliquo modo ex necessitate ad faciendum aliquem actum qui ex genere suo sit peccatum, non possunt tamen necessitatem homini inferre ad peccandum; quia si ratio non est omnino ligata, potest ex ea parte resistere peccato. Quarto, licèt Dæmon sit occasio omnium peccatorum, cùm infecerit totam naturam, & reddiderit procliuem ad peccandum; non tamen singula peccata fiunt ex illius sugestione. quia si Diabolus non esset, homines nihilominus haberent appetitum ciborum, & venereorum, qui potest esse inordinatus. D.Tho.1.2.q.70. & Medin.ibid. Præterea nota, quod à malè habituatis plura peccata fiunt ex mala voluntate, quàm ex suggestione Diaboli. Similiter ab infidelibus. Vniuersaliter tamen peccatores plura peccata faciunt ex tentatione Dæmonis, quàm ex praua voluntate; quia ad hoc elaborat omnis industria, & inuidia Dæmonis. De varijs tentandi modis vide Guglielm. Paris.l.de tent.& resist.

Vigesimumnonum dubium. An homo homini sit causa peccati? Resp. potest esse causa peccati. quia sicut Dæmon

exteriùs suggerendo, & incitando ad peccandum mouere potest; deinde particulari quodam modo per originem transmittitur peccatum per generationem. de quo D. Tho. 1. 2. q. 81.

Trigesimum dubium. Quomodo vnum peccatum sit causa alterius peccati. Resp. primo, cupiditas quatenus est appetitus inordinatus diuitiarum, est radix omnium peccatorum, ad instar radicis arboris quæ præstat alimentum toti arbori. diuitijs enim homo iuuatur ad quodcunque peccatum perpetrandum. & sic intelligitur illud Pauli. 1. Tim. vlt. *Radix omnium malorum est cupiditas*. Secundo, superbia etiam quatenus est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ est initium omnis peccati; idq; ex parte intentionis; vt cupiditas ex parte executionis. Vnde eccles. 10. *Initium omnis peccati est superbia*. Medin. q. 64. ar. 2. Tertio, non solum auaritia, & superbia sunt vitia capitalia vti radices, sed multa alia; quæcunq; .s. dirigunt homines ad alia peccata; veluti duces exercitus. Et sic dicitur vitium capitale ex quo alia vitia oriuntur. huiusmodi sunt septem; auaritia, superbia, & reliqua; quæ dicuntur capitalia metaphoricè. Primo, quia disponunt ad alia vitia vt dictum est. vt superbia ad iactantiam, &c. Secundo, quia subministrant materiam alijs peccatis; vt gula luxuriæ, ira homicidio, &c. Nota tamen quòd Greg. l. 31. mor. inter vitia capitalia non numerat superbiā; eoquòd sit potius omnium Regina; sed vanam gloriam, quæ est potissima, & prima superbiæ filia.

Trigesimumprimum dubium. Quæ sunt partes peccati? Resp. in peccato sunt duo. Primum, est actus quidam, & operatio peccantis. Secundum, est deformitas quædam à præcepto diuino. Vtrunq; est in peccato. solus actus non est peccatum; sed illa deformitas à regula adiuncta actui facit peccatum. Vt siquis in imaginem Cæsaris manu proijceret lutum, & fœdaret; hic sunt duo; est ly *proijcere lutum*, & hoc est quid bonum, est enim quædam actio, & operatio. at illa fœditas ex proiectione luti resultans, est mala, & peccatum. Primum vocant Theologi materiale peccati; secundum verò formale. In ista obliquitate, seu recessu à regula, peccator facit duo; primo, auertit se à Deo, quia auertit se ab eius voluntate. Secundo, conuertit se ad creaturam .i. ad satisfaciendum

tiendum suo appetitui; hoc est quod aiunt Theologi, auertit se à bono incommutabili, & conuertit se ad bonum commutabile. Ista sunt in peccato mortali propriè; in veniali non ita propriè.

Trigesimumsecundum dubium. Qui sunt effectus peccati? Resp. effectus peccati mortalis sunt: primo, macula, & reatus. macula est priuatio gratiæ, quæ est pulchritudo animæ. reatus est obligatio ad pœnam. manet autem anima obligata ad pœnam æternam. & quia in peccato erant duo .s. auersio à summo bono, & conuersio ad creaturam; ita erit duplex pœna ratione peccati; erit pœna damni, idest priuatio visionis diuinæ. ratione secundi erit pęna sensus, idest perpetuum tormentum ipsius. Secundo, peccatum diminuit bonum naturæ, idest inclinationem ad virtutem quam homo habet à natura, pro quo nota, in homine considerari tria bona naturæ: Primū, sunt principium ex quibus natura ipsa constituitur, & proprietates quæ ex illis emanant, vt potentiæ animæ &c. & hoc nec tollitur, nec minuitur per peccatum. Secundum, est donum iustitiæ originalis quod fuit in primo homine collatū toti naturæ humanæ; & hoc fuit omnino ablatum per peccatum primi parentis. Tertium, est inclinatio ad virtutem; & hoc (vt dixi) minuitur per peccatum; quia per hoc quòd aliquis inclinatur ad vnum peccatum, diminuitur eius inclinatio ad aliud. D.Tho.12.q.85.& Medin. ibid. Tertio, ex primo peccato consequuta sunt quatuor velut animæ vulnera; ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in irascibili, concupiscentia in concupiscibili. pro quo nota, quòd per iustitiam originalem ratio continebat in officio omnes vires inferiores. Subtracta verò erat iustitia per peccatum primi parentis, vires animæ remanserunt quodammodo destitutæ proprio ordine quo ordinabantur ad virtutem. & hæc destitutio dicitur vulneratio naturæ. D.Tho.supra.ar.3. Quarto, qualicunq; bono priuat peccatū, & ipso priuat speciali modo, & ordine. de quo D. Tho.supra.ar.4. Quinto, mores, & alij defectus corporales sequuti sunt peccatum originale veluti pœnæ. & licèt hi defectus sint contra naturam particularem, sūt tamen secundum naturam vniuersalē hominis naturales, non quidem à parte formæ, sed à parte materiæ. D.Tho.supra. ar. 5. & 6.q.9. Sexto, per peccatum mortale incurritur inimici-

tia Dei, macula animæ, & reatus æternæ pœnæ. Vnde homo priuatur amicitia Dei, seu gratia, & charitate, & fit seruus Dęmonis. Explico, cùm enim per peccatum mortale homo auertatur à Deo, conuertatur ad creaturas, Deum offendit, & inhonorat. Vnde ex parte Dei sequitur offensa ob iniuriam ei illatam. & quòd priuat hominem gratia, & donis omnibus, & virtutibus infusis, non tamen fide & spe, nisi per actus ipsis contrarios. In anima autem remanet macula quatenus priuatur nitore luminis naturalis, & splendore sapientiæ, & gratiæ, quæ quidem macula remanet post actum peccati. D. Tho. supra. q. 86. Dices, an peccatum possit esse pęna peccati? Resp. per se non potest esse, sed per accidens potest contingere dupliciter: Primo, quatenus homo desertus ab auxilio diuinæ gratiæ per peccatum, vincitur à Dęmone, vel passionibus. Secundo, quatenus peccatum inducit affectionem, damnat, pudorē, ignominiam &c. D. Tho. supra q. 87. ar. 2. Dices secundo, an omni peccato debetur pęna æterna, vel infinita? Resp. primo, ratione peccati mortalis inducit reatus pęnæ, Matth. *Ite maledicti in ignem æternum*. Secundo, peccatum veniale inducit reatum pęnæ temporalis, sed in inferno punitur pęna nunquam finienda, idq; ratione status in quo nulla fit remissio, de quo D. Tho. q. 87. ar. 5. ad 2. & ibid. Medin. Tertio, quòd peccato mortali ratione auersionis debetur pęna infinita, quæ est pœna damni .i. infinita amissio infiniti boni. Ex parte verò conuersionis respondet peccato mortali pœna sensus infinita. Pro quo nota, quòd in peccato considerantur illa duo quæ supra diximus .s. auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. D. Tho. supra. ar. 4. Dices tertio, an reatus pœnę remaneat post peccata? Resp. primo, post actum peccati manente macula, & auersione à Deo, manet reatus pęnæ. Secundo, post ablatam maculam per pęnitentiam, aliquando manet reatus ad pęnam, non simpliciter, sed satisfactoriè. D. Tho. ar. 6. cit. Dices quarto, an omnis pęna sit propter culpam? Resp. primo, pęna propriè dicta semper est propter culpam. Secundo, pęna satisfactoria non semper est pro culpa, quia sæpe vnus satisfacit pro alio. Tertio, pęna medicinalis ad exercitium virtutum non semper est pro culpa, quamuis hæc habeat fundamentum ex peccato originali. D. Tho. q. cit. ar. 7. Dices quinto, an aliquis puniatur pro peccato alterius? Resp. primo,

pęna

pœna satisfactoria vnus punitur pro peccato alterius. Secundo, pœna propriè dicta nullus punitur pro peccato alterius. Tertio, pœna medicinali vnus punitur pro peccato alterius, vt populus pro Rege, filius pro patre. Quarto, in bonis spiritualibus nullus punitur pro peccato alterius. Ezechiel 18. D.Tho.q 87.cit.ar.8. Notandum est autem omne peccatum tam veniale, quàm mortale esse materiam confessionis, vt habetur in Concilio Trid.sess.14.cap.5. Est vna differentia, quòd mortalia sunt de necessitate confessionis, idest non possunt remitti nisi per confessionem saltem in voto. Venialia non sunt de necessitate confessionis. In vno tamen casu debet homo confiteri venialia, quando dubitat esse mortalia. Aliqui addunt alterum casum; puta quando est tempus præcepti confessionis, & aliquis non habet nisi venialia. Sylu. verb. confessio.1.§.14. Nau. cap.21.num.34.ego tamen credo non esse necessarium. quòd si esset scandalum, accedat ad confessariũ & dicat, ego non habeo materiam necessariam ad cõfitendum. Hanc sententiam tenet D. Tho.3.p.q.84.ar.2. Scot.in 4.d.17. Dur. ead.d.9. Et hæc de materia remota pœnitentiæ, & de pœnitentia ipsa in genere. de cuius essentia dictum est supra cap.1. dub.14. de materia, dub. 3. de forma, dub.4. de ministro, dub.7. de effectu, dub.8.&c. sequitur vt de eius materia propinqua dicamus .i. de ipso peccato contritioni, confessioni, & satisfactioni exposito; quæ sunt tres penitentiæ partes. idcirco de prima eius parte tractemus, idest de contritione.



TRACTATVS

TRACTATVS SEXTVS DE CONTRITIONE

Caput vnicum continet aliquot dubia.



PRIMVM dubium. Quid est contritio. Resp. *Est dolor de peccatis assumptus cum proposito confitendi, & satisfaciendi.* D. Tho. in addit. q. 1. ar. 1. Sot. in 4. d. 17. q. 2. ar. 1. Trident. sess. 14. cap. 4. vel sic, & melius. *Est detestatio peccati quatenus est offensa Dei cum proposito emendandi vitã, confitendi, & satisfaciendi, cum spe veniæ diuinitus obtinendæ.* Sot. ibid. Pro quo nota primo, contritionem vocari compunctionem à Chrysost. & August. in l. de compunct. ob duplicem metaphoram; vel quia sicut medicus pungit apostema ad venenum fugandum, ita pungitur cor vt exeat peccatum. Vel sicut equus infixus luto adhibito calcari surgit, sic homo à peccato. Dicitur etiam scissio apud Iohelem cap. 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Sed particulari nomine dicitur contritio, sumpta metaphora ex eo quòd sicut lapis durus dum conteritur, emollitur; sic cor hominis obduratum per peccatum, humili detestatione peccati conteritur, & emollitur. Ita Sot. supra cit. Vnde psal. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Secundo, ad contritionem non requiritur necessariò dolor sensus, sed detestatio peccatorum quæ est in voluntate; est enim primus actus virtutis pœnitentiæ. quare licèt ferè semper ex contritione oriatur dolor in appetitu concupiscibili, qui est passio; sed ex electione voluntatis fit virtus, tamen is dolor non est necessarius ad virtutem

tem pœnitentiæ. Dicitur autem in definitione *dolor*; tum quia detestatio est dolor cordis; tum quia est causa doloris sensui. Caiet. 1. 2. q. 113. ar. 5. & Sot. supracitatus. Tertio, non qualiscunque dolor de peccatis est contritio, sed dolor de peccatis quatenus sunt offensa Dei, vt docet August. & habetur can. charitas.il 1. de pœnit. d. 2. D. Tho. 3. p. q. 85. ar. 3. Victor. q. 119. Quarto, ad veram contritionem requiritur cessatio à peccatis, & propositum non peccandi de cætero, confitendi, & satisfaciendi, quæ necessariò coniuncta sunt. D. Tho. 3. p. q. 85. ar. 3. Caiet. q. 1. de contrit. Sot. in 4. d. 17. q. 2. ar. 1. & patet ex Concil. Flor. & Trid. sess. 14. can. 4. nam non potest esse vera pœnitentia sine charitate; neq; hæc haberi potest nisi Deo placeamus in omnibus. & est communis doctrina patrum, verum pœnitentem debere habere duo tempora .s. dolorem de peccato præterito, & propositum non peccandi in futuro. An autem hoc propositum debeat esse actuale, an sufficiat virtuale; nonnulli putant sufficere virtuale. Medin. q. 3. Petrus Sot. relect. 17. de pœnit. Maior. & Almayn. quæ opinio licèt non sit periculosa, cùm videatur concilium in definitione intelligere per propositum non peccandi tum actuale, tum virtuale; tamen probabilius est, & magis concilio consonum, requiri actuale. Ita D. Tho. Caiet. Sot. Victor. supra, & alij quos ipsi citant. Probatur; quia dolor & detestatio debet esse actualis; ergo & propositum; quia ponuntur in eadem definitione. & patet ex Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, & custodierit omnia mandata mea &c.* & subdit; *Agite pœnitentiam, & facite vobis cor nouum;* vbi coniungit dolorem cum proposito. Apoc. 2. *Age pœnitentiam, & bona opera fac.* Ephes. 4. *Deponite veterem hominem, & induite nouum.* Item probatur; quia pœnitentia vera requirit cessationem à peccatis; hæc autem requirit propositum non peccandi. *Quiescite perversè agere, & discite* (.i. per propositum) *benefacere.* Esa. 1. An autem requiratur expressum propositum confitendi, & satisfaciendi in illo momento in quo conuertitur, Sot. supra negat, & benè; satis enim est habere virtuale, idest habere propositum seruandi legem, & confitendi tempore debito, & satisfaciendi. ita etiam Alens. q. 76. ar. 1 m. 2. Riccard. d. 17. q. 1. ar. 1. ad 4. Adrian. q. 1. de confess. ad 2. Nau. cap. sacrificium. de pœnit. q. 1. Caiet. opusc. de contra. q. 2. tom. 1. Dices, an

an contritio debeat esse propter Deum super omnia dilectum, ita vt non remittatur peccatum nisi Deus super omnia diligatur. Resp. aliqui affirmant. aliter enim non fieret reintegratio amicitiæ. Sed dico, quòd licèt regulariter pœnitentia procedat ex amore Dei, (nisi enim diligerem Deum, non odio haberem peccatum) potest tamen esse actus distinctus pœnitentiæ, qui non sit imperatus à charitate; vt doleo quia offendi Deum. & hic sufficit sine dilectione ad remissionem peccati. Victo. q. 119. Dices secundo, an qui sic dolet, statim recipiat gratiam? Resp. Gaiet. q. 1. de contr. dicit posse aliquando accidere vt non recipiat gratiam. Sed oppositum est tenendum cum communi sententia. quia qui facit totum quod in se est, statim consequitur gratiam. D. Tho. 1. 2. q. 112. ar. 2. ad 1. Victor. q. 120.

Secundum dubium. An contritio, & attritio differant specie, ita vt attritio non possit fieri contritio. Resp. primo, ex Trident. sess. 14. cap. 3. attritionem esse contritionem imperfectam. seu detestationem illam peccati, quæ per se non sufficit ad delendum peccatum, sufficit tamen cum Sacramento. nomine autem contritionis intelligimus dolorem quendam de peccato super omne detestabili propter Deum summè dilectum, cum proposito firmo non peccandi. ideo cùm multis modis contingat deficere ab ista perfectione, ideo dantur multæ species attritionis. prima, est quādo quis dolet de peccato propter aliquod damnum temporale; vt fur dolet furatū esse, proper infamiam; vel quia est suspendendus. Secunda, est ex turpitudine peccati, quæ turpitudo vel potest esse ex lumine naturali, vel ex gratia speciali. Tertia, est ex timore gehennæ, vel amissionis gloriæ, vel bonorū supernaturalium. Quarta, est quando aliquis dolet propter Deum dilectum amore naturali. Quinta, est cum quis dolet de peccato vt est offensa Dei, & proponit emendationem, sed in confuso; non enim considerat peccatum super omnia detestabile in genere, non descendendo ad particularia. Imo si ad hæc descenderet, fortè mallet aliquod aliud malum graue euitare, quàm Dei offensam. Sextus, est cum quis detestatur peccatum super omnia, sed habet potius velleitatem, quàm voluntatem absolutam non peccandi, vt est attritio vsurariorum, & meretricum. Ex quo sequitur quòd non quilibet dolor est attritio quæ sufficit

cum

cum Sacramento ad iustificationem. aliqui enim dolent, sed volunt in peccato perseuerare; vel habent voluntatem se emēdandi, sed voluntatem conditionatam, & imperfectam cauendi à peccatis; quæ non sufficit, vt docet Sot. in 4.d.17.q. 2. ar. 1. & Trident. supra. Ex dictis colligi potest in quibus conueniant attritio, & contritio. Primo conueniunt, quia vtraq; dolet de peccato. vtraq; est donum Dei; nam de attritione dicit concilium quòd est impulsus spiritus sancti mouentis, non adhuc inhabitantis. vtraq; non habet propositū peccandi. Differunt autem primo, ex parte principij; nam principium contritionis est amor Dei, & timor filialis: attritionis verò est amor sui licèt ordinatus, & timor sæpè seruilis. Secundo, ex obiecto sumitur differentia; nam contritio considerat peccatum vt est offensa Dei. attritio verò vt est sibi nociuum. Tertio, ex parte effectus, & finis; quia contritio reconciliat Deo; non tamen attritio vt sic, sed vt dispositio. Quarto, ex parte formæ extrinsecæ, quæ est gratia; nam attritio, est informis, contritio verò formata. His sic positis, circa dubium propositum sunt duæ sententiæ: vna est dicentium, quòd virtute Sacramenti attritio fit contritio, ita vt actus ipse qui erat dolor propter pœnam, adueniente gratia mutet obiectum, & fit propter Deum. Altera sententia opposita est vera, & tenenda. Pro cuius explicatione, Dico primo; attritio propriè loquendo intrinsecè, & formaliter, non potest fieri contritio, extrinsecè potest. Explico: attritio intrinsecè est cum dolet homo non propter Deum summè dilectum; fit contritio, quando fit propter Deum. Contritio extrinsecè vocatur actus attritionis quando terminatur, ac recipit formam gratiæ in Sacramento. Probatur; nam hi duo actus, idest attritio intrinseca, & cōtritio intrinseca differunt specie; cùm habeant diuersa obiecta, ergo vna non potest conuerti in aliā. Confirmatur; quia munus gratiæ est facere hominem amicum Dei, & informare eius bona opera. mutare autem obiectum actus, certè est abijcere vnum, & sustinere alium nouum. quod licèt quandoq; contingat in eo qui suscipit Sacramentum, nō tamen est semper necessarium; sed eodem ipso actu interno voluntatis quo quis accedit ad Sacramentum, sæpissime recedit, vt experientia demonstrat. & confirmatur; quia potest quis attritus accedere ad Sacramentum, quia in articulo mor-

tis quo absoluitur, cessauerit omnino habere actum pœnitentiæ vel per euagationem mentis, vel per subreptionem cogitationis; tunc certum est non mutari actum; & tamen fit ex attrito contritus; ergo &c. confirmatur ex Trid. cap. 4. cit. vbi dicit attritionem aptam ad gratiam impetrandam disponere in Sacramento pœnitentiæ. Dico secundo, attritio intrinseca potest fieri extrinsecè contritio, vel dum quis ad Sacramentum accedit attritus, tunc per Sacramentum suscipit gratiam per quam eadem attritio informata dicitur extrinsecè contritio. & tunc idem ille dolor qui erat conceptus propter pœnas inferni, adueniente gratia per Sacramentum, fit Deo gratus. quamuis aliquando etiam auxilio Dei mutetur finis doloris, ita vt non doleat ratione pœnæ, sed propter Deum; ita vt fiat contritio ex obiecto, vt dictum est. & iuxta hanc doctrinam exponendus est D.Tho. in 4.d.17.q.2. vbi dicit attritionem non fieri contritionem. sumit enim vtranque propriè, & intrinsecè, seu ex obiecto; vt docet Sot.l.2. de natura, & grat.cap.25. Vict.q.121. Obijcies: ergo sequitur ex dictis aliquem posse saluari sine actu charitatis, nam qui dolet de peccato ratione pœnæ si iustificetur in Sacramento per dictam attritionem informatam; nondum diligit Deum super omnia, & tunc si moreretur, saluaretur; ergo &c. Resp. saluari per gratiam, & habitum charitatis. actus enim charitatis non obligat nisi pro loco, & tempore; Ideo nullum est absurdum. Dico tertio, nulla attritio ex supradictis extra Sacramentum iustificat. In Sacramento verò sola illa quæ ex auxilio speciali Dei nascitur, & excludit omnino peccatum saltem in communi. Prima pars probatur ex Trid. sess. 14. cap. 4. vbi ait, attritionem non esse satis extra Sacramentum ad iustificandum hominem. In Sacramento verò disponit hominem ad gratiam impetrandam. Secundo, quia ille dolor non mouetur propter Deum, nec mouetur Deus ad dandam gratiam illi. Vnde non placet quod ait Rupert. in Matt.16. quòd quando quis dolet propter gehennam, posset iustificari etiam extra Sacramentum; nam Concil. Trid. expressè docet contrarium. Secunda pars probatur. de prima specie, quæ nascitur ex damno temporali, est communis doctrina omnium, quòd illa attritio cognita attritio, etiam cum Sacramento non est sufficiens, quia est valde infirma, & vilis. quid si sit

putata

putata contritio? Sot. in 4.d.18.q.3. putat posse dici vtrunq; sufficere, & non. ego credo non sufficere; quamuis satisfiat præcepto confessionis, & non oporteat iterari. Idem tenet Nau.cap.1.num.31. De secunda specie quæ nascitur ex turpitudine peccati, dico in Sacramento valere omnino. Præsertim quando est putata contritio. Probo; nam Trid. huius meminit. quid si sit putata attritio? puto etiam tunc valere, quia concilium simpliciter loquitur. De tertia specie quæ est timore gehennæ, dico valere; etiam si sit putata attritio; quod est contra Sot. ibid. ar. 2. ad 2. & Nau. ibid. num. 39. probo; quia Trid. videtur fauere huic opinioni. De quarta specie, quæ ex amore naturali Dei prouenit, dico quòd si ex solis naturæ viribus prouenit, non esset satis; sed quia amor Dei super omnia ex naturæ viribus non potest prouenire, sed ex Dei auxilio, dico hanc quartam esse magis sufficientem, quàm tertiam, & alia præcedens. De quinta specie licèt Caiet. opus. de attrit. & contrit. dicat illam non esse sufficientem, tamen credo esse sufficientem. ita etiam Nau. cap. 1. num. 37. & Victor. quem ille citat. modo ille doleat omnino, & nullum habeat dubium. de sexta specie, certum est quòd non valet etiã cum Sacramento; imo est sacrilegium sic accedere. Deniq; dico, attritionem extrinsecam posse fieri contritionem; idest dolorem de offensa Dei, sed imperfectum; virtute Sacramenti potest fieri contritio sola intentione doloris, & propositi, ita vt homo qui remisse dolebat de peccato propter Deum maximè doleat, & illud detestetur super omne detestabile, quicquid in contrarium dicat Sot. probatur; quia poterit ille dolor remissus crescere ita vt fiat summus, & homo propter illum detestetur peccatum super omne detestabile cum maximo proposito emendationis; ergo &c. vnde quamuis in modo explicandi sint opiniones, tamen de fide est, homines ex attrito posse fieri contritum; vt patet ex Trid. can. 4. cit. & communi omnium sententia, nam quibusdam quasi gradibus iustificatur impius. Quare attritio quæ excludit voluntatem peccandi cum spe veniæ, est donum Dei, & spiritus sancti mouentis impulsus, quo homo ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponitur; vt patet ex Trid. supra. vnde constat, quòd licèt ex viribus naturæ possit homo habere aliquem dolorem peccati, non tamen summum sine Dei auxilio,

nec talem qui voluntatem peccandi omnino excludat cum spe veniæ; quicquid dicant in contrarium Ledes. & Sot. ex his sequitur quòd homo potest ritè confiteri, & iustificari sine illo summo dolore quem requirit Caiet. accedendo ad confessionem. nam Concil. Trid. dicit satis esse dolorem de peccato cum firmo proposito non peccandi de cætero, & cum spe veniæ accedente virtute Sacramenti; qua .s. homo ex attrito fiat contritus, vt notat Nau. cap. 1. num. 36. cum Victor. & Sot.

Tertium dubium. An per contritionem remittatur tota pœna peccati? Resp. non remittitur tota pœna, vt definitur in Trid. sess. 14. can. 12. & 15. de pœnit. probatur primo, quia alias frustra esset satisfactio, & purgatorium. Item patet ex 2. Reg. cap. 12. exemplo Dauid. Secundo, remittitur aliquid pœnæ per contritionem; quia est ex se afflictiua. Tertio, potest esse tanta contritio, quæ sufficiat aliquando ad remittendam totam pœnam; vt credimus accidisse Petro, & Magdalenæ. Victor. q. 125. Sot. in 4. d. 15. q. 1. ar. 4. D. Tho. 1. 2. q. 87. ar. 1. & in Addic. q. 5. ar. 2.

Quartum dubium. An de singulis peccatis opus sit habere distinctas contritiones, an sufficiat vna de omnibus in generali. Resp. prima sententia est D. Tho. 1. 2. q. 113. ar. 5. ad 5. & 3. p. q. 86. ar. 1. Medin. q. 3. de pœnit. Dur. in 4. d. 17. q. 2. ad 1. Palud. d. 17. q. 1. ar. 2. concl. 5. Riccard. d. 16. ar. 4. q. 2. Sot. in 4. d. 17. q. 2. ar. 3. Cani lect. 3. de pœnit. Anton. 3. p. tit. 14. cap. §. 1. qui dicunt requiri specialem, & particularem, ac distinctam cõtritionem de singulis peccatis specialiter cognitis. in casu tamen vrgenti aliqui concedunt sufficere generalem, vt Anton. & Riccar. supra cit. Secunda sententia est Caiet. in opusc. de contrit. q. 2. Victor. de contrit. q. 116. Ledesm. 2. 4. q. 1. ar. 6. Petr. Sot. lect. 13. de pœnit. Vegæ l. 13. cap. 23. Nau. cap. 1. num. 20. Qui dicunt satis esse contritionem generalem; quia alias non posset homo quocũq; momento conteri, sed in scripturis habemus quòd in quacunq; hora ingemuerit peccator, veniam obtinebit; ergo &c. Pro solutione nota primo, hanc quæstionem posse intelligi dupliciter: vel de contritione in ordine ad confessionem, vel extra confessionem. Secundo, hæc quæstio potest habere triplicem sensum. Primus, an requirantur distinctæ contritiones secundum numerum, ita vt decem furtis debeant respondere decem contritiones. Secundus, an ad sin-

ad singula secundum speciem singulæ contritiones requirantur; vt siquis commisit decem furta, & decem adulteria, debeat habere duas distinctas contritiones; vnam de furtis, alteram de adulterijs. Tertius est, vt habeatur vna tantum contritio, sed quæ distinctè feratur ad singula peccata, etiam si sint diuersarum specierum. His positis loquendo de contritione extra confessionem: Dico primo, non est necessaria contritio particularis de singulis peccatis, sed sufficit vniuersalis; quia per Ezechielem 18. promittitur remissio quandocunq; peccator ingemuerit; idest, in quocunq; momento; ergo &c. Ita Caiet. verb. contritio. & 3.p.q.87.ar.1. & q.2. de contrit. Medin. c. de pœnit. q.3. Sot. in 4.d.12.q.2. ar.3. & alij supra cit. quicquid dicat Palud. in 4.d.17.q.1.ar.2.concl. 5. Dico secundo, probabilius est in lege gratiæ ad remissionem peccatorum sufficere vnam contritionem generalem, vt tenent Doctores secundæ sententiæ; quia ad veritatem contritionis id videtur sufficere; & est fauorabilius. Siquis enim diceret singulas contritiones pro singulis peccatis esse necessarias, imponeret iugum graue legi Dei. Hinc infertur à fortiori, quòd ad remissionem peccatorum oblitorum sufficit generalis contritio; quod etiam D.Tho. concedit in 4.d.17.q.2.ar.2.q.3.ad 2. & Caiet. verb. contritio. Dices, an peccatum mortale oblitum quod per generalem contritionem remissum est, si postea in memoriam veniat, sit simpliciter detestandum. Resp. id non esse necessarium; Caiet. q. 2. Dices, an si peccatum oblitum sit dimissum ex virtuali contritione in actu charitatis, & non pœnitentiæ formali, opus sit de eo habere contritionem. Resp. affirmatiuè, Medin. q. 2. de pœnit. qui dicit esse communiorem sententiam. Deinde quod attinet ad contritionem quæ est in ordine ad confessionem, omnes conueniunt non satis esse contritionem generalem, sed omnia esse specialiter detestanda, vt quis ritè confiteatur. Est autem in explicanda hac sententia dissentio inter Doctores, nam Caiet. q. 2. de confess. & alij, dicunt requiri tot numero contritiones quot sunt peccata commissa, quæ quis confitetur. vel saltem vt siquis confiteatur decem furta, distinctè actu hæc detestetur: similiter decem blasphemias. Verum hæc sententia licèt sit tutior, opposita tamen est probabilior, quam tenet Sotus, & Ledes. supra cit. qui dicunt satis esse vnam peccatorũ detestationem,

quæ

quæ terminetur ad omnia peccata explicata in confessione, si-ne ea sit contritio, siue attritio sufficiens ad consequendam gratiam cum Sacramento. neq; hæc est ficta confessio, sed ficta dicitur quæ fit sine vllo dolore præcedente, vel cõcomitante confessionem. Probatur hæc sententia; nam aliàs omnes ferè confessiones essent fictæ; & magna pœnitentibus difficultas imponeretur. quare (vt ait) satis est ad habendam contritionem singulorum peccatorum specialem habere, vt dum quis accedit ad confessionem, recogitet singula peccata sua, quibus memoriæ oblatis contritionem habeat illorum. hæc enim dicitur singularis contritio.

Quintum dubium. De quo debeat esse contritio. Resp. contritio propriè non est de pœnis, sed de culpa. Est de proprijs peccatis mortalibus, actualibus, præteritis; quia in his locum habet Sacramẽtum pœnitentiæ, ex Concil. Flor. & Trid. sess. 14. can. 1. & est communis sententia. De peccato originali non est contritio; quia contritio est ad diminuendam duriciem peccati à nobis commissi. Originale verò non est cõmissum à nobis. & ad illud delendum institutus est baptismus. Item, quia cùm propria voluntate illud non contraxerimus, non est nobis magis pœnitendum, quàm naturalium defectuũ. De omni peccato actuali debet esse contritio, & de oblitis est necessarius dolor in generali. De peccatis proprijs debet esse contritio, nam si contritio largè sumatur pro displicentia cuiuscunq; mali, sic possumus contritionem habere peccati originalis, vt ait Medin. de pœnit. cap. 2. quia illud detestamur. Sot. in 4. d. 14. q. 1. ar. 3. Palud. in 4. d. 17. q. 1. ar. 3. concl. 2. Caiet. verb. contritio. Medin. c. de pœnit. q. 3. Contritio est de peccatis proprijs, non de alienis, vt significat Caiet. & docet D. Tho. in 4. d. 17. q. 2. ar. 2. q. 5. Sotus, & alij, nec obstat illud: *Ab alienis parce seruo tuo*; nam illud intelligitur, si in illo peccatò aliquo modo interfui vel consilio, vel ope, vel alio modo. Contritio est de præteritis, non de futuris; nam hæc nondum commissa sunt; & sic homo non potest habere displicentiam de nondum commissis; D. Tho. supra. Sylu. verb. contritio. q. 2. Ledes. 2. 4. q. 1. ar. 4. de futuris enim peccatis potius dicitur Cautio. Dices, ad præterita nulla est potentia, ergo impossibile est quòd aliquis velit determinatè non peccasse. Resp. quòd talis detestatio est conditionata. s. vellem non peccasse

casse si esset possibile; & quia video impossibile esse, contristor de offensa Dei. Adrian.q.de pœnit. Caiet.1.2.q.13. ar.1. & 1. p. q. 63. ar. 3. Hinc etiam infertur quòd de præsentibus peccatis non potest haberi contritio; quia in eodem instanti non potest homo habere complacentiam simul, & displicentiam de peccato. Dices, an peccata mortalia ante baptismum commissa possint esse materia contritionis. Resp. primo, si loquamur ante baptismum, possunt esse materia; vt Sot. supra ar.2.q.1.Medin.q.3.de pœnit. Secundo, post baptismum possunt etiam esse materia contritionis, quia non est absurdũ vt de peccatis remissis rursus habeatur cõtritio sicut de peccatis confessis, Caiet. verb.contritio; quia licèt non sit necessaria, prodest tamen ad maiorem gratiam consequendam, & faciliùs ad cauendum à futuris; vt ait Ledes. 2. 4. q. 4. ar. 3. Peccata venialia licèt possint esse materia contritionis, non tamen de his est necessaria contritio. Medin.c. de pœnit. q.3. Caiet.verb.contritio. Sot. supra. quare venialia remitti possunt per contritionẽ, quæ non habeat omnes requisitas circũstantias Sot.in.4.d.15.q.1.ar.1.Nau.cap.1.num.24.

Sextum dubium. An contritio sit necessaria ad salutem. Resp. affirmatiuè.ex Caiet verb.contritio. Nau.cap.1.nu.28. & est communis.Probatur ex Trid.sess.14.cap.4.& addo quòd est necessaria necessitate præcepti. Sot.in 4.d. 17. q. 2. ar. 6. concl.1. & patet ex locis scripturæ in quibus præcipitur. Ps. 50.*Cor contritum &c.* Daniel.cap. 3. *In animo contrito, & spiritu humilitatis.* Isa. 60. *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu &c.* Dices, an necessaria sit contritio formalis, an sufficiat virtualis, quæ .s. continetur in dilectione Dei super omnia. Resp.aliqui tenent sufficere virtualem. Opposita tamen sententia est vera, & ponenda, quòd sit necessaria formalis contritio. est D.Tho. & Caiet. 3. p. q.84. ar.5.ad 2. & q.86.ar.2.Ledes.2.p.q.1.ar.3. Dices, Magdalenæ dimissa sunt peccata quoniam dilexit multũ.Resp.à Caiet. quòd in ea dilectione intercessit formalis contritio. Dices secundo, an in martyrio quando peccata non occurrunt memoriæ propter casum repentinum sine formali contritione per ipsum actum martyrij remittantur peccata. Resp. aliqui negant. sed communis sententia affirmat; quam tenet D. Tho. 3.p.q.87.ar.1.ad.2.Sot.in 4.d 15.q.1.ar.2. Nau.cap.1.nu. 11.

quòd

quòd si liceret per tempus martyrij habere contritionem formalem, & etiam confiteri de peccato mortali, ad id teneretur ratione præcepti. quando autē necessitas vrgeret in agonia martyrij, præstat considerare præmium cœleste ad animū recreandum, quàm peccata, ne animus deficiat; Sotus supra. Dices, an contritio quæ cum Sacramento sufficit, debeat esse formalis. Resp. affirmatiuè, vt expressit Ledesm. 2. 4. q. 1. ar. 3.

Septimum dubium. An dolor contritionis debeat esse maximus omnium dolorum, an quilibet dolor sufficiat ad remittenda peccata. Resp. & nota primo, nos hic non loqui de dolore sensitiuo, qui non requiritur de necessitate ad essentiam contritionis; nam hic magis dolet ex læsione corporea, quàm in his quæ sunt minus proportionata sensui; vt sunt spiritualia. Licèt optimum esset excitare hunc dolorem in sensu; tum quia conseruat & auget dolorem voluntatis; tum quia scripturæ ad id nos hortantur; tum quoniam veri pœnitentes sic faciunt, vt Petrus qui fleuit amarè, & Magdalena rigabat lacrymis pedes Domini, & Dauid rigabat lectum lacrymis, non tamen est necessarius. multo minus necessariò debet esse summus; imo potest aliquando esse nimius, & vitiosus: idcirco Paulus. 2. cor. 2. vult consolari illum fornicarium ne nimia tristitia ducatur in desperationem; dolor autem in voluntate non potest esse nimius. verum est quòd iste esset interrumpendus quando sensitiuus esset nimius, quia vnus alium causat. Sed benè notat Bonau. in 4. d. 16. ar. 2. q. 2. hunc dolorem sensus aut rarò, aut nunquam esse nimium; & paucis dandum esse hoc consilium de temperando dolore. Secundo nota, antiquos doctores aliter de hac re fuisse loquutos quàm recētiores. D. Tho. in addit. q. 3. ar. 1. Bonau. in 4. d. 16. q. 1. ar. 2. ad 2. Dur. d. 17. q. 4. dicunt, dolorem rationalem debere esse maximum qui esse potest; non sic sensitiuum. Moderni verò Theologi distinguunt appetitum rationalem, & alium dicunt esse intensiuum, alium appretiatiuum; ille dicitur summus appretiatiuè, quo aliquid summè appretiatur: quando pro nulla alia re mundi pœnitens vult committere peccatum, & deliberat potius quoduis malum subire, quàm peccare; ita vt non sit intensio in actu; sed excellentia & æstimatio in parte obiecti, de cuius iactura dicitur magis dolore, licèt dolor non sit

adeo

adeo intensus quoad gradus. Ille verò dicitur dolor summus intensiuus, quando augetur actus in suis gradibus, idest ille qui plures habet gradus doloris, vel maiorem radicationem in subiecto. Omnes dicunt appretiatiuum debere esse maximum. De intensiuo autem aliqui dicunt debere esse maximum; vt sit dolor ex summo & vehementi conatu. Ita Adrian. in 4.q.1.de pœnit. ar.2. & quodl.5.ar.3. Aliqui dicunt requiri aliquem gradum intensionis vt sit contritio, & requiri etiam aliquem gradum durationis, & continuationis, qui gradus à Deo sit cognitus; ita Scot. in 4.d.14.q.2.ar.2. Alij dicunt quòd dummodo sit summus appretiatiuè quamuis remissus dolor, est vera contritio, ita Medin. c. de pœnit. q. 5. Sot. d. 13.q.2. ar.4. Ledes.2.4.q.2.ar.1. Nau.cap.1.num.31. Maior. in 4.d.14. q.1. Dico primo, circa dolorem rationalem conueniunt omnes primo debere esse maximum; quia scriptura ad hunc omnes hortatur. Item, quia amor Dei debet esse maximus; ergo & dolor de offensa Dei qui fundatur in amore Dei. Conueniunt etiam omnes, quòd pœnitens consequenter debet magis dolere de peccato facto, quàm de omnibus alijs malis; & si daretur optio, mallet non peccasse, quàm incurrere summam infamiam, mortem, & alia quæuis mala. Similiter debet habere propositum vitãdi peccata super omne vitabile, vt magis homo abhorreat peccatum, quàm infamiam, & omnes simul miserias. Cùm enim teneamur amare Deum summo amore appretiatiuo; ergo & tenemur dolere summo dolore; Matth.22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* & cap. 4. *Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus.* Item, Deus est summum bonũ, & culpa summũ malũ; ergo Deus est amandus summo amore, & culpa summo odio prosequenda. Dices, an pœnitens debeat facere istas comparationes; & an confessarius teneatur examinare de hoc. Resp. primo, non teneri pœnitentem facere istas comparationes, an .s. magis eligeret mortem, quàm peccatum; nam esset valdè periculosum; cùm præsens obiectum magis moueat, & posset quisuis facilè deficere. Secundo, si pœnitens faceret has comparationes cùm non teneatur, neq; debeat, vel si confessarius ei proponat, cùm tamen non debeat, tenetur pœnitens intrepidè eligere magis quodlibet malum, quàm peccatum; aliter peccaret, nec esset absoluendus. Tertio, potest pœnitens

Ddd

tens (propoſita hac comparatione cum firmo propoſito eligendi quodlibet aliud malum potius, quàm peccatum) dubitare de ſua fragilitate, ne fortè deficeret; dummodo habeat bonum propoſitum de præſenti. Vel poteſt ſuſpendere actum, ac dicere; nunc doleo de omni peccato, quid tunc facerem neſcio; at ſpero Deum fore mihi adiutorem. Quarto, cum pœnitens prorumpit in has comparationes, & oſtendit animum promptum, ſignum eſt veræ contritionis; & tunc eſt iuuandus à confeſſore huiuſmodi comparationibus, vt magis animus incendatur. Rom. 9. *Quis nos ſeparabit à charitate Christi? tribulatio, an anguſtia, an fames, &c.* Quinto, confeſſarius ſi ex confeſſione pœnitentis animaduertit eum dolere de omni peccato, non tenetur quærere. ſi verò aduertit illum dubitare aliquo modo, tenetur eum excitare ad veram pœnitentiam, quam ſi non poteſt excitare, non debet abſoluere. Cum enim interrogauerit an doleat de peccato ſuper omne malum, non proponendo particulare obiectum, ſed ſolum in communi, tunc nullum eſt periculum, vt tenet D.Tho. quodl.2.ar.9.& Caiet. Alij verò dicunt ſatis eſſe interrogare an doleat de peccato quia eſt offenſa Dei,& ſi ſic doleat, ſatis eſt. Secundo dico, eſſe probabilem opinionem Petri Sot. lect. 15.& l.14.de contr.de pœnit.qui non admittit illam diſtinctionem de amore appretiatiuo, & intenſiuo factam à recentioribus; ſed dicit ad veram contritionē requiri dolorem ſummum de peccato, etiam intenſiuè, non ſimpliciter, & abſolutè; ſed in ordine ad alios dolores, idest quòd ſit intenſior quàm quicunq; alius dolor qui in eo poſſet eſſe. Idem colligitur ex D. Tho.2.2.q.26. & 1.p. q.20.ar.3. Bonau.in 4.d.19.q.1. Dur. in 3. d. 29. q.2. probatur ex Matth. 10. vbi præcipitur vt magis amemus Chriſtum, quàm patrem noſtrum, vel matrem &c. ergo debet eſſe intenſus amor. ſic & Iohel 1. &2. *Scindite corda veſtra, &c.* hinc patet illam diſtinctionem de amore appretiatiuo & intenſiuo factam à recentioribus, non eſſe firmam; quia non poteſt eſſe amor appretiatiuus,qui non ſit intenſiuus. & cauſa erroris fuit, quia non benè diſtinxerunt inter amorem rationalem,& ſenſitiuum, & intenſionem vtriuſq; Dices, quanta debet eſſe hæc intentio amoris, vel doloris. Reſp. non eſſe præſcriptum determinatum gradum, ſed vt maiore affectu amemus Deum,quàm creaturas.& magis doleamus

leamus de peccatis, quàm de alijs malis. Dices secundo, quomodo cognosci possit quòd aliquis amor vel dolor sit maior. Resp. ab effectu. ex obseruatione legis. Obijcies; ergo debet amare Deum summo conatu super omnia. Resp. esse summum conatum cùm homo præfert Deum omnibus creaturis. Obijcies secundo, in habitu charitatis sunt habitus incipientium, & perfectorum; ergo actus minimæ perfectionis faciet me iustum. Resp. cum Bonau. q. 1. cit. charitatem considerari dupliciter; in se, & in comparatione ad alios amores. in se, est parua, maior, & maxima. in comparatione ad alios, vendicat sibi dominium in corde; vnde qui eam habet, opus est vt diligat Deum super omnia. Secundo dici potest, quòd charitas habet suos gradus, minimus actus huius habitus est amor Dei super omnia; ideo est maior omni amore creato.

Octauum dubium. An esse debeat maior dolor de vno peccato, quàm de alio. Resp. ad remissionem peccati obtinendū, satis esse de omnibus dolere actualiter in genere; qui enim sic dolet virtualiter, magis dolet de maiore peccato, quàm de minori. nam si de peccato dolet vt est offensa Dei, ergo de maiore offensa magis dolebit, vt ait D. Tho. in addit. q. 3. ad 2. Secundo dico, quòd facta comparatione inter duo peccata inæqualia, de maiore debet magis dolere.

Nonum dubium. An debeamus magis dolere de peccato proprio, quàm de peccato proximi. Resp. primo, supponendum esse quòd debemus dolere de peccato proximi. 2. cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? &c.* Secundo, de grauiori peccato proximi magis est dolendum quàm de nostro, si considerentur præcisè vt est offensa Dei, & nostrum est leuius. Tertio, absolutè & simpliciter loquendo, homo debet magis dolere de suo peccato proprio, quàm de proximi; quia est proprium malum, & nocumentum; & sic secundum ordinem charitatis est magis detestandum. Quarto, si agatur de peccato eligendo, nec minimum quidem licet agere ad vitādum quamuis magnum peccatum proximi; nam *non sunt facienda mala, vt inde veniant bona.* Rom. 3. plura curiosa dubia videnda sunt apud Sot. in 4. d. 17. q. 2. ar. 4.

Decimum dubium. An requiratur continuitas doloris, seu contritionis ad remissionem peccati. Resp. prima sententia est Scot. in 4. d. q. 2. ar. 2. & Caiet. q. 1. de contr. qui dicunt

esse necessariam continuationem. Secunda sententia opposita est communis,& vera; quòd non sit necessaria continuitas, sed quamprimùm homo habet contritionem peccati, consequitur remissio peccati; quia contritio habet perfectionem suam ab obiecto, fine, & circunstantijs intrinsecis; ergo non à tempore quod est extrinsecum. Secundo, quia alioqui posset aliquis cum summo dolore peccatorum damnari, cuius oppositum decretum est in cap. firmiter. de summ. Trin. vlt. quia facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Sot. in 4.d.17.q.2.ar.7. Nau.cap.1.num.31.

Vndecimum dubium. An sit præceptum de contritione. Resp. affirmatiuè ex communi sententia. D.Tho. 3.p.q.85.ar. 2. & in 4.d.14.q.1.ar.1.q.2. ratio est, quia actus contritionis est actus virtutis necessarius ad salutem; ergo est in præcepto, vt patet ex scripturis, vbi Deus pœnitentiam præcipit, vt dictum est supra tract.5.cap.1.dub.1.& sequentibus.

Duodecimum dubium. An post hanc vitam sit locus pœnitentiæ. Resp. ex D. Tho. supra. negatiuè, si loquamur de penitentia quæ remittit peccatum cum suis circunstantijs. Contritio enim efficax habet tria, nam est dolor, & informatus gratia, & meritorius. cùm igitur animæ beatorum dolere non possint,& animæ purgatorij non possint mereri, & animæ inferni quamuis doleant, non possint habere informationem gratiæ; sequitur animas defunctorum non posse habere veram contritionem. hinc confutatur error Lutheri, qui dixit animas purgatorij posse mereri, & demereri.

Decimumtertium dubium. An expediat continuò de peccato dolere, & per totam vitam. Resp. Aliqui dicunt hominem teneri dolere de peccato per totam vitam. Aliqui solum quando memoriæ occurrunt practicè peccata. Ego dico primo, quòd qui semel doluit de peccato, nunquam teneatur amplius dolere de illo peccato, quia iam fuit iudicatum, & condemnatum; Deus autem non punit bis in idipsum. Nau. cap. 1. Dico secundo, vtilissimum est dolere de peccato per totam vitam; tum quia *beatus homo qui semper est pauidus*. prou. 5. tum quia sic homo fit magis certus de remissione. Item quia saltem remittitur pena. item ex Bonau. quia non potest tolli nos peccasse, psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper.&, Amplius laua me &c.* Item quia ad huiusmodi do-

lorem

lorem patres nos hortantur. Dico tertio, viris perfectis esse salubre consilium cessare à pœnitentia, præsertim exteriori, vt vacent operibus perfectioribus charitatis, & contemplationis. Vnde Hierem. 21. hortatur vt cessemus à lachrymis. Dices, an in continuatione huiusmodi doloris possit esse excessus contra rationem? Resp. quòd in displicentia quæ est in appetitu rationali, non potest esse superfluus, nisi quatenus impediat actum alterius virtutis magis necessariæ saluti eo tempore. in passione autem doloris qui est in appetitu sensitiuo, potest esse excessus tum quoad intentionem, tum quoad durationem. ideo debet esse moderatè intensus talis dolor, & moderatè durare ne hominem in desperationem, & pusillanimitatem inducat. D. Tho. in addit. q. 4. ar. 2. Victor. q. 122. & alij.

Decimumquartum dubium. An sit præceptum diuinum de contritione. & quando obligat. Resp. & dico primo, Victor. quem refert Can. in 4. p. relect. dicit nullum esse præceptum de contritione. Sed contra nos dicimus esse præceptum, eoquòd sit necessaria non solum necessitate medii, sed etiam præcepti. probatur primo, ex Matth. 3. *Pœnitentiam agite.* Luc. 3. *nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis*. Confirmatur, quia præcepta diuina nō possunt dari alijs verbis. Secūdo, Marc. 1. *Pœnitemini & credite.* act. 2. *Pœnitentiā agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum*; sed pœnitentia coniungitur cum baptismo, & baptismus est in præcepto, ergo & pœnitentia. Tertio, contritio est de necessitate medij, ergo & de necessitate præcepti; quia de omni actu qui est in potestate nostra, & est medium necessarium, est preceptum diuinum. confirmatur; nā aliquis legislator non sufficienter dedisset præcepta. Quarto, tenetur homo iniuriam proximo compensare; tenetur per correctionem fraternam illum à peccato liberare; tenetur ei subuenire in necessitatibus corporis; ergo tanto magis teneor mihi per contritionem. Dico secundo, quoad secundam partem, quando s. obligat: Prima opinio est Guglielmi Paris. in tract. de pœnit. dicentis, obligare statim post commissum peccatum habita opportunitate pœnitendi. Sed licèt hoc sit optimum consilium statim habere contritionem de peccato commisso, non tamen ad id tenemur sub nouo præcepto. & licèt sit circunstantia aggrauans, non tamen est necessariò confitenda. Caiet. verb. contritio. & quodl. 3. de contr. Sot. in 4. d. 17. q. 2.

d.17.q.2.ar.6.concl.2.& l.4.de iust.q.7.ar.4.can.in 4.p.relict. qui dicit esse communem opinionem. Nau.cap.1.num.26. & est consensus omnium fidelium.nemo enim iudicat non pœnitere esse nouum peccatum extra necessitatem, probatur; quia est præceptum affirmatiuum obligans suis temporibus.Secundo, quia etiam baptismus, & confessio non obligant statim. Tertio, quia non videmus pœnitentes in confessionibus de hoc se accusare, nec Sacerdotes doctos de hoc interrogare pœnitentes. Secunda opinio est Scot. in 3.d.37. (quamuis loquatur de præcepto dilectionis) Angel. verb. feriæ. §. 41. & Lyran. in exod. 70. dicentium obligare diebus festis. idem Anton.3.p.tit.9.cap.7.§.2. Gabr.in 4. d. 14. q. 2. Sed contra dicimus non teneri hominem singulis festis conteri sub nouo præcepto mortali; quia nullibi habetur hoc præceptum. ita Caiet.verb.dies festos. & alibi. Nau. cap.13.num.17.Sot. l.2. iust. q.4.ar.4. Medin.q.7.de pęnit. Sylu. verb. Dominica.q.6. Rosell.§.2.ibid. Armill. festum.§.2.& est communis. probatur; quia præceptum colendi Deum in die festo magis pertinet ad religionem, quàm ad contritionem. Non dubito tamen esse rem valdè securam, vt notat Petrus Sot. supra; sed non tenemur cogere. Tertia opinio est Gabr. in 4. d.14.q.3. ar.2.dub.2. Palud.d.17.q.1.ar.3.concl.2. Marsil.in 4.q.12. ar. 1. Sylu. verb. contritio. Riccard.d. 14.ar. 9. q.1. hoc præceptum obligare quoties peccata occurrunt memoriæ practicè; idest vt fugiendum est peccatum, & detestandum. Sed contra hoc dicimus, quòd non tenetur homo habere contritionem quoties peccata in mentem occurrunt siue practicè; siue speculatiuè, vt docet Anton.3.p.tit.14,cap.18.§.2. Adrian. in 4. q.3.de confess. Sot.supra.q.7.ar. 6.concl. 2. nisi peccatum denuo placeat. probatur primo, quia in alijs præceptis non habemus hanc obligationem. confirmatur; quia obligatio præcepti nascitur ex natura præcepti, non ex accidentibus, vt quòd occurrant in mentem, vel non. Secundo, nemo nos obligat vt quoties occurrat practicè Deus diligendus, teneamur ad actum dilectionis. Tertio, vel hoc præceptum obligat ratione præcepti, vel ratione diligendi Deum, vel ratione periculi; non primum, propter primam rationem. non secundum, propter secundā rationem. non tertium, quia in tali casu ego possum suspendere actum, & distrahi ad alia, quod esset me-

dium

dium quid inter consentire peccato, & detestari peccatum. Non tamen ergo esse securum, & aliquando necessarium conteri quoties peccata occurrunt in mentem &c. ratione periculi. tum quia scripturæ clamant, *& peccatum meum contra me est semper*. psal. 50. & eccles. 3. *De propitiato peccato noli esse sine metu*. & prou. 18. *Beatus vir qui semper est pauidus &c.* tum quoniam non potest homini constare an illi sint remissa peccata. Tertio, quia multa sunt peccata occulta, & pro illis contritio est valde vtilis. Dixi *ratione periculi*; nam quis posset vrgeri tanta vehementi tentatione, vel aliquam occasionem habere, vt teneatur elicere actus contritionis, vt dicunt grauissimi doctores. Vltima opinio est dicentium obligare in articulo necessitatis, & quando sunt suscipienda vel danda Sacramenta. Est communis Cani in 4. p. relect. Sot. in 4. d. 17. q. 2. ar. 6. Ledes. 2. 4. q. 3. ar. 2. Adrian. q. 3. de confess. Vega l. 13. cap. 20. & alij. & est communis. & Caiet. opusc. 17. & probatur; quia cùm hoc præceptum sit affirmatiuum, aliquo tempore debet obligare. quòd si non in articulo necessitatis, quando obligat? Primus autem articulus necessitatis est mortis, & quodlibet eius periculum euidens, vel morale. intelligo autem non solum articulum mortis, sed etiam periculum mortis, vt nauigatio fluctuosa &c. Secundus, quando respublica est in graui necessitate, vt in peste, vel hæresi, vel fame, vel bello, vel alio spirituali, vel corporali periculo; Adrian. q. 6. de confess. Petrus Sot. lect. 15. de pœnit. Nau. cap. 1. num. 37. nam si in priuato periculo tenemur, multo magis in communibus. Tertius, quando immineret periculum spirituale proprium, vt magna tentatio &c. quandiù auxilium requiritur; Petrus Sot. & alij supra. Quartus, quando esset aggrediendum aliquod magnum opus, vt si publicandum esset Euangelium infidelibus cum periculo, & contradictione, vel protestanda fides coram Tyranno. nam aliàs facere, esset tentare Deum; cùm hoc opus requirat magnum Dei auxilium, & speciale; quod non datur existenti in peccato mortali. Quintus, quando quis obligatur ad aliquid agendum, quod conscientiam mundam requirit à peccato; vt quando quis est administraturus, vel suscepturus aliquod Sacramentum; hoc enim requirit dispositionem. Caiet. verb. contritio. Medin. Nau. & alij supra cit. hæc tamen obligatio non est à præcepto

Pœniten-

Pœnitentiæ, ſed ab alio præcepto ideſt de digna Sacramentorum ſuſceptione. Vnde qui ſuſcipit Sacramentum in peccato mortali, facit aliud peccatum mortale, ideſt ſacrilegium; quia non acceſſit diſpoſitus. Canus ſupra. Ledeſ. ſupra, dub. 5. Sot. in 4. d. 17. q. 2. ar. 6. concl. 4. Dices, an ſemper peccet mortaliter qui ſic facit? Reſp. affirmatiuè, ſi duo concurrant; vt. ſ. quis exerceat actum ordinis, & ſolenniter. Nau. cap. 1. §. Sacerdos. num. 13. de pœnit. d. 6. & nos ſupra de Sacramentis in genere, vbi de miniſtro egimus. Dices ſecundo, an ſicut teneor ſingulis annis confiteri, ita etiam & ſingulis annis conteri? Reſpondent Sot. in 4. d. 16. q. 2. ar. 6. concl. 4. can. ſupra. Ledeſ. 2. 4 q. 3. ar. 2. dub. 5. affirmatiuè, quia præceptum confeſſionis determinat quoad modum præceptum pœnitentiæ, & conſequenter quoad tempus; quare ſi teneor ad vnum, teneor & ad alterum. Probabilior tamen videtur ſententia Caietani verb. contritio, qui id negat; ratio eſt, quia cùm hic ſint duo præcepta, Eccleſia loquitur de confeſſione; ergo nōn teneor ad contritionem niſi ratione confeſſionis. Secundo, neq; pœnitens confitetur hoc peccatum, & nemo ſibi facit de hac re ſcrupulum. Præterea quia ſequeretur quòd qui omittit confiteri ſemel in anno, committeret duo peccata, quod tamen eſt falſum, vt ipſe Sotus concedit.

Decimumquintum dubium. An detur cumulus peccatorum ita vt quis cōteri non poſſit & idcirco pereat ſalus eius. Reſp. omiſſa hæreſi Nouati negantis pœnitentiæ Sacramentum, vt dictum eſt ſupra in principio tractatus quinti; & omiſſo errore Origenis, qui dixit omnes vltimò eſſe ſaluandos, etiam dānatos, & Dæmones, prima opinio fuit Armacani, l. 9. quæſt. Armenicarum, cap. 17. qui dicit, eſſe quædam peccata in hac vita irremiſſibilia. Probat ex ſcripturis quibuſdam, quæ docent aliqua peccata eſſe tam grauia, propter quæ Deus non miſeretur. vt Amos 2. *Super tribus ſceleribus Damaſci conuertar, ſuper quartum autem non conuertar amplius*. Matth. 13. *& vos adimplete menſuram patrum veſtrorum*. Gen. 15. *nondum impletæ ſunt iniquitates Amorrhaeorum*. quaſi dicat; eſt quædam menſura vltra quam non conuertar. Matth. 12. *Qui dixit verbum contra Spiritum ſanctum neq; in hoc, neq; in alio ſeculo remittetur*. 1. Ioan. 5. *Eſt quodam peccatum ad mortem, non pro hoc dico vt roget quis*. Vbi Auguſt. in illud

Ioannis,

Ioannis, ait; *tantam esse labem istius peccati, vt deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccata sua conscientia cognosceret &c.* Isidor. de summo bono; *nonnulli ita despiciũtur à Deo, vt peccata sua deplorare non possint*. Confirmatur ex Hierem. cap. 7. *noli orare pro populo illo*. Ezechiel. 14. *non est anima mea ad populum istum*. 2. Machab. 9. de Antiocho, *Orabat scelestus Dominum, à quo non erat amplius misericordiam consequuturus*. Hebr. cap. 12. ait Paulus de Esau, qui non inuenit pœnitentiam. Confirmatur secundo, ex nonnullis scripturis vbi videtur Deus derelinquere aliquos. Isa. 5. *Auferam semen eius, & erit in conculcationem*. Hierem. 6. *Erudire Hierusalem, ne fortè ponam te desertam, & inhabitabilem*. Hierem. 51. *Curauimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam*. psal. 80. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. &c.* Ecclef. 7. *Considera opera Dei quòd nemo potest corrigere quem ipse despexerit*. Ose. 4. *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ*. Ezechiel. 16. *Auferetur zelus meus à vobis*. Confirmatur tertio, quia in scripturis Deus dicitur indurare, excæcare, aggrauare, dare in reprobum sensum &c. Sed isti non habent auxilium Dei speciale; ergo non possunt conteri, & pœnitere. patet antecedens ex Paulo ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. Rom. 1. *Tradidit eos Deus in reprobum sensum*. Isa. 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*. Hierem. 6. *Argentum reprobum vocate eos, quoniam Dominus abiecit illos*. Ioan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcauit cor eorum, & indurauit, vt oculis non videant, & corde non intelligant, ne fortè conuertantur, & sanem eos*. Secunda opinio accedit ad hanc aliquo modo; dicit enim esse quosdam peccatores qui à Deo destituuntur etiã in hac vita, quibus denegat speciale auxilium. Ita Abulens. in exod. cap. 4. q. 12. Roffens. ar. 36. Catherin. opusc. de prædest. Medin. l. 3. de recta in Deum fide. cap. 1. Ruardus Taper. l. de libero arb. Adrian. in 4. q. 1. de pœnit. dicit tamen primam opinionem esse probabilem, & quæstionem hanc esse dubiam. tenet enim illam non esse erroneam, neq; hæreticam. Tertia opinio est Petri Soti q. 5. de pœnit. qui dicit nulli negari vt non possit pœnitere. Sed aliquibus negari auxilium vt de facto pœniteant. Quarta opinio est Vegæ l. 13. super Conc. Trid.

cap.13.qui tenet nulli negari sufficiens auxilium, sed aliquibus aliqua negare auxilia sine quibus aut vix, aut saluari non possunt propter demerita illorum. Hanc doctrinam nullus Theologorum negat. Quinta opinio dicit nulla esse tam grauia scelera propter quæ Deus deneget illis auxilium vt pœniteant. D. Tho. dicit aliam sententiam esse erroneam. & aliqui neoterici dicunt sapere nescio quid hæresis. Quare nota primo, ex duplici capite oriri posse ne aliquis pœnitere possit; vel quia non habet liberum arbitrium; vel quia denegatur ei auxilium speciale. non loquimur nos de primo, in quo est hæresis Lutheri negantis liberum arbitrium; sed de secundo disputamus, quod omnino necessarium est. Secundo, si Deus denegat alicui auxilium speciale propter sua peccata, nulli facit iniuriam; quis enim dicet sibi, quid fecisti? ratio est; quia cùm possit Deus peccatores iustissimè condemnare in inferno, etiam potest ei negare suum auxilium speciale. neq; ideo quia Deus aufert auxilium speciale, potest dici causa peccatorum; quia totum est ex malitia illius vt auferat auxilium speciale. Tertio nota, auxilia specialia non esse omnibus æqualia, sed aliquos maioribus adiuuat, alios minoribus, sed omnibus dat sufficiens. hanc doctrinam tradit Ambros.l.1.de vocatione gentium. & ad Rom.3. *Quid amplius Iudæo est &c.* Deuter.4. *Non est gens tam grandis, quæ habeat Deum appropinquantem sibi, quàm Deus noster adest nobis.* & est exemplum Thomæ, cui incredulo dedit Deus auxilium maximum, cui plagas ostendit. Et est exemplum Petri quem Christus respexit, *& fleuit amarè &c.* Quarto nota, si Deus dedisset quædam auxilia magna, quæ dedit aliquibus, illi fuissent conuersi. Matth. 11. Luc. 10 *Væ tibi Chorozain, væ tibi Bethsaida, si hæc signa fuissent facta in Tyro, & Sidone pœnitentiam fecissent in cinere, & cilicio.* Quòd si dicas, videtur Deus acceptator personarum, quod est contra illud Sap.7. *Non substrahet personam hominum &c.* & Iacobi, *non est acceptator personarum Deus.* Resp. in hoc non est acceptator personarum, nempè quòd det præmium maius, vel minus; non tamen negat scriptura quòd Deus det aliquibus maius, vel minus auxilium. Sit ergo prima conc. auxilium sufficiens ad salutem, & iustificationem, nulli denegatum est omnino, vt non aliquando habuerit, aut non pœnitere potuerit. in hac conclusione non

dico

dico ſemper dari auxilium ſpeciale, vel alicui omnino denegari; ſed dico nulli fuiſſe denegatum aliquando auxilium ſpeciale. Probatur ex pſal. 32. *Miſericordia Domini plena eſt terra.* 1. Timot. 2. *Deus vult omnes ſaluos eſſe*. Ezechiel. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt vt aliquis pereat?* 1. Petr. 4. *Neminem vult perire*. Secundo, ex Auguſt. l. de prædeſt. & grat. cap. 15. comparat Nabuchodonoſorem cum Pharaone: ille nanq; fuit ſaluatus, Pharao verò perditus. Cyrill. in cap. Ioãnis, quærit: *Si Deus illuminat omnes, cur aliqui non illuminantur? quia ſ. non admittunt lumen &c.* Ambr. de vocat. gent. & Hieronym. in cap. 18. Ezechielis, idem dicunt. Secunda conc. Non eſt erroneum, neque hæreticum, nec temerarium dicere, Deum aliquando ob grauiſſima ſcelera negare alicui auxilium ſpeciale. In hac concluſione non dico rem ita ſe habere; ſed ſolum dico, non eſſe hæreticum, nec erroneum. probatur ex multis grauibus auctoribus ſupra citatis, qui hoc tenent. Secundo, propter loca ſcripturæ propoſita; quæ licèt in fine dubij noſtri ſoluentur, nihilominus videntur valdè clara. Tertio, ſicut dantur aliqui confirmati in gratia in hac vita, ita poſſet eſſe vt darētur aliqui deſtituti propter ſua ſcelera, quia ſi illud requirit miſericordia Dei, hoc requirit iuſtitia. Quarto, ſi iſta videtur dura opinio, quid dicetur de pueris non baptizatis? quid de amentibus? Sed obijcies primo, nam homo dum eſt in hac vita habet liberum arbitrium. Secundo, obijcies tam multa loca ſcripturæ, quæ dicunt Deum vocare hominem ad pœnitentiam. Tertio, propter Concilium Later. cap. firmiter. de ſumm. Trin. & fide cathol. credimus per pœnitentiam omnes poſſe reſurgere. Quarto, quia hæc ſententia accedere videtur ad errorem Nouati. Quinto, quia non tenerentur omnes præcepto pœnitentiæ. Ad primum reſp. non tolli propterea liberum arb. homini, tum quia adhuc eſt viator; tum quia poteſt multa mala cauere, & multa bona moralia facere; tum etiam quia etiam ſi iſti ad tempus negetus auxilium ſpeciale, tamen remotè poteſt ſe præparare; & ſic Deus poterit reuocare ſententiam, & denegare illi auxilium ſpeciale. Ad ſecundum reſp. loca ſcripturæ concludere pro ſenſu primæ concluſionis. Vel reſpondetur ſecundo, quòd Deus quantum eſt de ſe, paratus eſt, ſi ille faceret, vel feciſſet quod debebat. Ad tertium reſp. concilium eſſe intelligendum,

gitur illud; *pro his rogo, & non pro mundo*; quod .s. si subtrahet auxilium orandi, tribuet aliud; vt v.g. tribulationes, persecutiones &c. Tertia est, multa loca significant quod futurum est, & Deus prauidebat futurum. & hoc sensu potest exponi illud de infidelitate Iudæorum. Quarta est, vt impotentia intelligatur pro difficultate. Quinta, multa loca intelliguntur non de auxilio sufficiente, sed de plusquam sufficiente, sine quo tamen vel difficilè, vel pauci saluantur. Nunc ad primum dico, illud Amos intelligi de pœna temporali, vel de auxilio magis speciali; de peccato in Spiritum sanctum dubium est apud Theologos quid sit, & cur sit irremissibile. aliqui dicunt esse impœnitentiam finalem. aliqui dicunt esse quodcunq; peccatum ex graui malitia, vt obstinatio, impœnitentia in hac vita, desperatio, impugnatio veritatis, inuidentia fraternæ charitatis &c. & dicunt dici irremissibilia peccata, quia non habent vnde possunt remitti, quia tollunt dolorem, & gratiam. De blasphemia dicunt Christum loqui de blasphemia, qua Iudæi Satanæ tribuebant miracula Christi. neq, omnis talis blasphemia est peccatum in Spiritū sanctum, sed de illa quæ habet magnam malitiam, quam Deus scit quanta oporteat vt illa sit. Quòd dicatur irremissibile, intelligitur .i. valde difficile vt remittatur; sicut & morbus dicitur incurabilis.i. difficilis valde curari; quia Christus prauidebat illud peccatum Iudæis non esse remittendum. De peccato ad mortem 1.Ioan. 5. Resp. quòd peccatum ad mortem vocatur vel peccatum illud in quo homo perseuerat vsq; ad mortem; & hoc est irremissibile. Vel (& melius) si intelligitur de alijs grauissimis, Ioannes vult dicere, quòd difficile est illos conuerti, & Deus non permittit istas orationes esse admittendas. Vel prohibet orari publicè; de quibus dixit, *nec aue eis dixeritis*. Ad illud Augustini resp. Augustinum vocare impossibile illud, quod est valde difficile. Et illud Isidori debet intelligi, quòd ex culpa sua non possunt aliqui deplorare scelera sua. Ad primam confirmationem resp. illud Hieremiæ intelligi præcipuè de pœnis temporalibus, de Antiocho, & Esau dicimus illos non verè pœnituisse. Ad secundam confirmationem resp. destituere Dei est denegare auxilia magis specialia, sine quibus aut vix, aut rarissimi conuertuntur. Ad tertiam confirmationem resp. quòd indurare Dei est nō emollire, aut

TRACTATVS SEPTIMVS

De confesſione Sacramentali.



EPTEM de hac re tractabimus: primum de neceſsitate confesſionis. Secundum, de quiditate. Tertium, de qualitatibus eius. Quartum, de ipſius effectibus, & defectibus. Quintum, de abſolutione. Sextum, de miniſtro huius Sacramenti cui confiteri oporteat peccata. Septimum, de ſigillo confesſionis.

De neceſsitate confesſionis. Cap. I.



Rimum dubium. An confesſio ſit de neceſsitate ſalutis. Omiſſa hæreſi Maſſilianiſtarum, qui (ex Damaſce. l. de hæreſ.) recipiebant peccatores ſine vlla Sacerdotum abſolutione; & Iacobitarum (à Iacobo hæreſiarca vt ait Guido Carmelita) qui dicebant ſoli Deo eſſe confitendum; in qua confeſſione ponebant ignem, & incenſum, vt oſtenderent ſic conſumi peccata coram Deo; & Iuliani Apoſtatæqu (vt ait Casſiod.l.6.hiſtor. tripar. cap.2) quibuſdam gentilium ſacrificijs abrenunciauit baptiſmati, & confesſioni eccleſiaſticæ; & Vuiglef, qui (vt refert Thomas Vualdenſ. tom.2.cap. 135) impudentiùs quàm alij blaſphemauit confesſionẽ, dicens eſſe inſtitutam in Concilio Later. ob lucrũ, & Lutheri qui licèt non ſubſtulerit confesſionem (vt patet ex articulis Leonis X.contra ipſum) dixit

tam en

tamen non omnia esse confitenda, sed relinquenda esse misericordiæ diuinæ: omissa deniq; hæresi Caluini, qui negat confessionem esse institutam à Christo; ac sexcentis alijs omissis, Resp. ad dubium affirmatiuè, esse de necessitate salutis, in re, vel in voto, necessitate medij, vel finis; patet ex cap. omnis vtriusq; sexus. de pœnit. & remiss. & ex Trid. sess. 14. can. 6. de pœnit. Dico de (necessitate medij) nam infra dicam de necessitate præcepti. Dixi *in re, vel in voto*; quoniam certum est non esse necessariam in re. Probatur; confessio est necessaria, & non semper in re; ergo vel in re, vel in voto. maior probatur ex Ioan. 20. & quia etiam confessio peccatorum post baptismum est necessaria sicut pro peccatis ante commissis. confirmatur ex bulla Martini V. vbi dicit quòd non solum sit credendũ contritione remitti peccata, sed etiam necessariam esse confessionem. probatur minor ex Cõcilio Trid. sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 4. vbi habetur quòd in contritione est inclusum votum confessionis. probatur etiam ex concessione indulgentiarum quæ conceduntur cum voto confitendi suo tempore determinato. & certum est indulgentias non valere nisi his qui sunt in gratia. Obijcies; votum confessionis esse desiderium confitendi, ergo quando est opportunitas confessionis si non fiat, non videtur habere votum, ergo non iustificabitur. confirmatur ex August. l. 4. contra Donatistas, cap. 22. & Ber. ep. 77. ad Hugonem. tunc Sacramenta necessitatis non esse actu necessaria, quando articulus necessitatis excludit Sacramentum, idest occasionem sumendi. Resp. quòd quamuis aliqui fuerint huius opinionis quòd quando adest opportunitas, non sufficit votum ad confessionem; & licèt aliqui velint dicere hanc sententiam non esse facilè contemnendam, nec condemnandam, eoquòd textus concilij patiatur expositionem, tamen omnino dicendum est quòd valet votum, tamen cum contritione; quamuis adsit opportunitas Sacramenti. Ad rationem dubij resp. esse votum, quandoquidem non teneor confiteri ratione temporis. Ad August. & Ber. resp. confessionem esse quidem Sacramentum necessitatis, sed suo tempore determinato. Patet secundo, esse necessariam confessionem; nam præterquam quòd fuerit in lege naturæ, vt patet Rom. 1. *Testimonium reddente ipsis conscientia.* Iob 31. *Si abscondi quasi homo peccatum meum &c.* Psal. 36. *Reuela*

Domino

Domino viam tuam & spera in eo, & ipse faciet & educet quasi lumen iustitiam tuam, &c. prou. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* Eccles. 17. *Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere &c.* Gen. 3. *Adam vbi es, &c.* quasi exigens confessionem peccati. vbi glosa dicit (sed falsò) nostram sacramentalem confessionem fuisse institutam in paradiso terrestri; non enim erat sacramentalis confessio, sed figura illius. & præterquam quòd fuerit in lege veteri, vt Leuit. 16. *Postquam mundauerit Sacerdos sanctuarium, & tabernaculum, offerat hircum &c.* & Nehem. 4. Num. 5. &c. fuit etiam instituta à Christo hæc nostra confessio vt necessaria, vnde est de iure diuino. patet primo ex Ioan. 20. post resurrectionem suã Christus vocauit discipulos, & insufflans in eos, dixit: *Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* vbi compleuerat quod promiserat primùm Petro, dans illi claues; deinde omnibus Apostolis. ex quo loco argumentor contra hæreticos primo, quilibet peccator lapsus post baptismum, tenetur reconciliari Deo; sed peccata tandiù retinentur à Deo quandiù retinentur à Sacerdote; nam Christus ait; *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt eis;* Ioan. 20. Ergo quandiù retinentur à Sacerdote, non remittuntur; sed tandiù retinentur, quandiù non absoluuntur; sed non possunt absolui nisi cognoscantur; ergo vt absoluantur debent manifestari, & confiteri Sacerdoti. Secundo, ex eodem loco argumentor. Christus in his verbis instituit Sacerdotes iudices, & dat illis iudiciariam potestatem circa peccata. & hæc est communis sententia patrum. August. l. 20. ciu. cap. 9. Athan. homilia in illud, *ite in castellum quod contra vos est.* Hier. in Matth. 16. & ep. 1. ad Heliodorum, vbi dicit, officium Sacerdotis esse iudicare ante diem iudicij. Hilarij in Matth. 16. ait, forum Petri præcedere forum Dei. Sed iudex non potest iudicare nisi audita parte; nam dicitur prou. 11. *Qui iudicat quod nouit, iudex iustitiæ est;* Sed non potest cognoscere nisi pœnitens illa confiteatur; ergo est necessaria confessio. Tertio, ex eodem loco: hic sunt datæ Ecclesiæ claues promissæ Matth. 16. Clauis autem est potestas aperiendi, vel claudendi cœlum; sed aperire cœlum est tollere impedimentum, hoc verò est peccatum; ergo non poterit cognoscere Sacerdos quibus aperiendum sit cœlum, nisi cogno-

ſcat peccata ; ergo hæc ſunt aperienda , & manifeſtanda in confeſſione. Confirmatur ex Auguſt. homil. 49. vbi ſic hortatur adulteros : *Agite pœnitentiam qualis in Eccleſia agitur, vt oret pro vobis Eccleſia; nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago; nouit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago; ergo ſine cauſa dictum eſt, quæ ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cœlis? ergo ſine cauſa ſunt datæ claues in Eccleſia? fruſtramus ergo verbum Dei?* Confirmatur ſecundo, quia omnes concedunt Eccleſiam habere clauem ſcientiæ, & clauem poteſtatis. Clauis ſcientiæ non eſt doctrina, & ſapientia, ſed eſt poteſtas cognoſcendi, & informandi ſe de conſcientijs aliorum. Confirmatur tertio, quia omnes ſancti patres ex hoc loco deducunt Sacramentum pœnitentiæ. Ad Sacramentum autem non ſatis eſt interiùs confiteri, ſed debet apponi aliquod ſignum exterius. Alia loca poſſunt afferri ſcripturæ; vt Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*; quem locum affert Auguſt. l. 2. de viſit. infirmorum, cap. 4. Chryſoſt. hom. 9. ad hebr. Vgo l. 2. par. 14. cap. 1. act. 19. multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ipſorum. Luc. 17. *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*, quem locum affert Auguſt. l. de vera & falſa pœnit. cap. 10. Ioan. 3. *Exibant ad eum confitentes peccata ſua*: loquitur de Ioanne Baptiſta ad quem ibant. diſponebat enim ille ad eam quam Chriſtus inſtituturus erat confeſſionē. Baſil. in regul. monachor. cap. 21. Ambroſ. l. 1. epiſt. ep. 3. Cyrill. l. 3. in Leuit. & alij. Probatur ſecundo, ex patribus. Dionyſi in ep. ad Demophylum reprehendit eam, qui calce abiecerat impium pœnitentem prouolutum ad pedes Sacerdotis; ergo in illo tempore erat vſus confeſſionis. Clemens diſcipulus Petri ſcribens ad Iacobum fratrem Domini, ait; *Si in alicuius cor liuor irrepſerit latenter, non erubeſcat ei qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri*. Tertull. l. de pœnit. commendat confeſſionem in qua non ſola conſcientia præfertur, ſed etiam aliquo actu teſtamur pœnitentem animum. & in ea dicit eſſe ſecunda ſubſidia à Deo inſtituta poſt prima intinctionis dominicæ monimenta, id eſt baptiſma. quibus verbis docet neceſſariam eſſe confeſſionem, & à Domino inſtitutam. & affert ſimilitudinem eorum qui habent malum in partibus verecundis; qui verecundantur aperire morbum medico. Orig. hom. 11. in Leuit. (quamuis illa tribuatur Cyrillo) ponit ſeptem

remiſſio-

remissiones; vltima quarum est, (licèt dura) cum non erubescit quærere medicinam, & suo Sacerdoti confiteri peccatum. Et hom. in psal. 37. loquens de confessione, dicit emmenda esse peccata sicut escam indigestam, & malos humores. & subdit. *Circumspice cui debeas confiteri peccatum tuum:* & loquitur de secreta confessione. & l. 3. periarchon cap. 1. dicit eum non posse purgari qui peccata sua confessione proprij oris non fuerit confessus. Cyprian. serm. 5. de lapsis, dicit, remissionem in hac vita fieri peccatorum per Sacerdotes. ait sic; *Qui extrinsecùs non lapsi sunt per idololatriam, hi quamuis nullo facinore libelli constricti sint, quoniam tamen de hoc cogitauerunt, hoc ipsum apud Dei Sacerdotem confiteantur.* Certum est ipsum loqui de secretis cogitationibus, quæ non confitentur palam. Basil. l. de instit. monach. docet cui sit facienda confessio. Pacianus Episcopus Barcinonensis in pare. ad pœnit. inuehitur contra eos qui fictè confitentur. & affert similitudinem ægrotorum, qui ferrum patiuntur, vt sanentur. Hierony. in Matth. in illa verba, *tibi dabo claues regni cœlorum &c.* sicut (ait) Sacerdos leprosum mundum, vel immundum facit, sic presbyter nunc non eos qui insontes sunt alligat, sed pro officio suo cum peccatorum nouerit varietates, scit quis soluendus sit, quisue ligandus. & iterum illud Eccl. 10. *Si mormorderit serpens &c.* ait, *si Diabolus occultè aliquem momorderit &c. Si hic tacuerit, & noluerit aperire vulnus fratri, aut magistro, nunquam sanabitur.* Ambr. l. 2. de pœnit. cap. 9. dicit, quosdam ita petere pœnitentiam, vt statim sibi reddi communionem velint. & hi non tantum se soluere cupiunt, quam ligare sacerdotem. Raban. l. de instit. clericor. cap. 29. & 30. August. tract. 49. in Ioan. hortatur peccatorem vt exeat de sepulcro .i. de occulto, & confiteatur. & subdit: quid dicetur ministris cum confessus fuerit? quod dictum est Apostolis, *soluite illum* .i. quodcunque remiseritis, remittetur eis &c. & in l. de vera, & falsa pœnit. cap. 10. dicit, *Quem pœnitet omnino, dolorem lachrymis ostendat, & vitam suam Deo per Sacerdotem repræsentet, præueniat iudicium Dei per confessionem.* Cassiod. l. 9. histor. tripar. cap. 35. dicit fuisse seruatum in occidentalibus populis, vt pœnitentes in Ecclesiam venirent, ac velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta panduntur. & subdit; ob hanc causam

 fuisse

fuisse institutum presbyterum bonæ conuersationis, & seruantem secretum &c. & licèt dicat in theatro; tamen non loquitur de publica confessione, sed tantum vt non fiat confessio in domibus priuatis, sed in Ecclesia publica. Probatur tertio, ex Pontificibus: Leo ep.80. ad Episcopos Campaniæ docet non sufficere confessionem Deo factam, sed Sacerdotibus esse faciendam. & ep. 91. Lucius iij. in cap. ad abolendam, de hæret. damnat anathematis illos, qui aliter sentiunt quàm Romana Ecclesia. Fabianus docet, non posse sanari qui vulnera non ostendit medico, &c. Quarto, probatur ex Concilijs: ex Constantiensi contra Vuiglef. Later. sub Innoc. iij. vbi fuit factum decretum de confessione annuali. Legenda est historia Naucleri. ex quo videtur quòd ibi omnes græci & latini in illa sessione conuenerunt vnanimi consensu in illud præceptū de annua confessione. Hinc etiam colligimus non esse præceptum iuris Ecclesiastici; nam non tam facilè fuisset acceptatum, & tanta concordia. quare videtur fuisse præceptum diuinum. In Flor. de vnione Armen. Trid. sess. 6.cap.14. & in multis synodis prouincialibus. ex quo argumentor, quòd si tota Ecclesia hoc acceptauit, extremæ insaniæ est contradicere. Quinto, probatur rationibus: si confessio fuit instituta ab Ecclesia, doceant contrarij vbinam? quod si non poterunt afferre, inferremus esse de iure diuino. ex illa regula, quæ fuerunt ab Ecclesia instituta, initiū habuerunt ab aliquo priùs. Quòd si non esset præceptum diuinum, non posset Ecclesia præcipere confessionem; quia non habet potestatem instituendi Sacramenta; habet autē potestatē ipsū præceptū determinādi quoad tempus. cùm enim in genere præceptum diuinū obliget ad confessionem, Ecclesia determinauit vt semel in anno fiat. Sot.in4.d.18.q.1.ar.1.Victor.q.126. Vltimo probatur ex conuenientijs, & vtilitatibus confessionis: ex hac enim elucet primo misericordia Dei, qui re tam facili contentus est. Secundo, potentia; quia solo verbo sanat, *ego te absoluo*. Tertio, sapientia; quæ tam difficilis nodi inuenit tam facilem solutionem. Quarto, iustitia; quæ non vult sine debita humiliatione remittere. Secundo, vtilis est reipublicæ, & politiæ communi; nam per hanc extinguuntur odia, cædes, adulteria, fiunt restitutiones, terminantur lites, vsuræ, tolluntur homicidia, & sexcenta. Tertio, est vtilis priuatæ conscientiæ; quia valde

valde facit ad superbiam hominis conterendam, ad obedientiam Deo exhibendam, ad frenandam in peccatis futuris concupiscentiam, &c. Dices, an confessio sit de iure naturæ. Resp. negatiuè; quia est Sacramentum supernaturale ad quod non se extendit natura. fides tantum docet ad verba Sacerdotum remitti peccata. Addo tamen quòd non est contra naturam; quia cognita per fidem confessionis virtute, instinctus naturalis ad illam inclinat. Sot. in 4.d.18.q.1.ar.1. Victor.q.128. D.Tho.in additionibus, q.6.ar.2.

Secundum dubium. Quando præceptum confessionis obligat. Resp. vel id quæri potest de iure diuino, vel de iure Ecclesiastico. Secundo, vel loquimur de confessione in voto, vel de confessione in re. Tertio, vel loquimur de confessione per se ratione ipsius præcepti, vel per accidens ratione alicuius rei faciendæ quæ confessionem requirat. De iure diuino sunt duæ præcipuæ sententiæ. vna est; quòd homo statim teneatur ac peccat, confiteri actu, propter periculum. ita Guglielm. Paris. tract. de pœnit. Innoc. in cap. omnis vtriusq; sexus Archidiac. vt refert Sylu. verb. confessio 1.q.2. & id sentit Bonau. de religiosis, vt teneantur statim. Laici verò cum adest talis opportunitas qua maior expectari non potest, & additur stimulus conscientiæ, ita Alexander Alens. 4 p.q.77.ar.3.m.4. Opposita sententia est D.Tho.in addit.q.6.ar.5. & est communis.s. neminem teneri statim confiteri, sed in casu necessitatis. nam cùm sit præceptum affirmatiuum, non obligat nisi pro loco, & tempore. & hæc sententia est vera. Sed explicandum est quinam sint casus necessitatis. Itaq; primo dico: Primus casus de iure diuino hoc præceptum obligat in articulo mortis naturalis, vel violentæ; quia tunc maximè est necessaria confessio ad salutem; ergo si sit copia confessarij, quisq; tenetur, ita D.Tho.supra. & quodl.1.ar.11. Sot.in 4.d.18.q.1.ar. 4. Sylu. verb. confessio.2.q.2. Victor.q.134. & est communis. probatur ex cap. infirmitas. vbi prohibetur medicis ne curent infirmos, nisi confiteantur. Secundus casus est periculum mortis. distinguo articulum mortis à periculo; nam ille est quando v.g. quis agonizat, vel est suspendendus, vel quomodocunq; est in via ad mortem. periculum est quando timetur probabiliter mors. vt v.g. in bello, &c. intelligo periculum probabile, & graue, quando creditur sequutura mors, non

quodcunq;

quodcunq; periculum. vt v.g. partus aliquis est difficilis mulieribus, aliquis est facilis. Item, vt quando aliquis aggrederetur longam, & periculosam nauigationem, vel bellum. denique vt ait Palud. quando quis est in tali casu in quo frequenter homines moriuntur. Nau. cap. 2 num. 9. Sot. Sylu. Victor. supra. Similiter si quis probabiliter timeret se casurum in amentiam, vel quid simile. quod vt ait Victor. arbitrio prudentis relinquitur. ratio est, quia in tali casu contemneret Sacramentum, & esset reus suæ mortis spiritualis. Tertius casus ponitur ab aliquibus in graui & vrgente tentatione, quando aliquis iudicat se non posse moraliter præseruari à peccato, nisi per confessionem. Caiet. verb. confessio. cond. quinta, ratio est; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media necessaria ad illum finem. Ego nolo reijcere hunc casum, nec omnino obligare; crederem enim aliquando obligare, aliquando non. Quartus est quem aliqui ponunt, quando credit aliquis probabiliter se non recordaturum peccati, tenetur confiteri; quia de iure diuino tenetur confiteri peccata omnia. Sco. d. 18. q. ar. 4. Marsil. q. 11. Maior. d. 16. q. 2. d. 17. q. 1. Medin. c. de pœnit. tract. 2. Sed dicendum est cum Sot. lect. 5. & Ledes. 2. 4. q. 5. dub. 7. & Nau. cap. 31. num. 35. non obligare hunc casum; quia Christus in hoc præcepto noluit determinare tempus, sed reliquit illud determinandum Ecclesiæ; cùm ergo Ecclesia determinauerit tempus vniuersaliter omnibus, satis est semel in anno confiteri, ergo huic tempori est standum. tum etiam quia hoc esset onus, & iugum graue. Item quia in tali casu non tenetur de præcepto ad confessionem. Adde quòd non videtur Deus hominem obligasse nisi vt confiteatur peccata quæ memoriæ occurrunt: alioquin teneretur vnusquisq; scribere peccata ne obliuiscatur; quod falsum est, vt docet Sylu. verb. confessio 1. q. 2. in fine. Nau. cap. 21. in 35. Secundo dico, quintus casus (sed per accidens) quo tenemur de iure diuino confiteri, est; primo, qñ accedendũ est ad communionem; ex Concilio Trid. sess. 17. cap. 7. & can. 11. de Sacram. Euch. in sumptione autem aliorũ Sacramentorum est communis sententia non requiri confessionem; sed satis esse contritionem. Sot. d. 18. q. 1. ar. 4. concl. 6. Victor. q. 136. Sylu. verb. confessio q. 2. & alij. In susceptione autem ordinis requiritur confessio ratione communionis, vt notat Sylu. &

Sot.

Sot. quare non est audiendus Palud. qui id extendit ad alia Sacramenta. Secundo, quando aliquis habet votum confitendi aliquo tempore, vel ratione praecepti superioris, vel religionis qui ex causa legitima, vel ex regula obligante praecipiunt. Tertio, ratione erroneæ, & falsæ conscientiæ, quando quis putat se teneri, obligat enim donec deponatur conscientia, vt ait Adrian. q. de confess. dub. 3. casu 5. Sylu. verb. confessio, casu 3. & alij. Tertio dico, tenentur etiam Christi fideles iure Ecclesiastico ad confessionem cum ad annos discretionis peruenerint, semel in anno confiteri proprio Sacerdoti. ex can. omnis, vtriusq; sexus. de pœnit. & remiss. & confirmatur ex Concil. Trid. sess. 14. can. 3. & 8. & quamuis Dur. d. 17. q. 14. dicat se hic non animaduertere praeceptum, sed hortationem tamen certissimum est esse praeceptum; quia subditur; alioquin viuens ab Ecclesia arceatur &c. apponitur enim ei pœna peccati mortalis. Secunda, patet ex communi consensu Ecclesiæ. Tertio, ex synodalibus constitutionibus. Dices, an Papa possit dispensare in praecepto confessionis? Resp. primo, quoad substantiam praecepti, non potest; vt .s. aliquis nunquam teneatur confiteri; quia cùm substantia praecepti sit de iure diuino, vt dictum est, Papa non est supra ius diuinum; ergo non potest; vt probat D. Tho. quodl. 4. ar. 13. Secundo, ex causa legitima potest Papa in hoc praecepto dispensare quatenus est de iure humano; nempe vt aliquis non teneatur singulis annis confiteri. nam illa temporis determinatio est à iure positiuo, & humano; & Papa est supra leges humanas. D. Tho. in addit. q. 7. ar. 3. Sot. q. 8. ar. 5. Victor. q. 140. Gabr. d. 17. q. 1. in fine. Palud. q. 2. ar. 6. Riccard. & est communis. Addo tamen quòd si sine causa id faceret, peccaret. Neq; obstat quòd possit dispensare in voto, in iuramento &c. quia neq; in his dispensat, nisi quatenus habent aliquid iuris communis, & pendent ab actibus nostris. vt Sot. & Victor. supra cit. declarat enim ius diuinum non obligare.

Tertium dubium. An de omnibus peccatis sit necessaria confessio. Resp. peccata venialia quamuis sint legitima materia confessionis, ita vt sit salutare consilium illa confiteri; non sunt tamen per se materia confessionis, nec de iure diuino confitenda. probatur prior pars; quia venialia sunt verè peccata, ergo sunt materia confessionis. ex Trid. sess. 14. can. 2.

Siquis dixerit non licere confiteri venialia, anathema sit. & patet ex vsu Ecclesiæ, & ex fructu talis confessionis. Posterior pars probatur ex D. Tho. 3. p. q. 65. ar. 1. vbi ait. ad deletionem venialis peccati, nullum esse institutum directum Sacramentum, quia remitti potest cum infusione gratiæ per actum charitatis; & alijs modis remitti potest, vt dictum est supra, tract. 5. dub. 29. præterea nec diuino, nec humano iure tenemur confiteri venialia; ergo &c. & est sententia Scoti d. 17. Dur. ibid. q. 9. Caiet. q. 1. de confess. Sot. in 4. d. 18. q. 4. ar. 3. Victor. q. 129. & est communis. Peccatum originale, & actualia peccata ante baptismum commissa, non sunt confitenda; quia cùm remittantur per baptismum, illi fieret iniuria si denuò confiterentur. Sot. supra cit. Medin. q. 5. de confess. Ledes. 2. 4. q. 7. ar. 2. Caiet. 3. p. q. 69. ar. 19. & patet ex Trid. sess. 14. can. 4. de pœnit. Dices, an qui fictè baptizantur tenentur confiteri peccata huius fictionis? Resp. affirmatiuè, quia tale peccatum est subiectum clauibus cùm sic hominis qui in eodem instanti pertinet ad Ecclesiam. D. Tho. 3. p. q. 69. ar. 10. & ibid. Caiet. Scot. in 4. d. 4. q. 5. Sot. d. 6. q. 1. ar. 8. Sed est

Quartum dubium. An qui non habet nisi venialia teneatur confiteri semel in anno. Resp. sunt duæ sententiæ. Vna est affirmatiua; ita Bonau. in 4. d. 17. ar. 4. q. 1. & illum videtur ex parte defendere D. Tho. 3. p. in addit. q. 6. ar. 3. quia præceptum est de confessione absolutè, & potest impleri; ergo &c. Altera sententia est negatiua. & hæc est probabilior. ita Scot. in 4. d. 17. q. vnica. ar. 3. Adrian. q. 4. concl. 1. Sot. in 4. d. 18. q. 1. ar. 3. Dur. d. 17. q. 9. Caiet. q. 1. de confess. ratio est, quia Trident. can. 7. dicit, mortalia esse confitenda. eodem modo exponi debet cap. omnis vtriusq; sexus. de pœnit. & remiss. cùm enim graues pœnas imponat, & proprio Sacerdoti confitendum statuat, certum est intelligere de mortalibus. ita D. Tho. in addit. q. 6. ar. 3. ad 3. Sot. supra. Scot. in 4. d. 17. q. vnica. Gabr. q. 1. Dur. q. 9. Caiet. q. 1. de confess. Victor. q. 129. probatur, quia præceptum Ecclesiæ non est nisi determinatio præcepti diuini, sed hoc non obligat necessariò; ergo &c. Secundo, probatur ex Scot. cum dicit Ecclesia, omnia peccata sua confiteatur, vel intelligit mortalia, & habeo intentum; vel mortalia, & venialia, & sic quando quis accedit ad confitenda mortalia, debet etiam & venialia. Tertio, ex illo verbo

omnia

omnia patet intelligi tantum mortalia, nam venialia quis posset? confirmatur ex pœna quæ imponitur (vt dixi) grauissima. Quarto, quia Ecclesia instituit pro venialibus Sacramentalia. Quinto, ex Trid. sess. 14. cap. 5. vbi ait venialia posse taceri. Notandum est tamen primo, quòd quando est dubium si veniale sit, an mortale, tunc tenetur confiteri. Secundo, quòd ratione scandali tenetur adire confessarium.

Quintum dubium. An religiosi ratione alicuius statuti cùm non habeant mortale, teneantur confiteri venialia. ratio dubitandi est, quia clementina quæ incipit, ne in agro dominico de statu monachorum indicit confessionem menstruam monachis nigris. vbi glosa dicit esse hoc vniuersale pro omnibus religiosis. & Nau. cap. 2. num. 9. dicit astringi singulis mensibus religiosos saltem ex ordine Sancti Benedicti. licèt Sot. in 4. d. 18. q. 1. ar. 4. dicat non obligari religiosos suæ religionis nisi ad præceptum Ecclesiæ. Respondet Caiet. q. 1. de confess. teneri religiosos confiteri venialia, propter dictam clement. Sot. verò supra cit. negat; dicit enim non teneri saltem sub peccato mortali; quia esset nimis dura lex. Idem dicas de alijs religiosis nisi ex regula obligante, vel voto tenerentur. quare ad satisfaciendum præcepto in hoc casu; sufficeret se præsentare Sacerdoti, ac dicere, se non habere conscientiam peccati mortalis; id enim esset ei pro confessione, vt ait D. Tho. in addit. q. 6. ar. 3. Ad clementinam resp. quòd illa non intendit nisi breuiare tempus quod erat annus. sicuti præcepto *Omnis vtriusq;* *sixtus* non obligauimus seculares qui non habent mortalia; sic neq; religiosos. Quid si religiosi tenerentur octauo quoq; die? Resp. idem dicendum esse, non teneri ad venialia; nisi quis se voto astrinxerit. Ex dictis patet, materiam directam confessionis esse sola mortalia post baptismum commissa cum suis circunstantijs.

Sextum dubium. An omnes homines teneantur ex præcepto confiteri. Resp. Riccard. in 4. d. 17. q. 4. ar. 2. ait primo, tam fideles, quàm infideles obligari hoc præcepto confessionis, non quatenus est pontificium, sed quatenus est diuinum. Idem Angel. verb. confessio. 2 §. 2. & Sot. d. ead. videtur assentiri. Secundo dicit Riccard. in solutione ad 21. quòd quando quis non habet peccatum mortale, tenetur confiteri veniale propter præceptum Ecclesiæ. & in hoc etiam inclinat Bonau. d. ead.

2. p. ar. 2. & 3. Alens. 4. p. q. 77. m. 1. ar. 5. Pro solutione nota quæstionem fieri tam de fideli, quàm de infideli: præterea non solum de peccatore qui habet peccatum mortale, sed etiam de iusto qui non habet conscientiam peccati. Deniq; quæstio procedit de peccato originali, & actuali tam mortali, quàm veniali an sint, vel an esse possint materia confessionis, de qua re dictum est supra, dub. 4. Nunc ad dubium resp. infidelis non tenetur ad confessionem, sed solum fidelis; quia nondum professi sunt fidem, nec susceperunt baptismum, qui est ianua Sacramētorum. Confirmatur ex can. omnis vtriusq; sexus. in quo determinatur ius diuinum, & tamen non obligat nisi fideles. Nec obstat can. baptizandi, il 2. de consecr. d. 4. quia manuum impositio erat genus exorcismi, ideo præcipitur vt fiat ante baptismum Sot. in 4. d. 18. q. 4. ar. 3. concl. 1.

Septimum dubium. In qua ætate incipiat obligare hoc præceptum confessionis. cùm canone omnis vtriusq; sexus præcipiatur, cum ad annos discretionis peruenerint. Resp. cum primum puer fuerit doli capax, & cognoscit peccatum mortale, i. aliquod graue peccatum, tunc tenetur. quia cap. omnis vtrisq; sexus. de pœnit. non determinat annum, sed tantum dicit, *cum ad annos discretionis peruenerit.* Ita Sot. d. 18. q. 1. ar. 4. concl. 5. Victor. q. 139. Ad confessionem enim non requiritur tanta discretio, quanta ad sumendam Eucharistiā. in hac enim maior requiritur reuerentia, & cognitio; vt. s. possit Christi corpus deuotè sumere, & diuinitatem eius latentem adorare. Vnde communiter tempus communicandi statuitur in anno 12. in circa, & remittitur prudentis confessarij iudicio; Caiet. verb. communio. Nau. cap. 21. num. 2. Nota etiam, quòd licèt pueri possint peccare mortaliter ante duodecimum, vel decimumquartum annum, tamen Ecclesia non solet censuris eos cogere ad confessionem, cùm mitiùs quàm adulti puniendi sint, vt habetur in cap. pueris. de delictis puerorum.

Octauum dubium. An sit necessarium votum, seu voluntas confitendi in aliquo casu. Resp. esse necessarium quotiescunq; est necessaria contritio, vt in articulo mortis, vel tempore suscipiendæ Eucharistiæ, vel cum administranda sunt Sacramenta. quia vt sit legitima contritio, includit illum votum, vt dicit Trid. sess. 14. cap. 4. & Sot. in 4. d. 18. q. 4. ar. 3.

Nonum

Nonum dubium. An hoc præceptum confessionis obliget certo tempore .i. in quadragesima, vel satis est semel in anno quandocunq; confiteri. Resp. prima opinio dicit nos teneri tempore quadragesimæ; est Petri Soti lect. 5. Medin. tract. 2. c. de poenit. fol. 62. D. Tho. quodl. 1. q. 6. ar. 1. probant ex consuetudine vniuersali Ecclesiæ, & ex vsu excommunicandi eos qui tunc non confitentur. & ex Concilio Trid. sess. 14. cap. 5. in fine, approbantis hunc vsum Ecclesiæ. & ex quadam extrau. Xisti iiij. quæ incipit, vices illius; vbi prohibet concionatoribus ne dicant, parochianos non teneri confiteri suis parochis. Secunda opinio dicit, quòd non obligat in quadragesima, sed satis est semel in anno confiteri quandocunq; id fiat. in paschate verò teneri solum ratione communionis. est Soti in 4. d. 18. q. 1. ar. 4. Cani 5. par. relect. fol. 153. Ledes. q. 5. ar. 5. dub. 6. Couar. in cap. alma mater. 1. p. §. 1. num. 7. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19 §. 3. Quòd siquis ex legitimo impedimento non posset communicare, non peccaret non confitendo, modo infra annum fuisset confessus. & siquis non communicaret, non committeret duo peccata, sed vnum. Quæ opinio mihi videtur verior; tum quia optimos habet autores. tum etiam quia can. omnis vtriusq; sexus, dicit semel in anno. tum ex Trid. supra cit. quod vocat hanc consuetudinem piam, & retinendam. Non obstat consuetudo Ecclesiæ, quia est propter communionem in paschate. nec Trid. quod potius est pro nobis. neq; excommunicationes fiunt nisi propter præceptum communionis, & tunc dicerem quòd siquis ex legitima causa non communicauerit, non idcirco incurrit excommunicationem. neq. obstat extrauagans Xisti iiij. quia illa solum prohibebat rumores ne auerterent parochianos à parochis. & quamuis ponat illud tempus paschatis, id fecit quia tunc temporis est consuetudo Ecclesiæ confitendi.

Decimum dubium. An qui semel in anno, vel in quadragesima non est confessus, teneatur statim confiteri; an expectare potest sequentem quadragesimam anni sequentis. Resp. prima opinio est Anton. 3. p. tit 14. cap. 19. §. 3. Sylu. verb. Euch. 3. q. 15. §. 3. qui dicunt non teneri, sicut non tenetur communicare qui in paschate non communicauit; nec ieiunare in alia die, qui in vigilia non ieiunauit; quia est præceptum affirmatiuum alligatum tempori, sicut præceptum de ho-

ris canonicis, de ieiunio &c. Secunda opinio est affirmatiua quòd teneatur sub nouo peccato confiteri, quia est præceptum affirmatiuum concludens negationem, sicut præceptum restitutionis. est Medin. tract. 2. de confess. fol. 63. Sot. in 4. d. 18. q. 1. ar. 4. Nau. cap. 31 num. 45. Victor. q. 147. Non tamen intelligimus secundum hanc opinionem quòd talis quotidie, vel singulis instantibus noua peccata committat, sed est vnũ continuatum. Hæc secunda sententia est verior. pro explicatione dico; duobus modis determinari tempus ad precepta. Primo, determinatur propter rationem ipsiusmet temporis. Secundo modo, determinatur non propter hoc, sed ne vlteriùs differatur tale præceptum. & huius secundi generis arbitror esse præceptum confessionis, in quo dicitur semel in anno cõfiteantur; idest ne vlteriùs tẽpus protrahatur. Dices, an idem sit dicendum de præcepto cõmunionis? Nau. supra cit. respondet affirmatiuè. Sotus, & Medina negatiuè. idem Victor. q. 148. & hæc videtur esse communior de communione, quamuis illa Nauarri probabilis sit. & tunc quando dicitur in paschate, sensus est, ne vltra pascha differatur.

5 Vndecimum dubium. An qui dum confiteretur oblitus est alicuius peccati, teneatur adhuc confiteri si post pascha illius recordetur. Resp. non teneri si sine culpa est oblitus, sed potest differre in sequentem confessionem; nam iste satisfecit præcepto, confessus est enim integrè de illis quæ occurrunt. Sot. supra. & Nau. cap. 2. num. 10. Secus si culpa sua est oblitus; vt si negligenter, & indispositè confessus est, tunc teneretur pro confessione facta inualida, quia non satisfecit nec diuino præcepto, nec humano. Vel, si existens in loco communionis recordaretur alicuius peccati, & non posset sine scandalo retraere se à sacra mensa communionis, potest liberè communicare; sed postea habita opportunitate statim confiteri debet. Nau. supra: ratio est; quia concilium Trid. sess. 17. cap. 7. dicit, Sacerdotem in aliquo casu cum non habet copiam confessarij, tunc concedit posse celebrare, & deinde statim confiteri.

Duodecimum dubium. An qui probabiliter credit se debito tempore non habiturum confessarium, teneatur præuenire. Resp. in hoc casu teneri. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 3. casu 3. Sylu. verb. confessio. q. 2. casu 4. Nau. cap. 2. num. 10.

Adrian.

Adrian.q. de confess. dub. 3. casu. 4. & alij cum Cano par. 5. re lict. fol. 153. ratio est, quia præceptum Ecclesiæ determinauit tempus, non ratione temporis, sed ratione dilationis, ne plus vltra tempus differatur. & est communis sententia.

Decimumtertium dubium. An præceptum diuinum de confessione obliget statim post peccatum commissum habita opportunitate. Resp. negatiuè. & præter ea quæ dicta sunt supra dub. 2. probatur primo ijsdem argumentis, quibus probatum est non statim teneri hominem conteri, vt supra dictum est tract. 6. dub. 14. confirmatur; quia maior est necessitas contritionis. Secundo, quia hoc est præceptum affirmatiuum, quod non statim obligat. Tertio, quia malè prouidisset Ecclesia statuendo præceptum annuum, & nullam faciendo mentionem huius præcepti, dedisset enim Ecclesia occasionem peccandi. Quarto, ex vsu populi Christiani, qui de hoc non se accusat.

De quiditate confessionis. Cap. II.



Rimum dubium. Quid significat hoc nomen *confessio*. Resp. hoc nomen *confessio* plura significat in scriptura. Primo, laudem Dei, & gratiarum actionem, Psal. 9. *Confitebor tibi Domine*. Secundo, protestationem fidei externam; Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus*. Tertio, manifestationem veritatis. Luc. 3. *Confessus est, & non negauit*. Quarto, significat accusationem peccati, quæ potest fieri tam Deo, vt illud psal. 31. *Dixi confitebor aduersum me &c.* aliquando fit homini varias ob causas, nonnunquam vt iudici, Iosue 7. *Da gloriam Deo, & confitere, ac indica mihi quid feceris*. vel vt petamus consilium, prou. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur &c.* de nulla harum confessione loquimur; sed de quadam accusatione peccatorum quæ fit Sacerdoti cum clauibus ad redimenda peccata.

Secundum dubium. Quid est confessio. Resp. Scholasticè potest definiri hoc modo. *Est Sacramentalis peccatorum accu-*

satio

satio facta à peccatore ad indulgentiam virtute clauium obtinendam. Sot. in 4. d. 18. q. 1. vbi sunt quatuor causæ: est causa formalis, *accusatio*; quæ quia potest esse multis modis, ideo limitatur per illud *Sacramentalis*. materia, sunt *peccata*. efficiens, est *peccator*. finis, est *indulgentia*. si petas, an confessio sit actus virtutis specialis; Resp. esse actum externum elicitum à virtute pœnitentiæ; licèt sit imperatus ab alijs virtutibus, spe, charitate, veritate, &c. comitantur enim illam spes gloriæ, timor iudicij, verecundia, humilitas, &c. D. Tho. in addit. q. 7. Ex his infertur primo, quòd qui peccata sua manifestant ad iactantiam, velut ea excusent, vel ad alium finem, non dicuntur confiteri. Sot. supra, & Nau. cap. 2. num 1. Secundo, quòd confessio soli Deo facta, non est Sacramentalis. Sot. supra. num. 11. sic etiam confessio generalis quæ fit initio missæ, in prima, & cõpletorio, non est Sacramentalis, D. Tho. in 4. d. 21. q. 2. ar. 1. & Palud. ibid. q. 2. Sylu. verb. Sacramentalis. in fine. Tertio, infertur, propriam materiam confessionis esse peccata, non virtutes, neq; scrupulos. Quarto, quòd confessio quæ non fit cũ spe veniæ in ordine ad absolutionem, non est Sacramentalis, Sot. & Gabr. supra. Sylu. verb. confessio. 1. q. 7. & confessio 3. q. 4. Caiet. 2. 2. q. 70. ar. 1. ad. 3. Sot. 1. de Sacram. m. 3. q. 4. quare qui peccata sua reuelat Sacerdoti ad consultandum, vel ad adducendum eum ad peccatum, vt ad hæresim, vel lasciuiam &c. & non ad remissionem obtinendam, non facit confessionem Sacramentalem. Vltimò infertur. quòd confessio quæ non fit proprio Sacerdoti, vel habenti potestatem iurisditionis saltem delegatam non est Sacramentalis; Nau. cap. 2. num. 1. Sot. supra. minus erit Sacramentalis confessio facta laico, vel non Sacerdoti; Nau. ibid. Trid. sess. 14. cap. de pœnit. Vel sic definiri potest: *Confessio est actus hominis exterior propriorum peccatorum cum sui accusatione in foro exteriori secreto manifestatiuus*. Primum verbum est *actus hominis exterior*; est enim aduertendum, necessarium esse vt sit confessio, vt intercedat aliquod signum exterius, siue verbum, siue nutus, siue scriptura. Secundum verbum est *manifestatiuus peccatorum*. Nota; quatuor modis possunt explicari peccata. Primo, verbo. & per tale signum potest optimè esse confessio. Secundo, signo, & nutu; & hoc est sufficiens ad confessionem. & vnusquisq; tenetur ad confessionem,

sionem, etiam mutus, siue vno, siue altero modo. Tertio per interpretem, & iste potest sic confiteri, & absolui. Sed non obligatur secundum communem sententiam; quia non obligatur aliquis extra confessionem sua peccata manifestare. Quarto, per literas in absentia; & ista non potest esse confessio. Primo, quia potest esse mortuus quando datur absolutio. Secundo, quia potest esse mutus absoluens. Verum est quod per literas in præsentia si pœnitens legat, siue ipse confessarius annuente pœnitente, potest esse confessio, quamuis non sit valde laudabilis iste modus confessionis per literas. Tertium est, *propriorum peccatorum* debet enim aliquis in confessione propria, non aliena peccata manifestare, quando possunt sine alieno peccato manifestari. Quartum verbum, *cum sui accusatione*: dicimus hoc, quia in confessione duo maximè sunt vitanda; primo, historiæ non necessariæ; debent enim per modum accusationis dici peccata. Secundo, debent euitari excusationes in peccatis; non enim est reijcienda culpa in Dæmonem, vel quia aliter fieri non potest &c. Quintum verbum, *in foro exteriori*, vt distinguatur hoc à confessionibus iudicialibus. Sextum verbum, *secretum*, vt distinguamus à confessione generali, quæ fit in principio missæ, *confiteor Deo* &c. vt supra dictum est.

De qualitate, seu de conditionibus confessionis. Cap. III.

Primum dubium. Quot sunt conditiones bonæ confessionis. Resp. esse sexdecim quæ his versibus continentur:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atq; frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Has conditiones exponit D. Tho. in 4. d. 17. q. 3. ar. 3. & in addit. q. 9. ar. 4. Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 2. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. Nau. cap. 1. num. 6. & in cap. fratres. de pœnit. d. 5. nu. 2. Caiet. & alij verb. confessio. quarum sufficientia quam D. Tho. adducit, est hæc: quædam sunt ad necessitatem, & complementum

tum confessionis, quædam ad bene esse; si primum, potest considerari vel vt virtus, vel vt pars Sacramenti; si virtus, tripliciter considerabitur; vel virtus in generali, vel vt actus pœnitentiæ, vel vt confessio est; si vt virtus in generali, conueniunt illi illæ quatuor conditiones quæ tribuuntur vnicuiq; virtuti, 2. ethic. cap. 5. vt fiant à sciente, ex electione, propter bonum finem, & cum firmitate quadam. Propter primum, confessio debet esse *discreta*; propter secundum, *libens*; propter tertium, *Pura*; idest propter bonum finem; propter quartum, *fortis*: Quatenus verò consideratur vt pœnitentia est, debet incipere à verecundia peccati, progredi ad dolorem eius, & terminari in sui abiectione. propter primum, dicitur *verecunda*; propter secundum. *lacrymabilis*; propter tertium, *humilis*; quatenus consideratur confessio vt sic, debet esse manifestatiua: quod posset impediri quadrupliciter; per falsitatem, obscuritatem, superfluitatem, & multiplicationem verborum; idest per occultationem. propter primum, debet esse *fidelis*; idest verax. propter secundum, sit *nuda*, idest clara, sine inuolucris obscuritatum; propter tertium, sit *simplex*, recisis superfluitatibus; propter quartum, sit *integra*. Quatenus deniq; est pars Sacramenti, ex parte pœnitentis, debet esse *accusans*; ex parte confessarij cui se subijcit, debet esse *parere parata*; ex parte modi, debet esse *secreta*. Duæ aliæ conditiones sunt ad bene esse, vt sit *frequens & accelerata*. s. post
1 peccatum. Quoad primam, confessio sit *Simplex*. i. non composita. esset autem composita, si artificiosè narrarentur peccata; & ea arte, vt vel non ponderarentur à confessario; vel delectet suauitate vanæ gloriæ, seu vanæ eloquentiæ; esset enim peccatum apertum, vt docet Caiet. verb. confessio. item cauendo ne quis ita generaliter se accuset, vt æquè possit intelligi esse mortale, & veniale; vt si quis dicat murmuraui, furatus sum, &c. Nau. supra. Item contra simplicitatem faceret si quis non accusaret se cum distinctione v. g. peccaui contra nonum præceptũ de liberatè, vel in primo motu. vt notat Nau.
2 ibid. Quoad secundam, *Humilis*. i. vt qui confitetur, habeat humilitatem in intellectu, in affectu, in modo loquendi, in actibus externis, in genibus flexis, capite discooperto; quæ sine peccato omitti nõ possunt, nisi rationabilis causa excu̇et. Caj.
3 verb. confessio. Quoad tertiam sit *Pura*. i. non mista imperti-

nentibus ad peccata propria, alioquin committitur peccatum veniale vaniloquij, & irreuerentia Sacramenti. Caiet. verb. confessio. Nau. cap. fratres. de poenit. d. 5. num. 17. Sot. d. 18. q. 2. ar. 4. concl. 4. vnde infertur loquutiones superfluas omnino reijciendas in confessione, praesertim cum foemina; vt ait Anton. 3. p. tit. 12. cap. 19. multo magis debet esse pura à mistione peccatorum alienorum. Quoad quartam sit *Fidelis*. i. verax, nam mentiri in confessione per se. i. de pertinentibus ad confessionem, est peccatum mortale. vera autem debet esse confessio tripliciter: Primo, vt nullum interfit mendacium quo neget id quod commisit, vel affirmet quod non fecit. quod si aliquod mendacium interfit, si sit circa peccatum mortale, est mortale secundum omnes. Quare qui scienter se accusat de peccato mortali quod non fecit, vel scienter negat se commisisse nondum confessum, peccat mortaliter; Caiet. verb. confessio. cond. 4. Ledesm. 2. 4. q. 5. ar. 4. dub. 1. Nau. cap. 11. num. 37. Sot. d. 18. q. 2. ar. 4. concl. 3. Victor. q. 130. Sylu. confessio. 1. q. 8. patet ex D. Tho. 1. 2. q. 69. ar. 1. vbi dicit mentiri in iudicio esse peccatum mortale; ergo multo magis mendacium perniciosum in iudicio Sacramentali erit peccatum mortale, idest sacrilegium, quando est de re graui; decipitur enim confessarius circa materiam necessariam confessionis. Imo addit Caiet. ibi, quod si sit mendacium in confessione circa peccatum veniale, est etiam mortale. nam mendacium leue cum iuramento adhibito, est mortale ergo multo magis in hoc Sacramento. idem dicit in summa. verb. confessio. Sed ego non credo, ratione leuitatis materiae, quae non est de necessitate confessionis: ita Angel. verb. confessio. §. 7. Armill. eod. §. 5. in vno casu esset mortale, quando veniale esset materia confessionis. v. g. non habet aliquis nisi vnum, aut duo venialia, & in vtroq; committit mendacium, peccat mortaliter, quia subtrahit materiam confessionis. Pariter esset peccatum mortale si quis sciēter se accusaret de peccato mortali tanquam certo, de quo tamen dubitat an fecerit. Similiter peccaret mortaliter, si negaret fecisse peccatum mortale, nondum confessum, quod dubitat se fecisse; haec enim sicut dubia sunt, sic etiam sunt affirmanda vel neganda, iuxta doctores citatos. verum est tamen quod si poenitens ex feruore indiscreto mentiretur sine intentione fallendi, sed quia volebat

se perfectè accusare quasi eligens tutiorem partem dixerit aliquam circunstantiam, vel aliquod peccatum dubium pro certo, non peccat mortaliter. Sylu. verb. confessio Sacramentalis.q.8.Nau.supra.in cap.fratres.de pœnit.d.5.nu.27. Victor. q.130. item mentiri circa impertinentia in confessione, est solum peccatum veniale; Caiet. 2. 2. q.69.ar.2. Nau.cap.18. num.3. Vict.q.131. Sylu.supra. & est communis. Item interrogatus de veniali quod scit se commisisse, si negat illud, (quia scit se non teneri ad illius confessionem) peccat venialiter. Nau.supra. Sot.d.18.q.2.ar.4.& l.5.de iust.q.6. ar.1. Ledesm. 2.4.q.5.ar.4.dub.4. & hoc intellige quamuis pœnitens à principio statuerit illud confiteri; id enim nihil refert. ex Nau.cap. 21.num.37. Victor. supra. quicquid dicat Caiet. Idem dicendum de eo qui interrogatus de aliquo peccato mortali qui iam legitimè de eo confessus, negat fecisse; Nau. cap.fratres. cit.num.24. Sylu. confessio.1. q. 8. quia illa materia non pertinet ad illud iudicium. Imo si pœnitens æquiuocaret, vel prudenter responderet, scilicet de hoc nihil habeo dicere, &c. nec venialiter quidem peccaret. Item si pœnitens se falsò accusat de veniali quod scit se non fecisse, solum venialiter peccat; at dixi; dummodo confiteatur aliquod verum quod sit materia Sacramenti. Nau.cap.fratres.num.27. & in manuali cap.21.num.38. Sot.in 4.d.18.q.2.ar.4. Victor.q.131.quicquid dicat Caiet.verb.confessio.& Ledes.dub.4.cit. Secunda, confessio debet esse fidelis in hoc, vt dubium pro dubio, certum pro certo manifestetur. Tertio, quoad circunstantias mutantes speciem, idest quando est aliqua circunstantia quæ aliàs mortale facit veniale non est confitendum sine circunstantia. Quoad quintam, sit *Frequens*.i. vt qui frequenter cadit, frequenter confiteatur. hæc enim medicina hominem conseruat in timore Dei. Confiteri autem sæpius eadem peccata sicut scrupulosis vituperabile est, qui nunquam putant esse ritè confessos; sic in eo qui placabilem habet cōscientiam, & quietam, laudabile est; seruata tamen prudentia. Neq; enim absurdum est super eadem materia remota sæpiùs iterari formā absolutionis; Caiet. verb. confessio. cond.5.q.4. licèt enim materia remota sit eadem, materia tamen proxima .i. confessio ipsorum peccatorum est distincta à distincta absolutione. non licet enim in eadem confessione absolutionem iterare.

rare. Licitam autem, & vtilem esse iterare confessionem, patet tum ex vsu Ecclesiæ; & confirmatur ex cap. quem pœnitet. d. 3. tum propter varias vtilitates quæ inde nascuntur; tum quia homo non potest esse certus de effectu confessionis; tum propter actus multarum virtutum qui ibi exercentur. tum demum quia semper confertur gratia in Sacramentis. Quoad sextam sit *Nuda* confessio .i. non vestita coloribus, seu verbis cooperientibus grauitatem peccati, vel obscurantibus, ita vt confessarius non percipiat grauitatem peccati, seu speciem &c. expectatur enim iudicium à gerente vicem Christi; vt notat Caiet. verb. confessio. Quoad septimam sit *Discreta* .i. prudens. & quantum ad verba, vt honestis vocabulis peccata exprimantur. & quantum ad circunstantias, vt non nisi necessaria (præsertim in peccato carnis) explicentur. & quantum ad modum narrandi, ne diuisim dicantur quæ simul exprimi possunt. & quantum ad quærendum idoneum confessorem; Caiet. verb. confessio. cond. 7. Nau. cap. fratres. supra cit. nu. 37. Quoad octauam sit *Libens*, idest non metu, sed amore; & sic voluntaria erit confessio, & filialis. & licèt aliquando aliquis non libenter accedat, si tamen vincat seipsum, & confitetur, sufficit ad salutem imperfectorum. Caiet. verb. confessio. cond. 8. Quoad nonam sit *verecunda*, idest erubescens, tū apud seipsum, tum apud confessarium; confiteatur turpitudinem suam per modum erubescentis; non quasi iactando, vel historiam narrando. Verecundia enim est timor opprobrij, & passio concomitans, quæ gratia Dei si fortiter superetur amore Dei, imputatur in partem satisfactionis. Caiet. verb. confessio. cond. 9. Quoad decimam sit *integra* confessio quantum ad peccata mortalia nondum confessa, hæc enim omnia, & singula exponenda sunt cum circunstantijs necessarijs, siue dubijs. Caiet. verb. confessio. cond. 10. ita vt possit confessor percipere grauitatem peccati. Similiter ea explicentur de quibus dubitatur an sint mortalia. Medin. tract. 2. de confess. q. 6. Sylu. confessio 1. q. 1. Nau. cap. 21. num. 34. Item ea de quibus pœnitens dubitat an sit confessus. & à fortiori quæ per obliuionem in confessione omisit iuxta Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 3. Ledes. 2. 4. q. 8. ar. 2. dub. 13. Ad integritatem etiam pertinet explicare numerum peccatorum mortalium, & circunstantias, vt dicemus infra. quæ integritas intelligitur ad

Margin notes: 6 (beside "Quoad sextam"); 7 (beside "Quoad septimam"); 8 (beside "Quoad octauam"); 9 (beside "Quoad nonam"); 10 (beside "Quoad decimam"); *Vndecimam conditionem vide infra, post dubium decimū sextum.*

vnum, & eundem Sacerdotem. Nau. cap. consideret. §. cautius. de pœnit. d. 5. & in manual. cap. 9. num. 14. Medin. c. de pœnit. q. 8. Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 5. Victor. q. 196. excluduntur ab hac integritate peccata actualia commissa ante baptismū, & peccatum originale. peccata verò venialia licèt possint esse materia confessionis, non tamen sunt necessariò confitenda, vt supra dictum est. mortalia verò legitimè confessa licèt denuò possint esse materia, non tamen id est necessarium. Caiet. verb. confessio. Nau. cap. 9 num. 3. & cap. fratres cit. num. 62. Imo neq; potest sanciri lex quæ ad id obliget; vt dicam infra. Quòd autem confessio debeat esse integra, probatur; quia dimidiata confessio repugnat absolutioni; impium enim est à Deo dimidiatā sperare salutem. & definitur in Concilio Trid. sess. 14. cap. 5. de pœnit. & est communis sententia. D. Tho. in addit. q. 9. ar. 2. Caiet. verb. confessio. Sot. in 4. d. 8. q. 2. ar. 5. Nau. in cap. consideret. cit. August. l. de vera & falsa pœnit. cap. 15. Leo ep. 89. Chrysost. hom. 10. ad hebr. Secundo patet, quia hæc est ratio iudicij, vt omnia crimina dicantur. confirmatur, quia tam latè patere debet accusatio, & cognitio criminum in iudicijs, quàm latè patet ipsa sententia; sed in foro pœnitentiæ sententia iudicis .i. absolutio ad omnia peccata se extendit; ergo & accusatio tam latè etiam patere debet. Tertio, quia confessio est signum externum internæ contritionis, & materiæ futuræ absolutionis; sed non potest esse contritio de vno, & non de alio, nec absolutio de vno & non de alio; ergo &c. Addo quia hæc integritas est de iure diuino, vt omnes fatentur. & patet ex cap. omnis vtriusq; sexus. de pœnit. & remiss. ex Concilio Flor. & Trid. cap. 5. cit. item, quia sicut præcepta est confessio de iure diuino, ita & integritas. cùm aliter non possit Sacerdos bene iudicare. item, quia cùm materia Sacramenti sit confessio, nulla est ratio cur aliqua dici debeant, & alia non. item, quia sic semper intellexit Ecclesia. Sed quoniam circa hanc decimam conditionem nonnulla insurgunt dubia, idcirco facilè ea expediemus si ad duo capita reuocemus. Primum erit de modo huius integritatis. Secundum de casibus in quibus licet dimidiare confessionem. circa primum sit.

Secundum dubium. An qui confitetur teneatur diligenter excutere conscientiam, an satis sit confiteri quæ memoriæ

occur-

occurrant. Resp. primo, non tenetur pœnitens summam diligentiam adhibere in conseruandis memoriæ peccatis; vel discutiendam cõscientiam, vt integra suo tempore confiteatur. probatur, quia lex Dei esset nimis onerosa, cùm tamen sit iugum suaue. Item, quia multi sunt obliuiosi, & tamen non cogimur scribere, ac notare peccata. & demum quia salus istarum redderetur impossibilis, vt rusticorum, & rudium, qui nesciunt scribere, & ingenio carent. Deniq; quia nemo tenetur facere quantum potest, sed quantum pro rei qualitate decet. ita Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 4. Nau. cap. 21. num. 35. Sylu. verb. confessio. 1. q. 2. Secundo dico, quòd si nulla sit diligentia, nulla est confessio. tenetur igitur homo ante confessionem examinare conscientiam discurrendo per loca, tempora, personas, negotia, &c. & qui ita non facit, peccat mortaliter; quia tenetur confiteri integrè, ergo tenetur ad diligentem discussionem. ita definit Concilium Trid. sess. 14. cap. 5. de pœnit. hæc autem diligentia non est æqualis in omnibus, sed debet haberi ratio temporis, vitæ, & memoriæ. temporis, vt maiorem faciat diligẽtiam qui per annum non est confessus, quàm qui per mensem. vitæ, maior enim diligentia requiritur in mercatore, quàm in rustico. Memoriæ, nam aliqui sic pollent memoria, vt statim recordentur, alij contra. Quid dicendum est de multis rusticis, qui accedunt ad confessionem statim ac illis dicitur? Resp. sufficit; quia tam erunt parati post mensem, quàm modo. Tertio dico, hæc diligentia debet esse moralis, arbitrio boni viri, idest tanta quanta adhiberi solet pro re ardua quæ maximè nobis est cordi. Nau. cap. fratres. de pœnit. d. 5. num. 66. 75. Scot. in 4. d. 17. q. 1. ar. 2. can. releɑ. de pœnit. Palud. in 4. d. 17. q. 2. ar. 1. dicit, quòd debet facere quod potest. Maior. d. 17. q. 3. dicit, quòd debet adhibere tantam, quantam adhiberet recitaturus latinam orationem coram eruditis, & redditurus rationem coram Domino vigilis. Vnde puto quòd qui diligentiam humanam & mediocrem adhibet in examinanda conscientia, satisfacit huic præcepto. Voco humanam diligentiam quam homines prudentes adhibere solent in grauibus negotijs. probatur, quia hoc iudicium misericordiæ est, non vindicatiuum. Item quia Concilium Trid. sess. 14. cap. 5. de pœnit. requirit solum diligentem discussionem, &c. ita Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 4. Tab. verb. communicare.

q. 29.

q. 29. Scot. in 4. d. 17. q. 1. ar. 2. Victor. q. 161. ex quo infertur primo, in casu necessitatis tantam requiri, quantam tempus patitur, & non amplius. Secundo, extra tempus necessitatis, tantam quantam iudicat confessarius prudens satis esse, vt cum suis interrogationibus ille integrè confiteatur; secus non. Tertio, multi rustici possunt cum aliquali eorum discussione, sub hoc titulo confiteri. Quarto, qui sæpe confitentur, minima diligentia tutè possunt accedere ad confessionem. Vnde Nau. supra, dicit nimis diligentes & anxios in hac re, peccant venialiter, contra illud, *Nequid nimis*. Quarto dico: Siquis adhibeat eam diligentiam quam probabiliter putat esse sufficientem, maxime auxilio confessarij, etiam si deciperetur; quia s. non esset verè sufficiens, excusaretur à peccato, & confessio esset valida. ita Nau. cap. fratres. cit. nu. 60. Caiet. verb. interrogationes, interrog. tertia, præambulo ad confessionem. Victor. q. 160. Hinc patet quòd diligentia quæ ex se non est sufficiens, quando quis ad confessionem accedit animo respondendi ad interrogata, auxilio confessarij prudenter examinantis, & interrogantis, sit sufficiens; vt notant Nau. & Caiet. supra. quod est obseruandum pro confessarijs rusticorum.

Tertium dubium. An in confessione distinctè aperiendæ sunt species peccatorum. Resp. affirmatiue, nam alioqui non esset integra confessio, neq; integrum iudicium, non enim innotesceret confessario status pœnitentis. & patet ex Trid. sess. 14. cap. 5. Et ex can. consideret. de pœnit. d. 5. & est communis sententia. hinc patet non satis esse confiteri generalissimè, vt peccaui nimis contra legem Dei, dicta ratione, quia non innotesceret status confitentis confessario. neq; satis esset se generaliter accusare dicens, peccaui contra primum præceptum, vel superbia, vel gula, &c. quia sic non potest cognosci grauitas peccati, nec ferri potest certa sententia in iudicio. Infertur etiam omnes species esse exprimendas quæ differunt in genere moris, & sunt communiter notæ, vt furti, homicidij, &c. dixi in genere moris, nam si tantum differant in genere naturæ, non esset necesse aperire, vt v.g. diuinatione in igne, aqua, &c. sicut neq; furti, auri, argenti, &c. Simpliciter neq; species latentes, seu reconditas, quæ vix doctis sunt notæ, vt docet Caiet. opus. de confess. q. 3. Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 4.

ar. 4. concl. 6. Victor. q. 176.

Quartum dubium. An circunstantiæ peccatorum necessario sint aperiendæ in confessione. Resp. quòd circunstantia est accidens humani actus illum aliquo modo attingens. dicitur autem accidens, quia non est de substantia actus, sed supervenit substantiæ constitutæ, & illam circunstat. de qua materia disputat D. Tho. 1. 2. q. 7. sunt autem septem circunstantiæ quæ hoc versu continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Sciendum est enim quatuor esse in substantia actus, scilicet agens ipsum, obiectum, finis, & ipsemet actus. circa istam substantiam occurrunt septem istæ circunstantiæ. nam ex parte actus sunt tria, tempus, locus, & modus. ex parte finis, est circunstantia, *cur*. est enim duplex finis, quidam intrinsecus ipsiusmet actus. Secundus est agentis, & operantis potius quàm actus. Secundus est ipsemet actus. Primus est de substantia actus. ex parte agentis est circunstantia, *Quis*. est enim duplex agens, primus per se, & est de substantia; secundus secundum aliquid adiunctum illi, vt quòd sit religiosus, Pontifex, Imperator, &c. Ex parte obiecti est circunstantia, *Quid*, est duplex *quid*, primum est ipsum obiectum per se, & hoc est de substantia actus. Secundum est aliquid annexum obiecto, & hoc est circunstantia; vt furari pecunias, vel mille, vel pauciores. Demum est instrumentum, *Quibus auxilijs*. Harum autem circunstantiarum aliæ sunt impertinentes, aliæ pertinentes. Impertinentes sunt, vt siquis de nocte, vel de die blasphemauerit, & has certum est esse superfluas dicere in confessione, contra illam conditionem, confessio sit simplex. Sot., in 4. d. 18. q. 2. ar. 4. Caiet. verb. confessio. Pertinentium verò aliæ sunt minuentes, aliæ aggrauantes. Minuentium, aliquæ ita minuunt vt de mortali faciat veniale, vel nullum; vt siquis vel quid leue furetur, vel in extrema necessitate; & hæ sunt aperiendæ in confessione; nam aliâs deciperetur confessor in re graui, & esset iudicium irritum. Sot. supra, concl. 5. Aliæ minuunt intra latitudinem mortalis, quæ tamen peccatum mortale in sua specie relinquunt; & hæ minuentes hoc modo nunquam sunt necessariò dicendæ; Nau. cap. 6. num. 1. quia, homo in confessione debet coram Deo sua peccata non excusare, sed accusare confessione nuda, & pura. addo tamen

quòd

quòd quando multò minueret, & timeretur scandalum confessarij, vel prauum iudicium, est vtile illas aperire; Bonau. in 4. d. 17. q. vlt. quando verò non minuit notabiliter, non sunt dicendæ. De aggrauantibus circunstantijs quæ mutant speciem, est de fide esse exprimendas; ex Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 9. ex communi sententia. v. g. dicet aliquis, ego habui actum carnalem cum quadam fœmina, explicare debet coniugata ne fuerit, an virgo, &c. illæ autem mutant speciem quæ faciunt de veniali mortale, vel addunt actui nouam deordinationem, seu deformitatem; vt ait D. Tho. in 4. d. 16. q. 3. ar. 2. q. 3. vt siquis ioco surripuit alicui sudariolum, sed vt faceret illum blasphemare; quia nouit illum esse iracundum. Secundo, omnis circunstantia quæ mutat, & multiplicat peccatum, est confitenda. v. g. facit aliquis votum castitatis, & fornicatur, debet explicari hæc circunstantia; quia est duplex peccatum, contra præceptum, & contra votum, & consequenter est sacrilegium. vnde si incidit vigilia cum quatuor temporibus, & violetur ieiunium, debet explicari hæc circunstantia, secundum Medin. c. de confess. & Nau. cap. 6 num. 6. 7. & 20. & cap. consideret eic. num. 24. Tertio, est manifestanda circunstantia quæ procedit contra aliquam excommunicationem latam. v. g. prohibentur periuria sub excommunicatione tali tempore, non satis est crimen aperire, nisi etiam explicetur excommunicatio. Quarto, est explicanda etiam circunstantia, quæ necessaria est ad satisfactionem tertiæ personæ. Quinto, circunstantiæ aggrauantes notabiliter intra eandem speciē peccatum, sunt necessariò confitendæ. est Altisiodor. l. de confess. cap. 5. Alens. 4. p. q. 77. m. 3. ar. 1. Gabr. in 4. d. 17. q. 1. Marsil. q. 17. ar. 1. Maior. 12. q. 4. Sot. d. 18. q. 2. ar. 4. concl. 7. can. relect. de pœnit. Adrian. l. 4. de confess. Victor. q. 176. probatur primò, quia furari 1000. aureos laico, est minus peccatum quàm furari duos ab Ecclesia: ergo est exprimenda quantitas. Secundo, quia per multos dies persistere in proposito occidendi hominem, & postea occidere, est grauius peccatum quàm extra statim occidere: ergo est aperienda circunstantia. Tertio, quia incestus cum matre, filia, sorore, nepte, vel alia consanguinea, non differunt specie, ex D. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 9. & tamen nemo dicet non esse aperiendam hanc circunstantiam. Immo Nau. tenet mutare speciem specialissimam, cap. 7. num. 4. & cap.

& cap. 10. num. 3. postremo, quia vt ait Sot. facilius est cognoscere qualitatem peccati ex grauitate ipsius, quàm ex differentia specifica. has enim differentias vix Theologi sciunt; ergo &c. Nihilominus dico sexto, probabilem esse sententiam illorum, qui dicunt huiusmodi circunstantias aggrauantes intra eandem speciem non esse necessariò aperiendas, quamuis vtiliùs dici possint. est D.Tho. in 4.d.17.q.3.ar.2.q.5. Bonau. d.17.q.vlt. Dur.d.16.q.4. Medin.c.de confess. Sylu. verb.confessio.1.q.9. Nau.cap.6.num. 6.& 10.& cap.consideret. nu.24.

Quintum dubium. An peccata confessario nota, sint aperienda cum circunstantijs. Resp. peccata esse confitenda quamuis nota confessario; quia quamuis ille sciat, non tamen scit vt iudex, & vicarius Christi in foro interiori. est communis sententia. Sylu.verb.confessio.2.q.3.Nau.in cap.consideret.cit.num.61.Sot.in 4.d.18.q.2.ar.3. Circunstantiæ verò quando ex confessione peccati implicitè exprimuntur, ita vt intelligantur à confessore, non est opus expresse confiteri. v.g. si confessarius sciat pœnitentem esse Sacerdotem, vel quoties peccauerit, satis est confiteri peccatum. Sylu. verb. confessio.1.q.11. Imo si confiteatur hoc modo; me accuso de his quæ tibi dixi, vel scis me commisisse, satis est; quia hic verè confitetur, vt docet Medin. c. de confess. Dices, an in confessionibus generalibus liceat omittere aliqua peccata. Resp. si dicat pœnitens se velle confiteri omnia peccata; & omittat aliqua scienter, peccat mortaliter; quia decipit confessorem in re graui. Si autem dicat se velle confiteri aliqua, potest licitè omittere quæ ritè aliàs confessus est. Imo in confessione generali non requiritur tāta conscientiæ examinatio, sed potest per multos dies prorogari. Ita Victor.q.166.& Sot. in 4.d.18.q.2.ar.5.

Sextum dubium. Quando est aperienda circunstantia personæ? Resp. quando mutat speciem, vt si esset religiosus, habens votum qui fornicaretur. & ex hoc patet quid dicendum sit, an in stupro mentali necessariò dicenda sit circunstantia personæ. Licèt enim Sot. in 4. d.18. q.2.ar.4. dicat non esse necessariò dicendum in mentali, quia non mutat speciem, licèt in actuali concedat quia mutat; tamen in vtroq; idem dicendum est cum Nau. cap.6.num.7. ratio est; quia actus interior, & exterior sunt eiusdem speciei; ergo si exterior mutat

speciem; ergo & interior. Aduerte quòd confessarius debet esse cautus in petenda tali circumstantia si non dicatur, vt si sit virgo, vel non. tum quia opinio Soti habet aliquid probabilitatis; tum etiam quia non omnia sunt dicenda.

Septimum dubium est, de circunstantia conscientiæ contrariæ. quando quis scit illud esse peccatum, & tamen facit. Resp. affirmatiuè. Adrian. q. 4. de confess. & Medin. fol.53. Negat Nau. cap. consideret. cit. ego Respondeo primò, non esse dubium quòd conscientia erronea potest aliquando facere peccatum mortale quando non est; & tunc est dicendū. Respondeo, secundo, quòd illa circunstantia conscientiæ cōcontrariæ præter casum dictum, non est mutans speciem; nec est necessariò confitenda. & etiam si esset aggrauans, tamen non est necessaria; quia intelligitur nisi contrarium dicatur.

Octauum dubium est, de circunstantia scandali. Resp. primo, quòd quando scandalum est peculiare peccatum, est dicendum. quod tunc est, quando aliquis facit, vel dicit aliquid intendens per se alium trahere ad peccatum. Resp. secundo; quòd quando est solum circunstantia, tunc est dicenda, quando ego poteram aduertere ex meo dicto, vel facto alium inducere ad peccatum; aliàs non est necessarium dicere.

Nonum dubium. Circunstantia loci sacri quando est dicenda. Respondet Caiet. 1.2.q. 7. ar. 1. quando dicitur, vel fit aliquod peccatum quod directè opponitur sanctitati, & immunitati Ecclesiæ. cuius rei optimum esset iudicium quando peculiari præcepto esset prohibitum; aliàs non. Declaratur exemplis, vt de effusione sanguinis cum vi in loco sacro; & seminis effusione voluntaria, & furto. & quando fiunt temporalia in loco sacro. Quid si quis cogitet interiùs facere aliquod peccatum in templo? Resp. si illa circunstantia tenet se ex parte obiecti, est dicenda. aliàs non.

Decimum dubium. An circunstantia temporis sacri sit dicenda? Resp. communis opinio negat; quia præceptum in die festo est præceptum de opere corporali. non peccare autem est finis; finis autem non est in præcepto: vt dictum est supra. tract. 5. cap. 2. dub. 6. nec valet dicere, mortale est opus seruile; quia idem dicam de veniali. nec valet quòd circunstantia loci sacri sit necessaria; quia illa habet peculiare præceptum; hoc autem non.

Vnde-

Vndecimum dubium. An numerus peccatorum sit necessa-
exprimendus in confessione. Resp. affirmatiuè. numerus
im peccatorum non est circunstantia, sed additio peccati
peccatum, tenetur igitur vnusquisque singula peccata con-
eri, aliàs confessio non esset integra. nec mirum si D. Tho.
4. sent. nihil dixerit de numero; quia eodem præcepto quo
oemur confiteri omnia peccata, iubemur etiam confiteri &
igula, vt notat Sylu. q. 11. & Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 4 concl. 1.
eo D. Tho. opusc. 12. dicit, quòd homo tenetur confiteri nu-
erum peccatorum sicut potest. quare qui decies blasphema-
t, idq; recordaretur, debet exprimere; nam si diceret se bla-
hemasse nouies, confessio non esset integra. est sententia cō-
unis Sylu. & Sot. supra. & Caiet. q. 3. de confess. Nau. cap. 6.
im. 14. Petri Sot. lect. 9. & aliorum. quicquid dicat directo-
um, & Archid. qui tenent satis esse vt quis dicat, sæpius se
iquod peccatum commisisse. cùm tamen id possit ita verifi-
iri de octo, sicut de centum. Nau. & Sot. supra. & Victor.
178. Non est autem necesse ita singula confiteri, vt sigilla-
m numerentur; sed satis est ita explicare vt Sacerdos intel-
gat qualitatem pœnitentis. vt v. g. siquis decies blasphema-
it Deum maledicendo, non est necesse dicere priùs blasphe-
naui sic, deinde sic &c. Sed satis est dicere, decies Deum sic
lasphemaui, Caiet. Sot. Victor. & alij supra. nam hoc est iu-
icium misericordiæ, & non vindictæ, vt notat Caiet. & Sot.
uod intelligendum est, nisi aliquod illorum peccatorum ha-
eret circunstantiam aggrauantem, quia tunc esset distinctè
xplicanda. Secundo dico; quòd quando certò sciri potest
iumerus, est exprimendus modo dicto. quādo verò facto exa-
nine non potest sciri, dicatur plus minus; vt, falsò iuraui de-
ies plus minùs. In quo cauendum est ne incidat in extrema,
c pluries se peccasse dicat quàm peccauit, vel minùs, vt no-
at Sotus. Dices; quid siquis confessus est sæpe iurasse, puta,
lecies, & postea recordetur pluries se id peccatum commi-
isse? Respondet Sotus, si excessus sit notabilis, tenetur; aliàs
on. vt v. g. si omisit vnum vel alterum, quia plus minùs nu-
merum assecutus est, non est enim necesse illum punctualiter
scire; vt docet Ciet. supra. & Victor. q. 179. Tertio dico.
quòd quando per longam consuetudinem & tempus peccandi
non potest quis confiteri præcisum numerum, coniectura sa-

tis est exprimere, idest quandiù perseuerauit in illo peccato; vt de meretrice, latrone, &c. Caiet.q.3.de confess.& Victor. supra. Ego verò tutius esse puto cum Soto tales personas confiteri debere numerum verisimilem cum circũstantijs necessarijs; vt quoties in hebdomada, vel mense, cum quibus personis,&c.quia non omnes qui sunt in statu peccati sunt pares in peccando. vbi nota ex Nau. in cap. consideret. d. 5. num.46. & in manuali cap.6. num. 16. quòd numerus peccatorum multiplicatur quoties peccatum reiteratur secundum actum, etiam si voluntas peccandi semper duret. vt latro qui habet animum semper furandi, secundum actum internum committit vnum peccatum, sed quoties actu furatur, toties peccat secundum actum externum. Omnes autem actus interni,& externi qui tantum sunt via ad vnum peccatum,etiam si illi actus fuerint interrupti,vnicum tantum efficiunt peccatum. vt v.g. aliquis praeparat arma, equum &c. ad occidendum inimicum, quamuis actum voluntatis interrumpat verbis, sono, & alijs, tamen vnus reputatur actus in genere moris, etiam si in genere naturae sint plures actus; vt dicit Nau. cap.6.num. 16. & in dicto cap. consideret. num. 46. ex Caiet. tom.1.opusc.17.q. 3 & proinde satis est exprimere principale peccatum, nempe homicidium. Sot.in 4.d.18.q.2.ar. 4. Dixi *Qui sunt via ad vnum peccatum*; nam si adiungantur actus qui non necessariò comitantur dictum actum peccandi vt via ad illum, sunt distinctè exprimendi in confessione; quia sunt distincta peccata; vt siquis dum furatur blasphemet &c. ita Cano supra. & Nau.cap.6.num.18. Quarto dico, quòd actus voluntatis interrupti per actum contrarium poenitentiae, sunt distinctè confitendi; quia sunt distincta peccata; actus enim priores non possunt coniungi cum posterioribus,quia fuerunt interrupti per actum contrarium. v. g. aliquis habet animum occidendi inimicum, postea dolet, & proponit non occidere, sed iterum deinde deliberat occidere, non est vnus actus, sed duo; & sic de alijs. si autem interrumperetur per non contrarium, sed per diuersum, vt somno, verbis &c. esset vnus actus. ita D.Tho.1.2.q. 20. ar.4. Nau. cap. consideret cit. num. 46. Ex his infertur primo, quòd quando aliquis vno impetu fertur in plures actus quorum vnus est in via, vel consequens ad alium, reputatur vnum peccatum. vt v.g. siquis percutiat clericum

ricum pluries vno impetu, vna reputatur percussio; Nau. cap. 6. num. 17. si tamen aliquis proferat plures iniurias distinctas contra alium, sunt plura peccata; vt si vocet furem, falsariũ, hæreticum, sunt tria peccata specie distincta; quia in genere moris differunt specie. Nau. ibid. cap. 18. similiter si maledicat toti familiæ, vel collegio, vel omnibus Apostolis, erit vnũ peccatum; quia moraliter hæc pro vna persona sumuntur. Si quis autem maledicat Petro, & eius familiæ, erunt duo peccata. Nau. supra. Secundo infertur, quòd siquis incidens in molliciem concupiscat virginem, viduam, nuptam, cognatã, & monialem, ista sunt quinq; peccata specie distincta, coniuncta cum mollicie. Nau. ibid. Tertio infertur, quòd iuuenis qui puellam persequitur turpi amore, & multos actus externos facit interpollatos, pluries peccat, Nau. ibidem.

Duodecimum dubium. An peccata quæ fiunt in ipso baptismo spectent ad integritatem confessionis, ita vt quis teneatur ea confiteri? Resp. primo, fictionem (quæ est indigna susceptio Sacramenti) pertinere ad Sacramentum pœnitentiæ. Secundo respondet Sot. in 4. d. 6. q. 1. ar. 8. quòd etiam sunt cõfitenda illa peccata per quæ irrogatur peculiaris iniuria Sacramento baptismi. Tertio, adderem quòd omnia illa peccata sunt materia confessionis quæ committerentur cum forma Sacramenti baptismi conficitur, ratio est; quia ista peccata videntur iam esse hominis baptizati; & potius sunt peccata commissa post baptismum, quàm ante. Confirmatur; quia ideo fictio pertinet ad claues, quia est peccatum hominis baptizati; ergo &c. & in hoc sensu explicato intelligo D. Tho. in 3. p. q. 69. ar. 10. ad 2. vbi dicit remitti per baptismum etiam peccata existentia in baptismo. Similiter August. l. de baptis. cap. 12. vbi dicit per baptismum solui non solum externum diem .i. peccata ante baptismum, sed etiam ipsam horam, & momentumq; istos ego expono de peccatis quæ sunt cum incipitur baptismus, & quæ remittuntur; non autem de illis quæ manent in vltimo instanti quo perficitur forma.

Decimumtertium dubium. Quid agendum quando pœnitens non videtur posse dicere numerum peccatorum. Resp. primo, si facta diligentia ad quam tenetur, non potest certum numerum exprimere, dicat plus minus, vt dictum est supra dub. 11. dicto, secundo circa secundam partem huius decimæ

condi-

conditionis; an sint aliqui casus in quibus liceat dimidiare confessionem; Nota, tria posse impedire integritatem confessionis: Primum est impedimentum naturale, quando .s. aliquis morbo correptus in articulo mortis non potest loqui. Secundum est mortale; quando .s. homo non potest confiteri peccata sine suo, vel alterius graui periculo, vel scandalo, vel non sine reuelatione complicis alterius. Tertium est legale; quando quis habet casus reseruatos superiori. Quoad primum sequitur

Decimumquartum dubium. An ægrotus qui integrè non potest confiteri propter impedimentum naturale, possit absolui. Resp. prima opinio dicit non esse necessariam integram confessionem, sed necessariò requiri vt aliquod particulare peccatum confiteatur saltem nutibus, vel signis, alioqui non debet absolui. ita Abulens. in 16. cap. Matth. q. 79. Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 5. Nau. cap. 26. num. 28. cap. 27. num. 268. Cano relect. de pœnit. fol. 149. & Ledesm. & probatur; quia si non esset materia, non posset applicari forma absolutionis. Secundo, quia confessio est actus iudicialis qui non potest exerceri non cognita causa, ergo oportet confiteri aliqua peccata. Tertio, quia illa signa pœnitentis sunt vniuersalia quæ quiuis sanctus, posset facere. Quarto, ex Trid. sess. 14. can. 9. si quis dixerit, confessionem pœnitentis non esse necessariam vt Sacerdos eũ absoluere possit, anathema sit. Secũda opinio est; quòd si homo in illo casu nullum particulare peccatũ confiteatur, si tamen ostenderet signa contritionis, vel habeat testes suæ contritionis, esset absoluendus. est opinio Anton. 3. p. tit. 10. cap. 2. Alens. l. 5. sum. tit. 16. D. Tho. opus. 63. cap. de extrema vnct. Angel. verb. confess. 4. §. 8. Driedonis l. de baptis. tit. 2. cap. 3. Medin. c. de confess. de absolutione ab oblitis. probant primo, ex Concilio Arausi. cap. 12. vbi dicitur quòd subitò obmutescẽs baptizari, & pœnitentiam accipere potest. & ex Concil. Carthag. 3. cap. 34. & habetur cap. ægrotantes. de consecr. & in Carthag. 4. & habetur 26. q. 6. & concordat can. agnouimus, ibid. Secundo, probatur ex ep. Leonis Papæ 89. ad Theodos. q. 2. vbi expressè dicit non esse negandam his, etiam si vocem omittant: & ex Sacerdotale Romano approbato à Leone X. vbi de visitatione infirmorum. & August. l. de adulter. coniug. cap. vlt. videtur dicere idem, nec baptismum, nec pœnitentiam

tiam his desperatis debere negari. Tertio, quia non videretur aliàs sufficienter prouisum in talibus casibus. Harum opinionum, prima speculatiuè est vera. Sed practicè exercerem secundam; quia cùm multi doctores id sentiant posse, s. licitè absolui, potest confessor tuta conscientia illis acquiescere; & magis fauet saluti animarum. Nec obstant in contrarium adducta. Ad primum enim resp. quòd adest materia illa quæ potest adesse; ipse nanq; se accusat peccatorem, & obligatum Deo. Ad secundum, confessarius in tali casu iudicat vt potest. Ad tertium, illa signa in tali casu sunt signa confitentis aliquo modo quo potest. & intelligitur hoc, quando confessarius fecit totam diligentiam vt aliquo modo colligat aliquod peccatum etiam minimum. & in hoc nemo dubitat. Ad quartum loquitur ibi contra hæreticos.

Decimumquintum dubium. An liceat dimidiare confessionem quando timeretur ex ea periculum vitæ propriæ, vel alterius, vel graue scandalum, vel infamia, vel occasio peccatorum. Resp. prima opinio, aliqui dicunt in eo casu esse omittendam confessionem; quia in illo casu perinde est ac si non haberet copiam confessarij, cùm integritas sit de iure diuino. hæc opinio tribuitur D. Thomæ, & Bonau. Secunda opinio est aliorum qui dicunt, tunc esse dimidiandam confessionem omittendo peccata, vel circunstantias, ex quibus imminet dictum periculum; est Caiet. verb. confessio. cond. 10. Sot. in 4. d. 18. q. 1. ar. 6. ad 4. Medin. c. de confess. q. de integritate non semper seruanda. Nau. cap. 7. num. 3. & cap. 8. num. 6. Sylu. verb. confessio. 1. q. 18. Pro solutione dico primo, non tenetur talis confiteri huiusmodi peccatum. probatur ex Bern. l. de præcep. & præceptorum dispens. quod ex charitate institutũ, est, non debet militare contra charitatem; sed confessio integra in tali casu esset contra charitatem; ergo &c. Secundo, lex diuina non destruit legem naturæ qualis est de non infamando, vel seruando vitam alterius; ergo in tali casu illa lex non obligat. Confirmatur; quia quando duæ obligationes simul concurrunt, & vtraq; seruare non potest, minor obligatio debet cedere maiori, sicut est in isto casu. ex qua regula soluuntur multi casus. Primus est, licere dimidiare confessionem quando timetur infamia, vel aliud damnum; & intelligo quando infamia, vel damnum est res notabilis: vt si sit

periculum

periculum erga se, vel erga confessorem, vel erga tertiam personam in honore, in fama, in pecunijs, aut in rebus spiritualibus. v.g. quando aliquis confitetur peccata sua, & existimās probabiliter quòd si dicat aliquod peccatum incidet in discrimen vitæ, potest dissimulare. Item mulier habet peccatum carnis, & timet probabiliter quòd confessor solicitabit illam si audiat tale peccatum, non debet dicere. Sylu. verb. confessio.1.§.10. Sot.in 4.d.18.q.2.ar.5. dicit tamen Sotus non esse notabilem infamiam quando nihil aliud sequetur nisi quòd sciet confessarius personam cum qua peccauit cum maxima infamia; an teneatur in isto casu confiteri. v.g. est aliquis qui habet confessorem notum sibi, habet peccatum incestus cum matre, si dicat hanc circunstantiam, infamabit matrem. Nau. cap.7.num.3. dicit quòd non debet confiteri hanc circunstantiam. Tamen contrarium est communius, & securius. ita Bonau.in 4.d.2. Gabr.in 4.d.17.q.1.ar.5. Sylu. verb. confessio.§.19.& Sot.supra.quia in confessione nō est infamia, sicut non se infamat qui dicit peccatum suum, ita neq; est vera infamia licèt dicat peccatum alterius; peccant tamen grauiter pœnitentes qui sine vlla necessitate reuelant peccatum alterius. Nota quòd potest confessor in casu necessitatis plures simul audire in confessione licèt vnus alterum audiat, & simul absoluere. Sylu.verb.confessor.1.§.22. Secundus casus est, quando Sacerdos aliquis confitetur sua peccata, & non potest integrè nisi sequatur reuelatio alicuius peccati auditi ab ipso in confessione, tunc non debet dicere illam circunstantiam, vel illud peccatum. & miror Sotum in hoc casu dubitasse in 4.d.18.q.4. ar.5. nostra sententia est cum Palud. Medin. fol.54.Nau. cap. 8. num.6. Tertius est, quòd potest aliquis, vel aliqua puella manifestare confessario illum à quo solicitatur & in confessione, & extra, ad petendum consilium, & remedium; quia hoc non est infamare. & qui solicitat sua culpa, hoc iure famæ se priuat. Dices primo, an in istis casibus quando confessio differri non potest, liceat dimidiare confessionem. Resp. primo, si confessio non est necessariò facienda, debet differri in aliud tempus, ne sine causa dimidietur; quia præceptum de integritate est maius. Secundo, si non potest differri, & confessio est necessariò facienda, tenetur pœnitens petere licentiam confiteudi alteri à proprio Sacerdote,

tui possit omnia dicere, si posset commodè fieri, & impetrari. Tertio, si hoc non potest, & non sit alius, & necessitas confitendi vrgeat, licet in hoc casu omittere illud peccatum, vel circunstantiam; quia integritas confessionis est de iure diuino positiuo. Sed vitare dicta pericula, & mala, est de iure naturali. intelligo autem necessitatem qua homo ratione praecepti Ecclesiae, vel diuini, tenetur confiteri; vel ratione communionis, quam sine scandalo non possit differre. Dico secundo, quòd siquis fecit diligentiam in inquisitione praecedentium peccatorum, & postea est oblitus tria, vel quatuor peccata, illa fuit vera confessio, & consequutus est remissionem omnium peccatorum confessorum, & non confessorum. Si tamen post confessionem recordatur peccatorum, tenetur confiteri, sed potest cum eodem, vel cum alio confessore. nec tenetur peccata praecedentia repetere, nec illo anno confiteri, sed potest differre vsq; ad sequentem annum si recordetur peccatorum post communionem; nam si nondum communicauit, tenetur confiteri antequam communicet. Sylu. verb. confessio. §. 3. Dico tertio, quando quis mutus est, & non potest omnia peccata explicare nutibus, tunc est absoluendus paucis significatis per nutum. Dico quarto, quando peccata mortalia aliàs sunt iam confessa, v. g. confitetur quis generaliter, non obligatur omnia dicere, etiam quorum non recordatur. Dices secundo, an liceat confessario interrogare pœnitentem de complice vt eum corrigat; Resp. affirmatiuè. Sylu. verb. confessio. 1. q. 24. & alij quos citat. ita tamen vt dicat extra confessionem, vel det licentiã loquendi de illis extra confessionem; non tamen debet ad id illum cogere. Anton. 2. p. tit. 2. cap. 2. ar. 5. §. 2. & 1. 1. unde patet quòd siquis in confessione cum bona intẽtione reuelet peccatũ alterius, non peccat; Anton. §. 11. cit. Imo etiam si imprudenter reuelet sine mala tamen intentione, non peccat mortaliter secundũ Caiet. 2. 2. q. 73. ar. 2. quòd siquis non potest reuelare alterius peccatum, tunc idem est iudicium ac de superiori casu.

Decimum sextum dubium. An propter casus reseruatos liceat dimidiare confessionem. Resp. & suppono primo, esse de fide superiores omnes, & praelatos posse licitè sibi reseruare casus in foro etiam interiori, vt definitum est in Concilio Trid. sess. 14. cap. 6. & 7. & can. 11. & docet. Sot. in 4. d. 18. q. 2.

ar. 5. Nau. cap. 27. num. 164. confirmatur ex Bonifacio viij. cap. si quis Episcopus. in 6. de pœnit. & remiss. & in extrauag. inter cunctas. de priuil. Secundo, ex vsu antiquissimo Ecclesiæ. 33. q. 2. Tertio, ex Cyprian. l. 3. epist. ep. 17. vbi dicit, lapsos reconciliandos ab Episcopo in casu necessitatis. Quarto, quamuis summus Pontifex non soleat sibi peccata quæ habent annexas censuras reseruare, vt notat Anton. 3. p. tit. 17. cap. 11. Caiet. & Armill. verb. casus. & Nau. supra. tamē est in vsu vt inferiores prælati sibi grauiora peccata reseruēt prout vnicuique videtur expedire de iure cōmuni. qui sint reseruati, videndus est Nau. cap. 17. num. 262. Quinto, quia iurisditio datur Sacerdotibus ab Ecclesia; & conueniens est ad bonum regimen non dari vniuersaliter omnibus; ergo non est causa quare non possit Ecclesia reseruare sibi casus. Vtilitas esse potest, vt grauitas aliquorum peccatorum innotescat, vt illis aptior medicina à superiore accommodetur, & adhibeatur. Secundo, suppono peccata purè mentalia posse reseruari. neq; inferiores Sacerdotes posse illa absoluere sine iurisditione superioris, qui potest illis auferre iurisditionem. nec ob id Ecclesia exercet iurisditionem in actus internos, sed aufert iurisditionem suis subditis quam dederat. Sot. supra, & Ledes. tutius autem est hoc non seruare, vt docet Sot. ibid. & Maior. in 4. d. 17. q. 5. Papæ autem nullus casus est reseruatus culpæ tantum interioris, quia non reseruat peccata nisi ratione censuræ, vt dixi. Hæc autē pro culpa purè mentali non incurritur, vt docet Caiet. verb. hæresis. & alij. Tertio, suppono quòd nemo potest absoluere à peccato reseruato sine facultate superioris: quòd si alter absoluere tentet, nihil faciet; vt statuit Concilium Trid. supra cit. & est cōmunis sententia doctorum. In articulo autem mortis omnes possunt ab omnibus casibus quoscunq; absoluere; vt habetur in Concilio Trid. supra. cap. 7. intellige tamen cum non est proprij confessoris copia; vt infra dicemus. Quarto, cum aliquis absolutus est semel à superiore à peccatis reseruatis, potest si iterum confiteatur ab inferiori, vt notat Caiet. verb. casus reseruati. Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 5. & est in vsu. quod verum est etiam si aliquis per confessionem informem. i. sine contritione fuerit absolutus. Caiet. verb. casus. Sylu. verb. confessio. 1. q. 19. Palud. in 4. d. 18. q. 5. ar. 3. concl. 4. quia iam iudicatum est à superiore; ergo

non est

non est amplius reseruatum. Quinto, suppono quòd siquis legitimè confessus cum superiore, obli tus sit alicuius peccati reseruati à quo ille poterat absoluere, potest à quocunque cõfessario proprio ab illo absolui; Nau.cap.26.num.13.& in cap. consideret.§.cautus. num. 30. de pœnit.q.5. Adrian.in 4. q.4. de confess.Gabr.d.17.q.1.ar.1.dub.2.Sylu.confessio.1.q.19.similiter qui habet peccatum cui annexa est censura; sublata censura potest absolui per suum parochum. Caiet. verb. casus. Nau.cap.27.nu.261.Nunc ad dubium propositum Resp. quòd ratione casus reseruati potest dimidiari confessio, & absolutio; vt scilicet aliquis confiteatur reseruata superiori, & ab his absoluatur, reliqua verò inferiori; vt vult Petrus Sot.lect.10.de confess. Sylu. verb. confessio.1.q.19. tribuitur etiam Gersoni, & eam Maior putat probabilem in 5. dist. 17.q.5. Vel potest fieri sic: vt inferior audiat omnia, & absoluat à quibus potest, & pro alijs mittat ad superiorem.D.Tho.in 4.dist.17.q.3.q.2. ad 4.Sylu.supra.Nau.cap.consideret.§.cautus.num.13.de pœniten.dist.5.c.de confess.q.de confess.casuum reseru.intellige, tamen dummodo pœnitens non sit excommunicatus excommunicatione reseruata; quia non potest absolui à peccatis antequam absoluatur ab excommunicatione. Si autem priùs accedat pœnitens ad superiorem, is audiat reseruatos, & ab illis absoluat; pro alijs autem mittere potest ad inferiorem, vt ait Palud.in 4.d.18.q.5.art.3.concl.4.Caiet.verb.confessio. cond.19. si autem inferior in hoc casu audiat omnia, sine tantum ea à quibus debet absoluere, nihil refert, vt dictum est; quia est confessio integra virtualiter, vt ait Capreol. nec diuisa est nisi per accidens; vt ait Caiet. supra. & fateri oportet ex duabus dictis confessionibus, & absolutionibus, fieri vnum Sacramentum, nam in prima confessione confertur gratia, in secunda augetur. & quamuis per priorem confessionem remittantur peccata nondum confessa consecutiuè, & indirectè, manet tamen obligatio adhuc confitendi, vt perficiatur Sacramentum, & integra fiat confessio; quæ per accidens duplex fuit, voluntate tamen & intentione, talis integrè confessus est; vt ait Petrus Sot.supra. & hic est vsus Curiæ Romanæ. Quare quocunque ex dictis modis fiat, est tutus pœnitens, & confessor, certum autem est quòd tutior esset, si superior omnia audiret, & absolueret, vt tenet Dur.in 4.d.17.q.5. Adrian.

supra. Bonau. d. 21. par. 2. art. 11. Gratiam verò (vt supra dixi) consequitur quando absoluitur à Prælato, & remissionem peccatorum & rursus quando absoluitur ab inferiore; quia hac lege fuit absolutus; vt post absolutionem adiret confessorem cui fieri debeat integra confessio. Dices; an prælati pro libito possint reseruare sibi casus? Resp. quòd peccarent si indiscretè id facerent, vt docet Concilium Trid. sess. 14. cap. 7. & can. 11. casus verò quos sibi reseruant Episcopi, habentur pro varietate diœcesis. Qui verò casus sint reseruati de iure communi, videndus est Nauar. (vt dixi) cap. 17. num. 262. Sequitur

11 vndecima confessionis conditio. Sit *Secreta* confessio. Nota quòd sicut esset hæreticum dicere confessionem debere esse publicam; ita temerarium est dicere de essentia confessionis esse vt sit secreta. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. Nau. cap. 21. num. 36. & patet ex Trid. sess. 14. cap. 5. Nihilominus tamen conuenientissimum est, vt sit secreta, & auricularis confessio, ita vt sola confessio secreta sit in præcepto. Idque etiam si facienda sit confessio de peccatis publicis; vt notat Nau. in cap. fratres. de pœnit. d. 5. num. 91. & statuit Trid. supra. Hinc infertur quòd nemo tenetur per nuncium seu per epistolam absenti confiteri, quia sic non esset secreta confessio, vt patet ex Trid. supra cit. & Cathechismo Romano; & docet Caiet. verb. confessio. cond. 11. Victor. q. 171. Circa hanc conditionem sunt quædam dubia. quare sit

Decimumseptimum dubium. An sit Sacramentalis confessio quæ fit per nuncium, vel per epistolam absenti Sacerdoti. Resp. prima opinio affirmat esse licitam, & Sacramentalem, Palud. in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. Adrian. q. 1. & 4. de confess. Sylu. verb. confessio. 1. q. 15. Nauar. cap. 21. num. 36. Medin. cap. de confess. q. de modo secretæ confessionis. Petr. Sot. lect. 11. probant. quia absolutio est quædam sententia, hæc autem potest fieri in scriptis; ergo &c. Secunda opinio est opposita; dicit non esse Sacramentalem, & ita decreuit Clemens VIII. Vnde hæc secunda est vera, & tenenda. est Scot. in 4. d. 17. q. vnica. Gabr. d. 16. q. 1. art. 2. concl. 3. Caiet. verb. confessio. cond. 11. & tract. de matrim. q. 1. Victor. q. 171. Cano relect. de confess. fol. 129. Dominicus Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 6. ad 2. Cathechis. Rom. Probatur primo, quia forma absolutionis, *Ego te absoluo*, significat præsentiam ministri, & pœnitentis, ergo &c. confirmatur; quia

quia etiam in Eucharistia materia debet esse præsens; quia dicitur *Hoc est &c.* sic & in hoc Sacramento. Secundo, quia Sacerdos non potest esse certus de statu pœnitentis absentis, & sic non potest absoluere. Tertio, quando operatur illa absolutio, quando dicitur, an quando fertur per nuncios? si primum, sequuntur multa inconuenientia. Si secundum; tunc magis nuncius absolueret, quàm Sacerdos. hinc patet quòd peccat qui confitetur absenti quando habet confessorem præsentem.

Decimumoctauum dubium. An liceat confiteri per nutum. Resp. peccant mortaliter qui confitentur per nutum quando possunt confiteri per vocem. D. Tho. quodl. 1. art. 10. Nau. cap. 21. num. 36. Idem concedit Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 2. si sit cum contemptu, vel sint peccata implicita, vt vsura. probatur ex D. Tho. 3. p. in addit. q. 7. art. 3. quia confessio est manifestatio, hæc autem inter homines fit per verba quando possumus; ergo &c. & sine dubio est præceptum Ecclesiasticum, quod quamuis nullibi inueniatur expressum, tamen consuetudine sic fit. putat tamen Canus fol. 131. cum infirmis, & cum puellis ex maxima verecundia in hoc casu esse dispensandum. Dices, an teneatur confiteri per nutum qui non potest voce. Resp. teneri; nam talis potest hoc modo implere præceptum; ergo tenetur. D. Tho. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. q. 3. ad 2. Gabr. d. 16. q. 1. concl. 3. Nau. cap. fratres. de pœnit. d. 5. num. 86. & 90. Victor. q. 173. Caiet. verb. confessio. cond. 11.

Decimumnonum dubium. An teneatur quis per interpretem, aut per scripturam confiteri præsenti Sacerdoti, cum non potest voce. Resp. prima opinio dicit non teneri, quia talis confessio non est omnino secreta; tum quia per interpretem fit, tum etiam quia per scripturam. Ita Caiet. verb. confessio, cond. 11. Ledes. 2. 4. q. 8. dub. 3. Victor. q. 173. Secunda opinio est tutior: quæ dicit teneri; quia moraliter talis confessio est secreta; alioquin nec ea quæ fit voce esset secreta; quia voces sua natura sunt patentes; ita Sylu. confessio. 1. q. 15. Cano in relect. de confess. fol. 116. Hoc autem intelligendum est, vt non tradatur scriptura Sacerdoti vt legat, pœnitente nihil affirmante voce, vel nutu; sed ita vt pœnitens siue nutu, siue aliter, significet Sacerdoti se illa peccata commisisse. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. ad 2. hoc autem debet fieri ex causa; nam sine necessitate non licet; vt docet Petrus Sot. lect. 11. & colligitur ex D.

Tho.

Tho.quodl.1.art.11.Victor.q.173. Ad adiuuandam verò memoriam licet cuique in confessione vti scriptura. Caiet. verb. confessio.cond.11.Palud.in 4.d.17.q.2.

Vigesimum dubium. An teneatur quis per interpretem confiteri. Resp. quod nemo tenetur per interpretem confiteri. Caiet. verb. confessio. cond. 11. Nauar. cap. 2. num. 8. Ledes. 2. 4. q. 8. art. 3. dub. 2. Probatur quia ad confessionem non secretam nullum præceptum obligat. vt patet ex Trid. sess. 14. can. 5. Secundo, quia nemo tenetur confiteri nisi proprio Sacerdoti. cap. omnis vtriusque sexus. de pœnit. quod autem dicit. D. Tho. in 4. d. 17. q. 2. art. 4. q. 3. ad 2. debere sic confiteri, intelligitur de debito honestatis, vt notat Adrian. & intellige id verum esse etiam in articulo mortis, nedum in paschate. quare in hoc non placet sententia Cani qui excipit articulum mortis, ne pereat anima, cùm sit periculum quòd non habeat contritionem. Eò magis tenetur tunc per interpretem confiteri, quia salus animæ est præferenda famæ, quæ in hoc exiguam iacturam faceret, cùm interpres teneatur ad sigillum. & hoc videtur velle D. Tho. & Cano. ex hoc infertur primo, peccare mortaliter Sacerdotem qui audit multos pœnitentes doli capaces; quia fit iniuria Sacramento, & præiudicium ipsis pœnitentibus. Nauar. cap. 8. num. 33. Angel. verb. confessio. 1. §. 29. quod fallit si imm neret periculum mortis, ita vt vnum post alium confessor audire non posset. Angel. ibid. Sylu. verb. confessio. 1. q. 20. Maior. in 4. d. 17. q. 1. Si verò plures idem confiterentur simul, & confessarius intelligeret peccata eorum, omnes essent absoluti, si omnes vnica absolutione absolueret. Maior. supra. Secundo infertur, Sacerdotes peccare si plures quàm vnum audiant, nisi fortè de consensu pœnitentis. Angel. & Sylu. supra. Palud. in 4. d. 17. q. 1. Adrian. q. 1. de confess. An verò licitum sit pœnitenti pluribus confiteri ex dicta causa. Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 6. ait esse licitum, non tamen necessarium. Maior. in 4. d. 17. q. 1. dicit id nunquam expedire. Gabr. dicit non licere. Scot. in 4. d. 17. q. vnica, dicit talem confessionem
12 non fore Sacramentalem. Sequitur conditio, sit *Lacrymabilis* confessio: idest contrita. qualis autem, & quantus debeat esse dolor, dictum est supra tract. 6. dub. 8. & sequent. An verò
13 rò satis sit attritio cognita contritio, dicam infra. Sit *Accelerata*, idest post commissum peccatum mortale non differa-

tur

tur in crastinum, si adsit commoditas confitendi. quod est consilij, non præcepti. Imo nec propositum confitendi de peccato statim facto, est de præcepto, quia præceptum contritionis cùm sit affirmatiuum, obligat pro loco, & tempore. Caiet. verb. confess. cond. 13. *Sit fortis*, idest superans timorem retrahentem à confitendo, & explicandis peccatis. quod intelligendum est, siue per se, siue interrogatus à confessore, dummodo habeat animum omnia confitendi. si autem habeat animum non confitendi nisi interrogatus, peccat mortaliter, & hoc ipso ipsum sacrilegium debet confiteri. & si confessor id cognouerit, debet instigare vt confiteatur. Sylu. verb. confessio. q. 17. Nau. cap. 10. num. 6. & cap. 21. num. 29. & in cap. fratres. cit. num. 102. Caiet. verb. confessio. cond. 14. conditio 14
15. est *Accusans*. i. sibi ipsi imputet peccata, non cœlo, nô Diabolo, non mundo, non carni, non complexioni, &c. Caiet. verb. confessio. cond. 15. vel saltem non æquè, vel ita principaliter sicut seipsum accusat. Nau. cap. 2. num. 8. & cap. fratres. cit. nu. 15
103. Similiter accusans se, non excusans; nam circunstantias valde aggrauantes debet explicare; minuentes tacere. vltima conditio est, vt sit *parere parata*. i. pœnitens sit paratus ad satisfactionem debitam arbitrio confessarij. i. sit pœnitens obe diens cum accedit, ac habeat propositum faciendi quicquid ei fuerit à confessario iniunctum quoad remedia peccatorum acceptanda, quoad fugiendam occasionem peccati, quoad restitutionem exhibendam. non quòd debeat habere hoc propositum formale, sed virtuale. debet etiam habere simile propositum acceptandi pœnitentiam iniunctam, nam tenetur sub peccato mortali: ita Palud. & est conclusio Trid. sess. 14. vbi habet confessarium esse iudicem in foro interiori, sed reus tenetur stare sententiæ iudicis. Si quis autem iam satisfecisset, satis est vt habeat animum paratum ad satisfaciendum si debeat. Caiet. verb. confessio. cond. 16. An verò pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam à confessario iniunctam? ratio dubitandi est, quia ex vna parte confessarius est iudex, ex alia, potest etiam esse indiscretus. Resp. pro nunc, teneri pœnitentem acceptare pœnitentiam discretam. An verò possit absolui qui nullam vult facere pœnitentiam? infra dicemus, tract. 8. de satisf. dub. 10. 16

De

De effectibus confessionis, & ipsius defectibus. Cap. IIII.



Primum dubium. Qui sunt effectus confessionis. Resp. effectus confessionis sunt ijdem cum effectibus pœnitentiæ, vt dixi supra tract. 5. dub. 8. cùm enim confessio sit pars Sacramenti pœnitentiæ, eosdem habet effectus. Dicam breuiter singulos. Sed notaquòd confessio potest dupliciter considerari, vel vt est actus virtutis, vel vt est pars Sacramenti. Dico primo, confessio quatenus est pars Sacramenti, est partialis causa instrumentalis gratiæ per quam remittitur actuale peccatum commissum post baptismum; quia est materia Sacramenti pœnitentiæ, cui applicatur forma absolutionis, sicut aquæ forma baptismi. D. Tho. 3. p. q. 86. ar. 8. Sot. in 4. d. 18. q. 3. ar. 1. Secundo dico, per confessionem in voto quæ includitur in contritione, semper remittitur peccatum sicut per baptismum in voto; quia apud Deum voluntas pro facto reputatur. Tertio dico, per confessionem in re accedente absolutione, contrito augetur gratia, attrito verò confertur prima gratia, vt fit per baptismum. hoc certum est apud omnes, & est prima gratia .i. iustificatio. Quarto dico, quòd Sacerdos (siue gratia augeatur, siue prima conferatur) verè absoluit; nam alioqui forma absolutionis esset falsa cum dicit, *Ego te absoluo.* Sot. in 4. d. 14. q. 1. ar. 3. intellige instrumentaliter per Sacramentum; vt supra dixi. Quinto dico, quòd confessio cum absolutione non solùm à culpa liberat, sed etiam à pœna tam æterna, quàm temporali; nam pœna æterna remittitur simul cum culpa. temporalis verò quæ erat soluenda in purgatorio, partim remittitur per contritionem, & confessionem per modum meriti, partim in virtute clauium ex opere operato. Imo tam parua esse potest, vt tota remittatur. Sot. d. 15. q. 3. ar. 1. concl. 5. Dico sexto, per Sacramentum pœnitentiæ aperitur ianua paradisi sicut per baptismum, & datur spes salutis; quia aufertur peccatum quod

est

est obstaculum introitus cœli. spes autem salutis est in Christo cuius clauibus homo se subijcit per confessionem. Sot. sup. D. Tho. 3. p. q. 10. addit.

Secundum dubium. An confessio possit esse informis. Resp. dupliciter confessio dicitur informis; vel quia caret forma Sacramenti; vel quia caret effectu Sacramenti .i. gratia. hic non quæritur de prima; nam certum est posse esse, vt si quis non absoluatur. Sed quæstio est, an possit esse informis secundo modo. Prima sententia est eorum qui negant. Gabr. in 4. d. 17. q. 1. ar. 3. dub 2. Medin. c. de confess. fol. 71. Adrian. q. 5. dub. 5. hi dicunt non dari confessionem informem. Secunda sententia affirmat. est D. Tho. in addit. q. 1. Alens. q. 77. m. 6. ar. 7. Riccard. in 4. d. 17. ar. 2. q. 8. ad. 5. Caiet. q. 5. de confess. Sot. d. 18. q. 3. ar. 2. & alij, qui dicunt posse dari confessionem veram sine gratia. quare dico primo, quòd confessio quatenus est actus virtutis pœnitentiæ, non potest esse informis, quia nullus actus est simpliciter actus virtutis, nisi Deo sit acceptus, & ex charitate procedat. ita D. Tho. & alij supra citati. Secundo dico: confessio quatenus est pars Sacramenti potest quantum ad substantiam esse vera confessio, & valida; quæ tamen sit informis, & sine gratia; vt tenet secunda sententia. probatur; quia alias homo semper esset dubius an impleuerit præceptum confessionis; & sic omnes conscientiæ essent turbatissimæ; quia cùm simus semper incerti an receperimus gratiam, ergo nec possumus scire an Sacramentum fuerit validum. Dices, quando confessio erit informis, & valida? Resp. esse informem, & validam, primo ex parte doloris, quando esset ex viribus solis naturæ, & non aduerteretur. Secundo, ex parte propositi, quando putaret se habere firmum propositum non peccandi, putans se esse benè dispositum, & tamen non habet illum firmum propositum; hic faceret validã confessionem, nec gratiam consequeretur. Dixi putans se dispositum, quia si sciret sine dispositione petere absolutionem, peccaret; & sic nullum esset Sacramentum, siue confiteatur hoc peccatum, siue non. Tertio, ex ignorantia non crassa, tamen aliquo modo culpabili, quæ non facit Sacramentum inualidum, licèt non sufficiens ad gratiam. Quarto, ex negligentia in examine, quæ quamuis non fuerit crassa, tamen est aliquo modo culpabilis.

Tertium dubium. An confessio informis valida sortiatur effectum recedente fictione. Resp. prima sententia negat. Adrian. Gabr. Medin. supra citat. & Sot. in 4.d.18.q.3.ar.3. ad 4. Secunda sententia est D.Tho. in addit.q.9.ar.1. Capreol. Palud. & aliorum, probatur primo, quia talis confessio est valida; ergo sublato impedimento sortitur effectum suum. Secundo, quia recedente fictione cùm habeat contritionem, hic iustificatur, & non per claues sequentes, quia non tenetur amplius confiteri; ergo per præcedentes sicut in baptismo. Tertio, quia est Sacramentum necessitatis. & hæc est vera sententia, & tenenda. Dices, an reliqua omnia Sacramenta recedente fictione sortiantur istum effectum. D.Tho. supra cit. affirmat. idem Caiet.q.5. de confess. Sot. verò tantum id tribuit baptismo, non alijs. Inter has extremas, est media opinio; quòd conuenit Sacramentis imprimentibus characterem, & præterea pœnitentiæ. alia Sacramenta non habent hunc effectum, & hoc priuilegium. ita D. Tho. in 4.q.3.d.4.ar.2.q.3. ad 3. ita Palud.d.4.q.5. Sylu.verb. baptismus.3.q.13. Si petas, quare hæc Sacramenta habeant hoc, & alia non habeant; Respondent, quia ex quo recipiunt characterem, virtute characteris habent hoc priuilegium. Hæc responsio non placet; quia character nihil habet commune cum gratia. melius est vt recurramus ad institutionem Christi; quia cùm ista Sacramenta imprimentia characterem non possint iterari, opus est vt aliquando habeant effectum si non in principio habuerunt, alioqui nunquam fortirentur effectum. Idem dicendum est de alijs Sacramentis quæ non reiterantur; vt de confirmatione, & ordine. nam aliàs fictè suscipiens nunquam fructum Sacramentorum susciperet. Videtur idem probabiliter de extrema vnctione, & matrimonio; quia in eadem causa non reiterantur. In Eucharistia autem oppositum dico; quia hoc reiteratur, & non est necessarium Sacramentum. D.Tho supra. & Sylu.verb.confessio.1.q.13.

Quartum dubium. An per confessionem informem satisfiat præcepto Eucharistiæ. Resp. Sylu.verb.confessio.1.q.7. negat; quia tenet confessionem factam ob malum finem esse repetendam. Idem Adrian.q.5. de confess. quia tenet nullum præceptum impleri posse per actum malum. Medin. etiam c. de confess. siue contritione cordis facta, tenet quòd qui confitetur

sine

sine dolore non satisfacit præcepto Eucharistiæ, etiam si faciat integram confessioné, quãuis euitet pœnam Ecclesiæ. Oppositum tenet Sot. in 4. d. 18. q. 4. ar. 3. videlicet quòd per confessionem informem potest satisfieri præcepto si sit valida. Pro solutione dico primo, vniuersaliter falsum est, quòd per actum moraliter malum non possit impleri præceptum; quia per præceptum eleemosynæ, & restitutionis homo obligatur dare alteri quod debet, & is satisfacit etiam si det in peccato, ita vt tollatur obligatio; ergo decipitur Adrianus, quem rectè confutant Medin. & Sot. supra. Secundo dico, quòd per confessionem informem sed validam potest satisfieri præcepto diuino, & Ecclesiastico. 1. quia qui illam sic facit, non tenetur iterare. 2. quia suscipit verè Sacramentum. 3. patet ex alijs Sacramentis, & præceptis quæ sic adimpleri possunt; ergo &c. Tertio dico, per confessionem informem quæ simul sit irrita, & nulla, nec diuino, nec humano iure satisfieri potest. non diuino, vt omnes fatentur. non humano, quia Ecclesia præcipit confessionem qua disponatur ad Eucharistiam, & quæ sit Sacramentum. præterea; quia Ecclesia in eo præcepto determinat tantum ius diuinum quoad tempus. ergo si de iure diuino requiritur vera confessio, etiam requiritur de iure humano. Sot. supra. ar. 3. concl. 6. Quarto dico, quòd confessio facta ob indebitum finem venialiter, non est inualida; nec irrita, quia peccatum veniale non reddit inualidam confessionem. est contra Sylu. vide Sot. ar. 3. cit. ad 3. Dices, Alexander iij. in cap. quod quidam. de pœnit. & remiss. in 6. concedit suscipiendas esse illorum confessiones qui dicunt nõ posse abstinere à peccatis, ergo &c. Resp. non dicit illos recipere Sacramentum, neq; esse absoluendos, sed solum vt audiantur, & disponantur.

Quintum dubium. An confessio sit aliquando inualida ob defectum doloris. Resp. confessio facta sine vllo dolore peccati, non solum est informis, sed etiam inualida, & irrita. ita Dur. in 4. d. 17. q. 3. Palud. q. 7. Capr. d. ead. q. 2. Caiet. tom. 1. q. 5. de confess. Sot. d. 18. q. 3. ar. 3. Cano relect. de pœnit. & probatur; quia aliàs non esset actus pœnitentiæ, neq; pars Sacramenti si non detineret detestationem peccati. Secundo dico, quòd vt confessio sit valida non semper requiritur tantus dolor peccatorum quantus satis est ad obtinendum effectum

ctum Sacramenti. D. Tho. 3. p. in addit. q. 9. ar. 1. Palud. in 4. d. 17. q. 9. Nau. cap. fratres. de pœnit. num. 36. & cap. 9. num. 13. probatur; quia sine tanto dolore saluatur essentia Sacramenti. Item, quia vt alia Sacramenta sint valida, non requiritur tanta dispositio in suscipiente quæ satis sit ad gratiam; vt patet in matrimonio, extrema vnctione, &c. præterea, quia aliàs nemo sciret se esse benè confessum. postremò, quia aliàs non daretur confessio informis, de qua dictum est supra, dub. 2. Tertio dico, quòd quicunq; dolor præteritorum peccatorum qui voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, & desiderio iustitiæ obtinendæ in hoc Sacramento, satis est vt confessio sit valida. patet ex Trid. sess. 14. cap. 4. & docet D. Tho. ar. 1. supra. Palud. & Nau. supra. & infertur ex dictis. Quarto dico, infertur ex his, quòd ad accedendum dignè ad hoc Sacramentum non requiritur contritio, vel attritio putata contritio, vt voluit Sot. supra, & Bonau. d. 17. 2. p. ar. vlt. q. 4. sed satis est attritio putata attritio, seu cognita, & scita. probatur tamen ex dictis: tum quia vel requiritur ex Christi institutione contritio vera, vel non; si vera, ergo non est satis contritio putata. si non requiritur vera, sed satis est attritio, ergo quamuis sciam esse attritionem, possum dignè accedere. Adde quòd Sacramenta non sunt ita instituta vt pendeât ex nostra opinione; alioquin qui essent obtusi ingenij, non facilè iustificarentur. & contra; concubinarius qui esset benè dispositus, si putaret se esse contritum, iustificaretur. postremò, quia opinio mea non facit veram, vel falsam dispositionem ne peccem; ergo attritio tantum sufficit. ex dictis sequitur dari posse confessionem informem, & validam; vt in 2. dubio dictum est.

Sextum dubium. An vt confessio sit valida requiratur absolutum, & determinatum propositum non peccandi; an satis sit conditionatum, & imperfectum. Resp. prima sententia dicit satis esse propositum conditionatum quam vocant velleitatem. ita Sylu. verb. confessio. 1. q. 22. Victor. q. 158. Palud. d. 17. q. 8. Cano q. 5. de pœnit. Sot. d. 18. q. 3. ar. 3. Couar. in cap. alma mater. 1. p. §. 4. num. 13. Ledes. 2. p. q. 8. ar. 1. dub. 4. concl. 9. Secunda sententia est, quòd omnino sit inualida; Caiet. verb. confessio. cap. 2. de reiter. confess. Petr. Sot. lect. 8. de confess. Nau. cap. 9. num. 10. & 13. & hæc opinio est vera,

& omnino

& omnino tenenda. probatur primo, ex communi sententia fidelium; omnes enim boni confessarij cogunt tales pœnitentes reiterare tales confessiones sic factas. Secundo, ex Concilio Flor. vbi materia pœnitentiæ ponitur actus pœnitentis, qui sunt contritio, (quæ habet duas partes, dolorem de præterito, & propositum de futuro) & confessio; ergo sicut integritas confessionis pertinet ad materiam Sacramenti, ita propositum absolutum necessarium est. Tertio, quia qui habet talem velleitatem, non est verè pęnitens, neq; verè contritus; quia non habet animum abstinendi. confirmatur ex cap. quod quidem. de pęnit. & remiss. vbi dicitur quòd non est vera pęnitentia quando quis dicit se non posse abstinere à peccato. Nota tamen quòd hoc propositum non debet esse ita absolutum, vt etiam sit firmum, & efficax; sed satis est vt sit absolutum, licèt sit imperfectum, vt cum peccato stare possit, saltem interueniente ignorantia quamuis culpabili. Nota etiam quod ait Cano; aliud esse propositum pœnitentis absolutum non peccandi in posterum, aliud persuasionem quòd in posterum non peccabit; cùm illud sit voluntatis determinatio, hæc verò existimatio intellectus, quare propositũ est necessariũ ad validitatem cõfessionis, vt dixi; sed persuasio illa nec etiam ad gratiã cõsequendã est necessaria. Nau. cap. 9. nu. 18. Victor. q. 197.

Septimum dubium. An qui ritè semel peccata confessus est, possit obligari ab aliquo superiore vt iterũ confiteatur. Resp. nec etiam Papa potest ad id quempiã obligare. D. Tho. quodl. 1. ar. 12. Palud. in 4. d. 19. q. 5. & ibid. Maior. Adrian. q. 5. de confess. Angel. verb. confessio. 1. §. 8. Sylu. ead. q. 3. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. Tab. confessio. 2. q. 12. Nau. cap. 9. num. 1. & in cap. placuit. de pęnit. d. 6. num. 112. & alibi. Dices, an qui habet casus reseruatos si confiteatur inferiori omnia sua peccata, videatur satisfecisse præcepto; si præsertim non habeat facultatem adeundi superiorem. Resp. non satisfacere præcepto, quia non potest confiteri; tamen excusatur à peccato. Dices secundo, quando confessarius non vult aliquem absoluere, an videatur ille satisfecisse præcepto? Resp. si culpa pęnitentis Sacerdos non vult absoluere, tenetur pęnitens auferre culpam. si culpa est Sacerdotis, neq; satisfecit. si culpa est neutrius, sed ex legitima aliqua causa factum est, tunc tenetur pęnitens redire ad eundem confessarium.

Octauum

Octauum dubium: Quibus casibus confessio sit reiteranda? Resp. ex sequentibus sex capitibus oriuntur obligationes repetêdi cõfessionẽ. 1. ex parte pœnitẽtis. 2. ex parte confessoris. 3. ex parte cõfessionis. 4. ex parte absolutionis. 5. ex parte contritionis. 6. ex parte satisfactionis. Quoad primũ ex parte pœnitentis. Dico primo, quando pœnitens est excommunicatus siue maiori, siue minori excommunicatione, & antequã absoluatur ab excommunicatione fuerit absolutus à peccatis, peccat, confessio est nulla, & propterea est iteranda. Vnde generaliter est obseruandum à confessore, vt prius auferat excommunicationem si potest; si non potest, non absoluat. alias nihil valet confessio. ita D. Tho. in 4. 18. q. 1. ar. 5. q. 1. ad 2. & Palud. in 4. d. 17. q. 5. Sot. d. 18. q. 3. ar. 3. Sylu. verb. confessio. 1. §. 6. Armill. verb. absolutio. §. Tab. absolutio. 1. §. 10. Contrarium tenet Caiet. verb. absolutio. & verb. confessio. cap. 2. & Nau. cap. 9. num. 3. & 5. hi dicunt, quòd licèt aliquis accedat ad confessionem excommunicatus, peccat mortaliter, sed non tenetur repetere confessionem. si nesciebat excommunicationem, non peccauit accipiendo absolutionem, tamen postquã sciuit se esse excommunicatum; & peccauit, & tenetur repetere. Modo videtur hoc esse limitandum, & procedendum cum distinctione: Qui est excommunicatus si habet ignorantiam inuincibilem, seu probabilem iuris vel facti, puta, nesciebat se esse excommunicatum, vel nesciebat excommunicatum non posse absolui, tunc qui habet hanc ignorantiam, verè consequitur remissionem peccati, & sumit verum Sacramentum: ita Adrian. q. 2. de confess. Palud. in 4. d. 18. q. 4. Ledesm. 2. 4. q. 23. ar. 1. Secunda causa est, quia Ecclesia habet hanc intentionem, vt qui ignorantiam habet excommunicationis probabilem, non priuetur Sacramentis: probatur ex cap. Apostolicæ. de clerico excom. &c. vbi aliqui excommunicati celebrauerant, dicit Pontifex, si fecerunt ex ignorantia, non tenentur vlla pœna. si autem ex ignorantia crassa, obligantur. Dico secundo, si sciebat excommunicationem, aut ignorantia erat crassa, tunc credo quòd non valet absolutio, & est repetenda confessio. Nota, si excommunicatus, excommunicatione reseruata confitetur confessario habenti autoritatem illum absoluẽdi, quãuis tunc nõ recordetur, potest tñ alteri cõfiteri, & absolui; quamuis non habeat autoritatem ordinariam,

aut

aut delegatam extra articulum mortis. Quoad secundum ex parte confessoris statuit Concilium Trid. sess. 23. cap. 15. nequis possit audire confessiones nisi approbatus ab Episcopo. quando igitur illi deest potestas iurisditionis, est nulla confessio; vt patet ex Trid. sess. 14. cap. 2. Secundo, quando est excommunicatus excommunicatione maiore, quia est publicus percussor clerici, vel nominatim denunciatus, excommunicatus, tunc confessio est nulla. non enim licet accipere Sacramentum ab excommunicato nisi in articulo mortis, in casu necessitatis. tenemur enim illos euitare; & priuantur potestate iurisditionis. Nau. cap. 9. num. 7. & 8. Armill. verb. absolutio. §. 30. Tertio, quando Sacerdoti deest vera intentio ministrandi Sacramenti, quod est de essentia Sacramenti; ex Concilio Trid. sess. 7. cap. 11. & ex Flor. Quarto, quando Sacerdos est ignarus vt nesciat discernere conscientiam pœnitẽtis; & sic conscientia consideranda est respectu pœnitentis. potest enim fieri vt confessor sit sufficiens pro vno, & non pro alio; puta mercator non debet absolui nisi ab homine docto, & perito, qui sciat conscientiam ipsius determinare. aut confessor est ita imperitus, vt nesciat discernere inter mortalia, & venialia. nisi tamen pœnitens sit ita doctus, & timoratus, vt possit supplere. Caiet. verb. confessio. cap. 3. Nau. cap. 9. nu. 12. Aut si dormit, & non audit peccata, vel mente vagatur, est repetenda confessio. Sylu. confessio. 1. q. 3. §. 3. & intelligitur de peccato mortali. Quoad tertium, ex parte confessionis, quando non fuit integra vel ex negligentia crassa pœnitentis, vel ex malitia, est repetenda. i. cum data opera per se, ex intentione dimidiatur; quia talis esset ficta, non vera confessio, cùm non sit integra. Secundo, cum est mutilata ex ignorantia, seu negligentia crassa, & supina, est iteranda; vt quando quis accedit ad confessionem sine examine, vel negligenter; quia perinde est ac si scienter mutilaret; Petrus Sot. lect. 10. de confess. Angel. confessio. 1. §. 2. Sot. in 4. d. 18. q. 3. ar. 3. Caiet. q. 5. de confess. iste enim indirectè dimidiaret. Excipiũtur aliqui casus. Primo, quando quis esset ita obtusus, vt nesciret examinare conscientiam, & iret ad confessionem animo respondendi, vt rustici; tunc enim suppleret confessor defectũ, & satis esset; Sotus supra. Secundo, excipitur articulus necessitatis, vt belli, mortis, &c. Tertio, excipitur quando quis

omisit

omisit peccata ex obliuione, vel ignorantia probabili; quia ignorabat esse peccata; vt pueri qui omiserunt peccata in cōfessione, putabant tamen non esse peccata, non tenentur ob id iterare confessionem. Sylu. confessio. 1. §. 1. Nau. cap. 9. nu. 15. Angel. verb. confessio. Sot. ar. 3. tit. Medin. c. de confess. dimidiata iterand. Postremò, quando quis omisit peccata ob bonum finem; quia tunc non dimidiatur nisi per accidens, vt in casibus dictis supra. cond. 10. Quoad quartum, ex parte absolutionis. Quandò constat non esse datam legitimam formam absolutionis, est repetenda confessio; idest quando Sacerdos vel non absoluit, vel quando absolutionem notabiliter prærumpit, ita vt mutauerit sensum. Nau. cap. 9 num. 12. & in cap. 1. §. laboret. de pœnit. d. 6. Quoad quintum, ex parte contritionis primo, quando aliquis nullum habet dolorem de peccatis, si accedat ad confessionem, est inualida; imo peccat mortaliter sic accedendo; & huiusmodi narratio potius erit historia quàm confessio. defectus autem doloris necessarij, qui percipitur ab ipso pęnitente, vel percipi potest, reddit per accidens confessionem nullam; & ideo esset iterāda. probatur; quia vel is confitetur hoc peccatum, & tunc persistendo peccaret; quia vellet absolui cùm non possit. vel non confitetur quia nollet, & confessio esset integra; v. g. si fur confiteretur quòd nollet restituere; vel concubinarius, quia non habet propositum relinquendi peccatum. Secundò, defectus doloris qui nō potest percipi à pęnitente licèt faciat confessionem informem, non tamen nullam, & iterandam; quia talis confessio vel esset nulla ex defectu doloris, vel ex defectu confessionis. non primum; quia non est de essentia Sacramenti dolor perfectus, sed est satis attritio, vt supra dictum est. non secundum; quia non percipit se dolere sufficienter; ergo indignè accedit, & est iteranda. confirmatur; quia aliàs non daretur confessio informis. si enim aliqua daretur, esset hæc. Nau. cap. fratres. de pęnit. num. 30. D. Tho. in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. Caiet. q. 5. de confess. Nau. cap. 9. num. 13. Tertio, quando pęnitenti deest volūtas suscipiendi Sacramentum, eius confessio est informis, nulla, & iteranda; quia esset ficta, & non Sacramentalis. confirmatur; quia baptismus fictè susceptus, est nullus; ergo confessio. item quia ex parte ministri requiritur intentio recta; ergo ex parte suscipientis, præsertim quia eius

actus

actus sunt materia huius Sacramenti. Sot. in 4. d. 18. q. 3. ar. 3. Quarto, quando accedit cum proposito non vitandi aliquod peccatum, confessio nulla est. Quinto, quando accedit cum dolore, & proposito sed imperfecto, vt supra dictum est, dub. 6. Sexto, quando aliquis accedit attritus dolens propter pœnas inferni, potest accedere dignè ad confessionem, & recipit gratiam, licèt cognoscat se esse tantum attritum. ita Trid. sess. 14. cap. 4. Quoad sextum, ex parte satisfactionis; si accedat ad confessionem animo non satisfaciendi quod confessarius iudicauerit, peccat mortaliter, & confessio est nulla; nisi mutet animum, & accuset se de illo peccato; nam non acceptat pœnitentiam rationabilem, saltem aliquam. non solum si ex contemptu renuat, sed etiam si sine contemptu; nam Sacerdos habet potestatem illum ligandi. Similiter siquis habet animum non implendi iniunctam, & acceptatam pœnitentiam, tenetur iterare. cum enim is peccat, siue confiteatur illud peccatum, siue non; confessio erit nulla per accidens. Nau. cap. fratres num. 50. & in manuali cap. 9. num. 7. Adrian. in 4. q. de confess. Quòd verò pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam, probatur in tract. de satisfactione. videndus est Victor. q. 190. Addunt aliqui quòd qui non implebit accepatam pœnitentiam rationabilem ex obliuione, vel contemptu, teneneatur iterare confessionem, dumodò iniuncta sit pro peccato mortali. ita Angel. verb. confessio. 1. §. 13. Sylu. eod. q. 3. §. 2. & 6. Anton. 3. par. tit. 14. cap. 19. Sed oppositum est probabilius, quia dona Dei sunt sine pœnitentia. ita Maior. in 4. d. 17. q. 6. dub. vlt. Caiet. verb. confessio. cap. 7. Medin. c. de cōfess. q. de confess. facta prau. D. Tho. quodl. 1. ar. 2. Palud. in 4. d. 17. q. 5. ar. 3. Victor. q. 167. Nau. cap. 9. num. 14. Sot. in 4. d. 20. q. 2. ar. 2. ad. 3. Ledes. & alij. hinc infertur quòd multo minus erit iteranda confessio ob id quòd pœnitentia impleta sit in peccato mortali. Nau. supra. Angel. §. 19. Sot. sup. & nos infra in tractatu de satis. Nota tamen quòd quando repetit quis confessionem, si confitetur eidem Sacerdoti, non est necesse repetere omnia peccata in particulari. Sed si confessarius recordatur, satis est vt dicat in genere, me accuso de omnibus peccatis quæ alias confessus sum. si non recordatur, satis est vt dicat pœnitentiam quam sibi ille iniunxit. si nec huius recordatur, repetat confessionem. Nau. cap. 9. num. 19. Gabr.

in 4.d.17.q.1. Angel.confessio.1.§.19. Tab. confessio.2.§.24. Medin. c. de confess. facta Sacerdoti prauo. & alij. dummodo sciant illum non habere casum reseruatum à quo non possit absolui.

De forma absolutionis Sacramentalis. Cap. V.



Primum dubium. Quænam est forma huius Sacramenti? Resp. forma Sacramenti pœnitentiæ est hæc; *Ego te absoluo.* & nisi hæc verba intercedant, non est Sacramentum. D.Tho.3.p.q.34.ar.3.& 6. Caiet. verb. absolutio.Ledes.1.4.q.25.ar.3.Sot. in 4.d.14. ar.3.& alij, sunt & alia verba antecedentia non necessaria, sed vtilia, & ab omnibus seruanda. Sequuntur etiam & alia verba deprecatiua. neq; opus est addere alia verba quæ non sunt in consuetudine Ecclesiæ, puta, *Oblitis & confessis*. Pronomen *ego* non est de essentia; ex Caiet. verb. absolutio. Nau.cap.26.num.12.& cap.1. de pœnit. d. 6. num.18. vnde illa verba quæ addi solent, spectant non solum ad congruentiam, vt putat Caiet. & Sot. supra, sed potius ad integritatem ipsius formæ, sicut & *ego*. Ledesm. supra. & deduci potest ex Flor.& Trid.sess. 14. cap. 3.nō puto tamen esse necessarium addere *ab omnibus*. licèt addi possit iuxta Petrum Sot. lect.4.de confess. Illa verò verba, *In nomine patris, & filij, & Spiritus sancti*. Caiet. Sot. & Ledes. dicunt esse ad decentiam. Dur. autem in 4.d.22.q.2. putat esse de integritate formæ. quæ opinio sequenda est; nam illi fauet Concilium Trid. sess. 14. cap.4. cum dicit formam esse, *Ego te absoluo &c.* & synodus Maguntina cap.24. dum iubet absolui sub ea forma, *Ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti &c.* Ex dictis infertur quòd si solum diceret Sacerdos, *absoluo te*; licèt teneret Sacramentum; peccaret tamen mortaliter; quia omitteret partem notabilem formæ. qui verò prætermitteret pronomen *ego* peccaret venialiter; nisi ex contēptu faceret. Similiter peccaret venialiter omittens, *à peccatis tuis*.

tuis. qui verò omitteret *in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti*, peccaret mortaliter; quia est pars notabilis formæ. Certum est autem quædam alia verba (præter dicta) laudabiliter addi solere, de quibus Caiet. verb. absolutio. cui sententiæ fauet Trid. supra. præsertim illa verba; *passio domini nostri*, &c. & illa; *quicquid boni feceris*, &c. quia sunt iniunctio pœnitentiæ generalis, quæ virtute clauium valent ad expianda peccata, vt ait D. Tho. quodl. 3. Sylu. confessio. 4. q. 1. Nau. cap. 26. num. 11. à multis autem addi solent alia verba. vt *à peccatis tuis quę mihi confessus es, vel confiteris si memoria occurrent*, sunt impertinentia, & periculosa. Medin. q. de absolut. Nau. supra. num. 31. de pœnit. Manuum verò impositio, aut eleuatio non est de essentia, est autem cæremonia retinenda vbi est vsus. Nau. cap. 1. d. 6. num. 34. Sed de hoc, & de forma, supra diximus, tract. 5. dub. 4. 5. & 6.

Secundum dubium. Quem sensum habent illa verba, & quomodo verificari possunt? ratio dubij est; quia sæpè contingit hominem iustificari per contritionem ante absolutionem; vel esse iustum, vel contra; per absolutionem non consequi remissionem, & gratiam. & sic in his non videtur verificari forma cum verè non absoluatur. Resp. omissis opinionibus quas refert Sot. in 4. d. 19. q. 1. ar. 3. & Medin. c. de cōfess. q. de effect. confessionis Sacramentalis, dico; verificari tripliciter. Primo, quia ipsa absolutio quæ facta fuit per cōtritionem ante Sacramentum, est fructus confessionis Sacramentalis; quia illa peccata non fuerunt remissa per contritionem sine Sacramento in voto, & vi clauium. quare per Sacramentum verè absoluitur. Secundo verificatur; quia perinde est ac si dico; ego quantū in me est, vt minister te absoluo. & ita tolluntur omnes difficultates. Tertio, in iusto verificatur, quia verè remittitur magis peccatum; quia magis elongatur à peccatis per effectū confessionis. Sot. & Medin. supra.

Tertium dubium. An per dictam formam absolutionis remittantur etiam peccata oblita. Resp. affirmatiuè; non formaliter remittuntur, sed extensiuè, seu consecutiuè, seu indirectè; quia cùm absoluatur homo, absoluitur ab omnibus; ex D. Tho. in addit. q. 1. ar. 5. Sot. in 4. d. 15. q. 1. ar. 3. & d. 18. q. 2. ar. 5. hinc est quòd tenetur pœnitens illa confiteri si in memoriam veniant. Nau. cap. 1. num. 21. de pœnit. d. 6.

Quartum dubium. An possit dari absolutio sub conditione. Resp. absolutio non est impendenda cum conditione; male enim facit sacerdos apponendo in forma conditionem. triplex autem potest apponi conditio: vel de præterito, vel de præsenti, vel de futuro. De præterito, puta; si fecisti diligentiam, ego te absoluo. Vel si Sacerdos præteritas conditiones adderet; vt si restituisti, &c. ego te absoluo, peccaret quidem mutando solitam formam Ecclesiæ; tamen extante conditione, esset valida absolutio. Secundo, si est de præsenti, vt, si ita est; ego te absoluo. Sicut etiam si confessor dubitans an absoluerit, dicat; si non es absolutus, ego te absoluo. Sicuti etiã fit in baptismo; si non es baptizatus, ego te baptizo, &c. cap. 2. de baptismo. & hæc etiam absolutio conditionata est bona. Caiet. verb. absolutio. Armill. eod. §. 6. Nau. cap. 26. nu. 12. Vel denique est de futuro; vt, si facies pœnitentiam, vel si restitues, absoluo te. & hæc absolutio ex se est sacrilega; quia Sacerdos non potest suspendere effectũ Sacramenti. Aut hæc conditionata absolutio de futuro potest esse in ordine ad tertiam personam, puta cum ratihabitione, si Episcopus confirmet, & sic nullo modo est apponenda conditio; neque tenet Sacramentum; quia quod profertur cum conditione, non habet effectum nisi posita conditione. Sacerdos autem non habet potestatem dandi effectum Sacramenti in futurum, Caiet. & Armill. supra. & Nau. cap. 9. num. 6. Quid ergo faciet Sacerdos quando exigitur aliquid à pœnitente in futurũ? Resp. iniungat hoc pœnitenti, non tamen apponat vt conditionem. Pœnitens verò si acceptet iniunctum à confessario, & postea nolit implere, peccat. Tab. verb. confessio. 2. §. 22. Sylu. verb. confessio. 2. §. 13. non tamen tenetur repetere confessionem factam, sed accusare se de illa mala voluntate. Debet etiam Sacerdos esse cautus, antequam absoluat imponat pœnitentiam, ne postea pœnitens nolit acceptare; & non absoluat nisi constet sibi quòd acceptabit. Super eandem autem confessionem semel est impendenda absolutio. si bis scienter absoluatur, peccat Sacerdos, non tamen incurrit irregularitatem. Dixi super eandem confessionem; nam eadem peccata potest quis sæpè confiteri, & semper absolui. Caiet. ibid. infertur primo, quòd si quis volens consequi indulgentiam tempore iubilæi absoluatur à reseruatis antequam compleat omnia

nia quæ ad consequendam indulgentiam iniunguntur, licèt mutato proposito postea non consequatur indulgentiam, est valida absolutio. Nau. in miscell. de oratione. num. 130. Infertur secundo, quòd confessor ante absolutionem debet obligare pœnitentem vt postea superiori reseruata confiteatur; alioqui nec ab alijs peccatis absoluendus est; quòd si pœnitẽs conditionem admittat, licèt postea non seruet promissa, valida tamen erit absolutio quæ initio fuit valida; compellendus tamen erit implere conditionem.

Quintum dubium. An excommunicatus possit absolui à peccatis antequam absoluatur ab excommunicatione. Resp. primo, quòd si aliquis sciens se esse excommunicatum maiori, vel minori excommunicatione, petit, vel permittit se à peccatis absolui, committit sacrilegium, vt patet ex cap. si celebret. de cler. excom. Nau. cap. 16. num. 3. nec illi quicquam iuat extrauagãs, ad euitanda scãdala, vt patet ex eius text. & notat Caiet. verb. absolutio. cap. 3. item procedit etiam si non stet per excommunicatum quò minus absoluatur ab excommunicatione. Sylu. verb. cõf. q. 8. Medin. c. de cõfess. q. 2. de cõfess. ab excommun. facta. quicquid dicat Angel. verb. confessio. 1. §. 16. Secundo dico, siquis ignoraret probabiliter se esse excommunicatum, vel se non posse ita ad Sacramentum accedere, non peccaret in hoc. Caiet. verb. absolutio. q. 3. Palud. in 4. d. 17. q. 6. ar. 3. concl. 2. Sot. in 4. d. 27. q. 1. ar. 1. dub. vlt. quare qui sic esset absolutus, non teneretur confessionem integrare, qa valida esset absolutio sine sua culpa, vel ex negligentia oblitus est excommunicationem. Nau. cap. fratres. de pœnit. d. 5. num. 45. Idem dicendum est in his casibus ex ignorantia inuincibili, aut ex malitia excommunicatum prius absoluerit à peccatis. Ledes. 2. 4. q. 22. ar. 1. Probantur hæc omnia, quia excommnnicatio ex se non irritat absolutionem, vt docent Caiet. & Nau. supra. & Couar. in cap. alma mater. 1. p. §. 6. num. 7. quicquid dicat Sotus. Tertio dico, quòd si penitens sciat se esse excommunicatum, & non posse sine peccato recipere talem absolutionem, quamuis integrè confiteatur etiam de illa excommunicatione, & ab ignaro Sacerdote, non valebit absolutio. Nau. cap 9. num. 4. & in cap. fratres cit. num. 45. esset enim inualida ex defectu cõtritionis, vt docet Maior. in 4. d. 12. q. 8. idem videtur sentire Caiet. verb. confessio. cõd. 12. quam-

12. quamuis oppositum ei tribuat Couarr. Dices, quid si excommunicatus esset in extremis, an posset prius absolui à peccatis, quàm à censura. Resp. affirmatiuè, ex Adrian. in 4.q.de confess. Medin.c.de confess.ab.excom.facta.quia aliàs esset lex contra charitatem. ideo hæc videtur intentio Ecclesiæ. Sot.supra, idem sentit. qui addit, quòd vnico verbo potest dari absolutio à censura, & à peccatis. Imo secundum ipsum, verbum *Absoluo* cum intentione absoluendi ab vtroq; sufficere. Idem Nau.cap.1.§.de pœnit.d.5. & dicto cap.1.num.27.& 28. Couarr.cap.alma mater.1.p.§.11.num.12.in fine.

De ministro confessionis, idest de confessore. Cap. VI.



PRimum dubium. Quis est minister confessionis? Resp. solus Sacerdos est minister huius Sacramenti ex Matth. 28. & Ioan. 20. vbi Apostolis, non alijs data est potestas clauium. cùm enim hoc Sacramentum sit quoddam iudicium, non est omnibus committendum. Secundo, patet ex veteri testamento, in toto leuitico, vbi solis Sacerdotibus datur hoc munus discernendi lepram à lepra. Christus enim misit leprosos ad Sacerdotes, Luc.17. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*. Hinc infertur Laicum non esse ministrum huius Sacramenti. nunquam enim laico fuit commissum hoc munus absoluendi à peccatis, ex Concilio Cõstanſ. Later.& Flor. & Ambr.l.1.de pœn.cap.2.& 7. Chrysost. hom. 85.in Ioan.& l.de Sacerdotio.& Nazianz.in apologetico. Tertull.in proscript.hæreticorum. Confessio enim facta laico nõ est in præcepto, neq; est Sacramentalis; nam non habet claues; Nau.cap.1.num.75.de pœnit.d.6.Scot.in 4.d.17.q.1.Dur. q.11.Sylu.verb.confessor.1.Victor.q.173. quare neq; à venialibus potest absoluere Sacramentaliter; hoc enim est munus clauium. Victor.q.172. Qui verò laicus deficiente Sacerdote in mortis articulo audiret confessiones, teneretur seruare secretum, non tamen sigillum, quia hoc est Sacerdotis. Sot.sup.

Caiet.

Caiet.verb.confessio.cond.11. Imo neq; confessio facta laico tempore necessitatis, est confessio; & plerunq; est inutilis. potest autem aliquando esse vtilis, vt quando fit in vtilitatem tertiæ personæ, puta ad restitutionem famæ, vel pecuniæ, vel etiam propter verecundiam quam patitur.tum etiam propter exercitium virtutum, vt humilitatis, obedientiæ, mortificationis, &c. Dices, an si laicus tentet absoluere sit irregularis. Sotus respondet affirmatiuè in 4.d.18.q.4.ar.1.probat ex cap. ex literis. de cler.non ordinat.ministr. & cap.siquis. ibid. vbi dicit esse irregulares. Ledesma verò 2.4.q.7.ar.3. respondet negatiuè;& in hanc inclinat Sylu.verb. confessor.q.1.& Paludu eodem modo. probant ex cap.his qui,de sent.excom.in 6.vbi Pontifex ait, qui factum fecerit præsente excommunicato,vel Ecclesia polluta, non est irregularis; quia non est expressum in iure. & hæc sententia est tenenda. Ad loca in contrarium opposita resp. illud non esse expressum in iure. & absolutio non vocatur diuinum officium. nec illa in illis locis adducta sunt diuina officia.

Secundum dubium. Quæ requiruntur in Sacerdote confessore ad ritè, & vtiliter ministrandum munus suum? Resp.cùm minister huius Sacramenti sit Sacerdos habens autoritatem absoluendi siue ordinariam, siue ex delegatione superioris, ex Concilio Flor.& Trid. sess. 14. cap. 6.& can.10. certum est in eo requiri potestatem non solum ordinis, sed etiam iurisditionis: quia tamen ea non est satis ad tantum munus rectè fungendum ex quo animorum salus pendet, alias conditiones opus est vt habeat, quæ etiam si necessariæ non sint ad Sacramenti valorem, & essentiam, sunt tamen necessariæ ad illud ritè, & vtiliter ministrandum. sunt autem quinq; conditiones, bonitas, scientia, prudentia, potestas, & sigillum. Quoad primam, bonitas confessoris ea saltem debet esse, vt sit sine conscientia peccati mortalis. cap. 1.§. caueat. & §. laboret. de pœnit.d.6.siquis enim in eo casu administraret Sacramentum, peccaret mortaliter; quare tenetur ante administrationem habere contritionem; vt probat Caiet. verb. confessor. Nau.cap.7.num.15.& dicto §. Sacerdos, cap.1.de de pœnit. d. 6.Anton.3.p.tit.17.cap.17. Quoad secundam, requiritur scientia in confessore. vt sit perfectus habeat scientiam theologiæ, canonum,& notitiam synodalium constitutionum. vt autem

fit

sit sufficiens, primo, sciat distinguere inter peccatum mortale, & veniale; & circunstantias peccatorum, vt si peccator est excommunicatus teneatur restituere, & si est in statu peccati mortalis &c. præterea si peccatum est reseruatum superiori; & confitens non est sibi subditus, quæ duo tenentur scire, qui habent potestatem limitatam, scientiam hanc non tenetur exactè habere, sed ita vt de his saltem sciat dubitare, vt recurrendo ad libros vel doctores, rectè iudicet. Secundo, cùm confessor sit medicus animæ, debet habere scientiam medicatiuã animæ ægrotæ, ita vt in remedijs necessarijs ad animæ salutem, sciat prouidere vel per se, vel per alium, remittendo ad peritiorem confessorem; cap. omnis vtriusq; sexus. de pœnit. & remiss. Caiet. verb. confessor. Nau. cap. 4. num. 8. & sequent. Sot. in 4. d. 18. q. 4. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 16. Tertio, aliquid sciat de statibus varijs; vt si confessor audiat clericos, sciat casus in quibus incurritur irregularitas. vel saltem sciat dubitare circa illas, vt rectũ iudiciũ det. Nau. cap. 4. num. 8. & §. caueat. cit. num. 27. Quarto, sciat aliquid de restitutione famæ, & bonorum. noscat aliquo modo excommunicationes; aliquos contractus censûs, cambiorum, vsuræ, &c. Quinto, non quicunq; q. est aptus ad audiendas cõfessiones in aliquo loco, vel certarum personarum, erit aptus in alijs. Potest enim esse idoneus aliquis confessarius ad confessiones rusticorum in aliquo pago, qui nõ erit idoneus in ciuitate. Nau. cap. 4. num. 10. & 11. Anton. supra. Sylu. verb. confessio. 3. Sexto, confessarius qui ignorat peccata mortalia communia, & à quibus casibus possit absoluere, & differentiam excommunicationis maioris, & minoris, & alia quædam præcipua quæ ponit Nau. num. 12. peccat audiendo confessiones, & grauius qui illum deputauit. Nau. ibid. & Caiet. supra. Septimo, excusatur confessor imperitus à peccato si audiat confessiones in tribus casibus, primo: quando pœnitens est peritus, & probus, vt possit supplere defectum. Secundo, si pœnitens sit spiritualis, solitus sæpè confiteri, & communiter venialia. Tertio, articulus mortis. qua ratione excusatur confessor inter infideles, vbi audit confessiones captiuorum, qui alium non habent confessorem. Nau. cap. 4. num. 13. Quarto, addunt aliqui, quando habet homines à quibus possit doceri si sciat dubitare, excusatur. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 6. §. 1. Quoad

tertiam conditionem, quæ est prudentia, Ad confessorem in principio confessionis pertinet interrogare, An pœnitens sit sibi subditus quoad Sacramentum pænitentiæ, vt docet Caiet. verb. interrogatio, & verb. Cõfessor. Nau. cap. 1. §. diliges. n. 10. de pœnit. d. 6. quia aliàs non posset illum absoluere. si tamen pœnitens asserat ab ste absolui posse vel iure communi, vel ex priuilegio, satis est, secundum Nau. supra nu. 11. & Caiet. verb. Confessio. cap. 1. conclusione. 3. præterea etiam ante confessionem debet interrogare de statu pœnitentis, vt intelligat quo modo se cum eo gerere debeat: & an aliquam habeat excõmunicationem. Nau. sup. & Caiet. verb. interrogatio. Item de diligentia quam adhibuit in examinanda conscientia. Nau. cap. diligens. num. 14. & in cap. fratres. num. 4. de pœnit. dist. 5. Caiet. supra Vers. 10. quæ autem diligentia sit necessaria, dictum est supra, cap. 3. Item doceat pœnitentem cum ignorat aliquod ius diuinum. Similiter quando ex conscientia erronea peccat, putans aliquid esse peccatum quod non est. Doceat articulos fidei necessarios, & Doctrinam Christianam, præcipuè verò quæ continentur in oratione dominica, in decalogo, & Sacramentis, & in symbolo fidei, præsertim mysterium Trinitatis, quid sit Christus, nempe quòd sit filius Dei, secunda persona sanctissimæ Trinitatis, verus Deus & homo, qui natus est ex Maria Virgine, mortuus est, & resurrexit propter nostram salutem, &c. Item in Sacramento Eucharistiæ sub speciebus panis, & vini esse verum, totum, & integrum Christum. Item remissionem peccatorum, Ecclesiam Catholicam quæ est congregatio fidelium; Vitam æternam, &c. Secundo in ipsa Confessione prudentiam adhibebit Confessor si permittat poenitentem prius dicere quæ parauit, etiam si confusè variaret. tum vt magis spontanea sit confessio; tum vt inde Confessor statum illius intelligat, & in quibus debeat insistere, vt docet Nau. dicto §. diligens. nu. 9. & cap. 10. nu. 6. Caiet. ver b. interrogationes, & verb. Confessor. hortetur insuper vt dicat animosè peccata si viderit illum hærentem, nec dicentem importunè interrumpat. aliquando tamen interroget de numero peccatorum, de specie, de circunstantijs necessarijs, ne cogatur confessa repetere; & si est habitualis, de tempore quo perseuerauerit in peccato, verbi gratia in concubinatu, in inimicitia, &c. & quoties eo tempore interrupit voluntatem per

Nnn actum

actum contrarium. Præterea cum opus est, admoneat pœnitentem nequid dicat de alijs, personis, seu complicibus minùs necessarium, vnde & famam lædere possit. & nota, quòd minus licet hæc curiose interrogare. Item cum aliquid praue audit, ne ostendat se admirari, nec statim reprehendat, ne terreatur, & taceat reliqua peccata; sed in fine id præstabit. Tenetur Confessor sub peccato mortali interrogare ea quæ ipse putat necessaria ad integram, & fructuosam Confessionem faciendam, præsertim de numero, & speciebus particularibus peccatorũ; Nau. cap. 5. nu. 2. Caiet. verb. interrogationes. sylu. verb. confessor. 3. q. 15. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. Can. relect. de pœnit. ratio est. 1. quia tenet Vicem Christi, quare debet supplere. 2. quia est medicus, & debet inquirere omnes rationes, & differentias morborum. 3. quia est doctor, & debet illum docere, & consulere: & quàmuis ille sit paratus, tamen quando opus est, debet interrogare. Idcirco habeat in promptu interrogationem in singulis præceptis, ex directorijs aliquorum, vt Henrici l. 6. de pœnit. cap. 28. & 30. In interrogationibus vero prudentiam adhibebit Confessor si qualitatem cuiusque cõcernet. interrogabit consueta tantum peccata, & in carnalibus sit cautus, ita vt nõ veniat ad particulares circunstantias, sed species tantum exprimantur à pœnitente; idque honestis verbis. Caiet. & Nau. supra d. Tho. in 4. d. 16. q. 3. Non sit nimius in interrogationibus ne tædio afficiat pœnitentem, præsertim si sit homo cordatus; non enim est munus Confessarij omnia peccata à singulis exquirere. Victor. q. 194. Nau. cap. 5. num. 3. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. sylu. confessio. 3. q. 14. Cum vero pœnitens eget maiore præparatione, doceat discurrere per tempora ætatis, si instituat confessionem generalem, per varios status, & officia, dispositionem corporis variam, loca, personas cum quibus egit, & peccata singula cordis, oris, & operis reducat in ordinem. Cum autem audit longam confessionem, interroget primùm pœnitentem an se præparauit, & ex quo tempore non sit confessus 2. si recepit Sacramenta in pa'chate, & an impleuerit pœnitentiam iniunctam. 3. si habeat excommunicationem, aut casum reseruatum. 4. si habeat scrupulum de præteritis confessionibus, vt sit causa eas repetendi. 5. quem statum habeat, an sit clericus, vel coniugatus, &c. Habeat deinde hoc breue interrogatorium; & quæ opus erunt interroget.

Breue

Breue interrogatorium.

IN primo præcepto. Inquirat de pauca præparatione. 2. de amore Dei, & proximi, de cultu Dei, & cognitione doctrinæ Christianæ, & proprio officio. 3. si quid habet contra fidem; an habeat, vel legerit libros prohibitos. 4. de superstitione, nempe de maleficijs, diuinatione, &c. In secundo præcepto 1. de Iuramento falso siue assertorio; siue promissorio. Item de mendacio in preiudicium proximi. 2. si Votum non impleuerit. 3. si voto, vel Iuramento promisit facere rem malam, vel non facere bonum præceptum. 4. de blasphemia præsertim hæreticali. Item si abusus est verbis sacris in profanis, vel ioco. In tertio præcepto 1. si violauit festa opere seruili. 2. si omisit missam, vel audiuit sine intentione, vel non integram. 3. si fuit causa vt alij violarent. 4. de præcepto ieiunii, & esu ciborum. Item si morbo comedit nociua, si inebriatus est, &c. 5. si suscepit Sacramentum in peccato mortali sine contritione, vel communionem sine Confessione extra casus permissos, &c. 6. si dum esset excommunicatus communicauit in diuinis cum aliis. 7. si quid fecit contra reuerentiam loci sacri per effusionem seminis, vel sanguinis, vel furando sacra, &c. vel violauit immunitatem Ecclesię Dei. Pro Clericis vero petat 1. si ministrauit aliquod Sacramentum cum conscientia peccati mortalis. 2. si parochus petentibus ouibus non ministrauit sacramenta necessaria. 3. si non celebrauit missas quas debuit ratione officii. 4. si in celebratione missæ commisit aliquem defectum. 5. si omisit recitare horas canonicas, vel alias obligationes sui officij. 6. si exercuit officia iure prohibita clericis, &c. In quarto præcepto. 1. de honore erga parentes, vel maiores, vel minores; si eis graue verbum dixit, vel non succurrit in graui necessitate. 2. si eis non obediuit cùm teneretur. 3. si non habuit curam suorum subditorum, vel filiorum, vel proprij officij. In quinto præcepto. 1. si optauit alteri, vel sibi aliquod malum. si exposuit se graui periculo. 2. si gaudet de malo alterius, vel dolet de prosperitate ex inuidia. 3. si gessit inimicitias, & cum scandalo negauit colloquia, & quandiù. si cogitauit de vindicta, vel acto externo procurauit, &c.

uit, &c. 4. si occidit, percussit alterum, si prouocauit ad duellum: si mater in lecto infantem oppressit; si fuit causa aborsus; si clericum percussit; esset enim excommunicatus: si ministrum iustitię. 5. si ex omissione eleemosinæ, vel curationis, vel debiti officij fuit causa mortis, vel damni corporalis, vel fuit causa mortis animæ per scandalum; vt si cùm esset iudex, medicus vel aduocatus, vel miles intulit damnum directè, vel indirectè ex omissione culpabili. In sesto præcepto quærat 1. à longè de turpi cogitatione cum consensu. deinde de tactu, vel opere. & contentus sit scire substantiam speciei, & circunstantias necessarias, vt sciat speciem, & numerum, omittendo superflua; vt si peccauerit cum fœmina, an sit coniugata, vel consanguinea, vel affinis, virgo, voto castitatis vel religionis consecrata, vel soluta; si intra Ecclesiam, si contra naturam, &c. si incidit in pollutionem voluntariam saltem indirectè, si aliam personam induxit ad hæc peccata; si procurauerit ornatu, metu, aspectu, musica, nuncio, muneribus, deambulatione, literis amatorijs, & similibus. si pro alio aliquid simile procurauit, consuluit, vel cum deberet non prohibuit, &c. si complacuit sibi in actu præterito, si turpi lectione delectatus, &c. 3. à coniugatis petat si negauit debitum coniugale sine causa, si petiuit cum ei non licebat, si non seruauit debitum modum, si exposuit se periculo pollutionis extra vas, si cogitans in alienas reddidit debitum, &c. si aliquo modo impediuit generationem, &c. caueat autem confessarius ne coniugatis viuentibus in bona fide, reuelet impedimentum matrimonij cognitum in confessione, vel extra illud. In septimo præcepto. 1. si furatus est, vel damnum intulit. si restituit aliena, præsertim iussus ab alijs confessarijs; tunc enim differenda esset absolutio. item si rapuit inferendo vim. 2. si non restituit debita, vel damna seruato debito ordine, &c. item si non soluit decimas; tributa, vel non impleuit testamenta. 3. si concupiuit capere aliena. & tunc satis est numerum exprimere. quando vero opere impleuit, explicet quantitatem propter restitutionem. 4. si verbo, Consilio, vel auxilio fuit causa damni notabilis. si fraudauit in emendo, vendendo, vel alio contractu. 5. si in ludo vsus est fraude, vel minis, aut precibus importunis induxit ad ludendum præsertim filios familiàs, aut alios qui non possunt alienare. 6. à mercatore vero petat si in contrahendo, vel negotiando

gotiando, vsus est fraudibus. si vsus est monopolio, vel a's-
scondit frumenta, vel similia. si fecit contractum vsurarium,
vel iniustum, vel dedit pretium simoniacum, nempe pro re
spirituali, vel promisit, &c. si emit minori pretio, vel pecunia
adulterina; si emit furtiua, si fideiussor fraudat creditorem, vel
exactor exigat ab impotente necessaria vitæ. si fraudauit in
alijs contractibus, vel non stetit promissis; vel fecit contra-
ctum de quo erat dubius an esset vsurarius. si vendidit illicita:
si tabernarius offert cibos prohibitos, &c. 7. à clericis, si fece-
rint simoniam; si non fecerint fructus suos omittendo horas
canonicas, vel non residendo. Vel cum non interfuerint officijs
diuinis, si acceperint distributiones quotidianas; siquis ex-
communicatus fuit in mora aut contumacia; si exercuit actū
ordinis solenniter dum esset in hac, vel alia censura. si in con-
fessione fuit causa vt pœnitens non restitueret; si elegit, vel
præsentauit indignum ad beneficium, vel officium; & tenere-
tur restituere damna Ecclesiæ. si per vim, & fraudem impediuit
alium à petitione beneficij vel eleemosynæ solitæ, & tenetur
restituere. à religiosis autem petat de obseruatione votorum,
& regularum, præsertim quæ obligant ad mortale. de ambi-
tione, de seditione, &c. 8. à Tutore, vel curatore, si pupilli
pecuniam non auxit licito contractu. à testamentario, si non
soluit legata præsertim pia. à Doctore, si in consultationibus
dandis errauit contra bonos mores, & non retractauit, & si in
præiudicium tertij, tenetur restituere. Vt aduocati causas
iniustas consulentes, vel defendentes. item siquis suscepit
gradum doctoratus sine sufficiente scientia, vel alteri indocto
gradum dedit doctoratus, præsertim medicinæ, & theologiæ. à
Notario vel tabellione, si fecit scripturas iniustas, aut vsura-
rias, vel falsificauit; vel iniustam mercedem extorsit. si leges
suas non seruauit, &c. 9. à iudice, si per negligentiam permisit
fieri furta, & damna, si percipit pretium contra iuramentum
lege præscriptum. si per ministros permisit damna inferri. si
pretio, & muneribus peruertit iudicium. 10. à Custode carce-
ris, si sua culpa fugerunt vincti, præsertim propter debita in-
clusi cum præiudicio creditorum. similiter à custode agrorum,
vel domus, si sua culpa dominus passus est damnum. 11. à Prin-
cipe si imponat noua tributa, si exegit à personis Ecclesiasticis;
si vsurpat bona communia; si non elegit ministros idoneos. si
subditos

subditos iniustè opprimit. à Dominis, si prohibent subditos occidere animalia, quæ inferunt damnum seminibus, vt cuniculos,&c.si trahit columbas ad sua columbaria, vel tenet columbaria contra leges. similiter si trahit aliena animalia quæcunque ad sua, si famulis neget mercedem, vel necessaria, & alijs operarijs debitam mercedem. è contra, si famulus operarius, vel artifex accepta mercede integra, non adhibet iustas operas. similiter qui accipit publicum salarium,& nullam operam nauat. Præterea peccant domini quando quocunque modo cogunt subditos ad contrahenda matrimonia, & sunt excommunicati.quod intelligitur de illis qui habent vassallos. *In* octauo præcepto. 1. si falsum testimonium tulit, præsertim in iudicio cũ iuramento. si legitimè interrogatus à iudice legitima,vel per edictum sub pœna excommunicationis, tacuit; si fuit causa damni tacendo;tenetur enim satisfacere, nisi iusta causa excusetur.sed quando rogatur contra ius, non tenetur. 2.murmuratio,vel detractio honoris. vel si fuit causa eius audiendo sine causa; si seminauit discordias,si iactauit se de aliquo peccato. 3. si aperuit secreta, vel literas, putans eas continere aliquod graue. 4. iudicium temerarium de graue malo. vel suspicio grauis, de viro optimo,præsertim alteri communicata. aliquando enim est peccatum mortale. Denique postulet circa proprium statum,& officium. 1. si sciat necessaria;si fuit negligens in suo officio.2.si occurrat aliud quod grauat conscientiam, & generaliter se accuset offendisse Deum suis sensibus,& potentijs.& se defecisse circa opera misericordiæ.& in multis præceptis affirmatiuis.præsertim fidei,spei, & charitatis,in humilitate,mansuetudine,pœnitentia, conuersione in Deum in tempore vsus rationis;de religione in Deum, externa reuerentia, gratiarum actione,de oratione in necessitate, de periculo peccandi, si fecit quod dubitauit esse peccatum mortale,vel cum remorsu conscientiæ. denique de omnibus alijs. Dices. An Confessor peccet mortaliter si prætermittat aliquam interrogationem necessariam per inaduertentiam,vel per obliuionem? Resp.nõ esse mortale. sylu.verb confessor.q.14.Nau.cap.5.num.2. 3.denique post confessionem finito examine, videat 1. an egeat pœnitens maiore præparatione; vel an repetere oporteat confessiones. si habet casus reseruatos, vel excommunicationes. si clericus cum impedimento

mento retinet vsum beneficij,& ordinum. si iacet in statu peccati propter consuetudinem, vel periculum, vel proximam occasionem. si à confessoribus iussus potuit, nec tamen restituit; Vel non satisfecit;læsis. si retinet graue officiũ cui est ineptus; si ignorat necessaria, propter hæc, & similia, differenda est aliquando absolutio. sed vt plurimum satis est vt per spatium horæ ad excitandam deuotionem vacet orationi ante absolutionem. 2. aduertat quæ sit radix, & occasio peccatorum, & adhibeat opportuna remedia, quibus abundet Confessor; & curet non solum vt reus doleat de peccatis præteritis, sed vt caueat etiam in futurum, & confirmetur in bono; propterea instruat pœnitentem in oratione, & deuotione Beatissimæ Virginis. Item vt præscindat, & vitet occasiones peccatorum; versetur cum bonis, frequentet Sacramenta Confessionis, & communionis, audiat conciones, legat (si scit) libros spirituales, &c. 3. assuescat resistere tentationibus recurrendo ad Deum, dissentiendo tentationi, idest dicendo, *nolo consentire*, & nõ facilè voueat, sed imponat sibi pœnitentiam si peccet. Visitet hospitalia, det eleemosynas, loquatur cum bonis, Vtatur examine conscientiæ generali, & particulari, nempe contra particulare vitium quo impugnatur. 4. commutet (si opus est) pœnitentias, vota, iuramenta, & cum causa legitima dispenset à quibus potest, præsertim cum clericis in impedimentis. 5. iniungat pœnitentiam salutarem, & præseruatiuam. 6. absoluat forma consueta, & curet vt reus intelligat grauitatem peccati ex iudicio Dei, & pœnis, ex passione Christi. 7. moneat pœnitentem ad Dei amorem ex eius bonitate, & beneficijs. vt doleat de peccatis propter Deum cum proposito emendationis. 8. consoletur ex spe diuinæ misericordiæ, & meritis Christi, & eos qui sunt animo deiecti, & propensiores ad amorem, iubeat confidere, & potius excuset, quàm deterreat; adiungendo exẽpla diuinæ misericordiæ, &c. 9. ægrotis periclitantibus adhibeat summam diligentiam vt sciat tunc se posse ab omnibus absoluere. & si careat vsu loquendi, sit contentus etiam signis contritionis vt absoluat saltem sub conditione. curet vt accipiat Viaticum, & extremam vnctionem. Concedat Indulgentiam si potest. vel curet adhibere grana benedicta. hortetur vt confidant in diuina misericordia; in efficacia Sacramentorum. 10. si testamentum condere velit, dimittat ei liberam volunta-

tem,

tem, præsertim ad legata pia, quibus peccata redimat, & comparet vitam æternam. 11. cum scrupulosis intelligat sibi aliter agendum, quàm cum reliquis qui pollent recto iudicio; illis enim oportet animum addere, & ex infinita Dei misericordia erigere in spem. hortari vt agant contra scrupulum, & vt putent se rectè Confessos, nec amplius sint soliciti de præteritis peccatis. & semel confessi ante communionem, ne amplius confiteantur. Denique certo sibi persuadeant planè se Dei voluntatem impleuisse, cum confessario obediunt. Henric. l. 6. de pœnit. cap. 29. Quoad Quartam conditionem de potestate confessoris. Dico 1. duplicem esse potestatem, alteram ordinis, alteram iurisditionis. potestas ordinis est qualitas animę sacerdotis impressa, qua potest conseruare, & absoluere; sicut ignis potest calefacere, & dicitur character. est autem hæc potestas spiritualis tum ratione subiecti, quia est in anima; tum ratione finis; quia ordinatur ad spiritualem vtilitatem Ecclesiæ, & propriam; tum ratione effectus, qui est gratia, quam sacerdotes legis naturæ, & Moysis, non poterant. Hæc autem potestas terminatur ad conficiendum corpus Christi, & ad ministranda Sacramenta, præsertim Sacramenta absolutionis, quæ potestas in ordinatione ipsa confertur; vt dicetur in tract. de ordine. hæc etiam potestas extenditur ad aliquos actus speciales extra Sacramentum, vt sunt Indulgentiæ, excommunicationes, &c. Quare nisi Confessor qui absoluit sit sacerdos, confessio est inualida, & iteranda; quia minister huius Sacramenti est sacerdos; vt dictum est supra. dub. 1. & patet ex Trid. sess. 14. cap. 10. de pœnit. Caiet. verb. Confessio. cap. 3. Sot. in 3. dist. 18. q. 4. art. 1. & est communis sententia. Hinc fit quòd etiamsi in mortis articulo aliquis confiteatur laico, tenetur iterare confessionem. Sot. supra. Couaru. in cap. alma mater. 1. p. §. 11. num. 5. Nau. cap. 21. nu. 41. Potestas vero iurisditionis est illa, sine qua absolutio est nulla. ex Trid. sess. 14. cap 6. & 7. de Sacram. pœnit. hæc autem potestas iurisditionis est triplex; ordinaria, delegata, & iure concessa. & quælibet ex his sufficit vt valida sit absolutio Sacramentalis, ex Concilio Flor. & Trid. sess. 14. cap. 7. & docet d. Tho. in addit. q. 8. art. 4. & 5. & est communis. Ordinaria iurisditio est, quam habent prælati in suos, quæ eis ex officio conuenit. & ratione dignitatis quam habent, vt Papa in totam Ecclesiam, Episcopus in suos dioecesanos

fahos, Generalis in suam religionem, prouincialis, & Prior, & Parochi in sua parochia; Gabr. in 4. d. 17. q. 2. Nau. in cap. Placuit. de pœnit. d. 6. num. 128. & alij. Potestas delegata est quando non ex officio alicui conuenit, sed ex commissione alterius, cui ex officio conuenit, qui curam eis committit quoad sibi subditos, & si quibus datur à Vicario perpetuo in parochiali Ecclesia constituto, iuxta expositionem in cap. extirpandæ. §. qui vero de præbend. & docet Adrian. in 4. de confess. dub. 4. & sumitur argumentum ex clement. 1. de officio Vicarij, similiter si tradatur potestas à Vicario posito in beneficium ad septennium. cap. cum ex eo. de elect. in 6. iuxta glos. in clem. 1. de priuil. & sylu. verb. excommun. 6. casu 14. vers. 11. Item à Vicario posito ad modicum tempus, cui rector plenè Vices suas tribuit, secundum Nau. cap. placuit. cit. num. 70. secus verò dicendum si Vicarius non ita plenè potestatem accipit, sed potius vt personaliter confessiones audiat, & ita procedit sententia Syluestri supra. Angel. verb. confessio. 7. §. 13. cum dicit Vicarium ad modicum tempus non posse dare licentiam audiendi confessiones. certum est tamen quòd is cui datur potestas etiam à superiore, à Papa ad audiendas confessiones, non potest eam facultatem alteri committere, vt patet ex cap. finali. §. cæterum. de offic. delegat. & ita Anton. 3. p. tit. 17. cap. 5. Angel. supra. sylu. verb. confessor. 1. q. 4. Potestas iure concessa est, quando priuilegio ipsius pœnitentis confessarius habet potestatem absoluendi. verbi gratia habet pœnitens priuilegium eligendi confessorem, ille dicitur habere potestatem iure concessam. hanc potestatem habent omnes prælati qui possunt eligere sibi confessores, vt habetur cap. ne pro dilatione. de pœnit. & remiss. per prælatos intellige omnes superiores qui habent potestatem in foro exteriori, vt sunt Episcopi, guardiani, generales, &c. Præterea tempore iubilæi habent fideles potestatem eligendi sibi confessarium. in articulo mortis cuilibet est concessum confiteri cuilibet sacerdoti. Dicitur etiam iure concessa, quando priuilegio confessarij conceditur; quando aliquis nullam habet potestatem ex his dictis, non potest audire confessiones. Nec sufficit adhuc habere potestatem iurisditionis, nisi habeant iurisditionem in ipsum pœnitentem. hæc autem potestas non debet esse impedita, nam si est impedita, non tenet confessio, si confessarius

Ooo sit no-

sit nominatim excommunicatus, suspensus, aut interdictus. Item quando est publicus percussor clerici.

Quoad Quintam, & vltimam conditionem Sacerdotis, seruet omnino sigillum. & si interrogetur de pœnitente, dicat se functum esse officio suo. Sed de sigillo confessionis dicemus infra, capite sequenti. sunt autem circa prædictas conditiones confessoris nonnulla dubia. & primo circa secundam conditionem de scientia. sequitur

Tertium dubium. An Confessor ineptus excusetur à peccato si ex obediẽtia audiat Cõfessiones. Resp. primo, si certo scit, & videt se non esse idoneum, peccat ipse, & prælatus; Nau. cap. 4. n. 14. secũdo si dubitat de sua sufficientia, poterit se præcepto prælati confirmare. cap. quid culpatur. 3. q. 1. & d. Tho. 2. 2. q. 104 art. 5. Nau. supra. & superior si aptum iudicat, potest id præcipere; Nau. ibid.

Quartum dubium. Quid si Confessor, & pœnitens sint contrariæ opinionis? Resp. aliqui dicunt quòd ordinarius Confessor, seu parochus tenetur illum absoluere. alij non. ita conrados de contractibus. q. 100. Adrian. tract. de confess. q. 5. dub. 7. sylu. verb. Confess. 3. q. 7. distingunt sic, quòd si confessarius est certus de sua opinione quæ est communis doctorum, non debet absoluere. si verò res est dubia, & ipse habet contrariam opinionem à pænitente, si est parochus debet absoluere; si non est parochus, non absoluat. Ego dico, quòd si confessor est certus de veritate suæ opinionis, & de falsitate opinionis oppositæ, non debet absoluere quisquis ille sit, siue parochus, siue non. secũdo dico, quòd in re dubia cùm sint vtrinque opiniones probabiles, confessor siue proprius, siue non proprius, tenetur sequi opinionem pœnitentis, eumque absoluere. Ita Palud. in 4. d. 17. q. 2. art. 1. Nau. cap. 26. num. 4. & in cap. siquis autem. de pœnit. d. 7. num. 66. Sot. in 4. d. 18. art. 3. Victor. q. 177. Ledes. 2. 4. q. 8. art. 4. dub. 6. ratio est, quia etiamsi non teneatur illum audire, tamen ex quo audiuit, non debet, nec potest negare quod tuta conscientia ille potest accipere. alias esset facere iniuriam pœnitenti.

Quintum dubium. Ad quid teneatur Confessor qui commisit aliquem errorem ex ignorantia in Confessione. verbi gratia absoluit excommunicatum, vel alium in Confessione. similiter dixit aliquem non teneri ad restitutionem cùm postea aduer-

tat

cat illum teneri? Resp. sylu. verb. confessor. 3. q. 11. distinguit, si confessor si ingessit, tenetur non solum de lata culpa, sed etiã de leui, & leuissima. si non, tenetur de lata, sed nõ leui. Ego dico primo, cõfessor qui errauit aliquo modo, tenetur (si potest) vocare pœnitentem, & dicere se habere quod ei dicat in Confessione; & pœnitens tenetur eum audire. & tunc confessarius satisfecit dicens se non rectè illũ absoluisse. secũdo dico, quilibet confessarius si hoc non potest, tenetur de lata, & latissima culpa, siue se ingessit, siue non; quia qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. de reg. iur. in 6. confirmatur; quia eodem modo tenetur & iudex, qui sua culpa dat sententiam iniustam. & licèt non se ingesserit, tamen tenebatur ex suo munere præstare debitum. Tertio dico, de leui, & leuissima non condẽnare confessarium. Videndus est Sot. in 4. d. 18. q. 4. arb. Victor. q. 175. qui addit, quòd si pœnitens nõn possit haberi ita vt absoluatur, & timetur scandalum, committatur Deo.

Circa tertiam Conditionem de prudentia Confessarij. sequitur

Sextum dubium. Quæ praxis est tenenda in Confessione & quomodo se gerere debeat Confessor cum pœnitente. Resp. eo modo prudenter se gerat, quomodo dictum est supra, dubio 2. cond. 3. quomodo verò se gerat iuxta eorum varios status, & conditiones, tradit Nau. cap. 26. & nos supra diximus in interrogatorio dub. 2. Nunc illud admoneo, Confessorem potius ad lenitatem, quàm ad seueritatem declinare debere. Vnde octo conditiones assignat d. Tho. in 4. d. 17. quæ exponuntur à Nau. cap. 1. 5. quibus. de pœnit. d. 6. & continentur hoc dicto: *Confessor dulcis, amabilis, atque suauis, prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus.*

Septimum dubium. An Confessor teneatur admonere pœnitentem quando videt illum ex ignorantia esse in aliquo errore, vel de impedimento matrimonij inualidi; tamen bona fide id fecit, nesciens mulierem esse sibi consanguineam, quam bona fide duxit; confessor autem id sciat, an debeat admonere pœnitentem? Resp. Adrian. q. 5. de Confess. dub. 7. dicit, quando ignorantia est contra ius diuinum siue vincibilis sit, siue inuincibilis, debet moneri. Si est cõtra ius humanũ, si est vincibilis, debet moneri; si est inuincibilis, minimè. probat ex Ambr. qui dicit, *malo vos cõtumaciæ causas reddere, quã negli-*

gentia sustinere iudicium. Confirmat ex act. 20. vbi dicitur, *mundus ego sum a sanguine omnium, non enim subterfugi quò minus annunciarem vobis omne iudicium Dei.* Alij tamen non ita largè loquuntur, vt Ledes in 2.4.dub.8.q.4.art. 8. cui consentiunt Sot. Medin. & alij. Vnde dico 1. quando ignorantia est crassa, & vincibilis siue contra ius diuinum sit, siue contra ius humanum, est monendus; ratio est, quia ille talis in illa ignorantia est in peccato, & damnabitur. 2. dico, si confessarius interrogatur, vel pœnitens ostendit se habere scrupulum in aliquo, tenetur confessor monere, sit contra quodcunque ius. ratio est, quia in tali casu si cœlat, consentire videtur. 3. dico, quando ignorantia est inuincibilis, & sacerdos sperat se profuturum, nec scandalum sequetur ex eo, tunc tenetur ille dicere siue sit in præiudicium tertiæ personæ, siue non. ratio est, quia confessarius est doctor, & medicus pœnitentis. 4. dico, si credit se non profuturum, & ignorantia sit inuincibilis siue iuris sit, siue facti, siue diuini iuris, siue humani, non debet dicere. probatur; quia iste actus erit inutilis, & ociosus. quorsum igitur dicam? Confirmatur, quia idem est de præcepto correctionis fraternæ. Ad difficultatem Adriani. Resp. illa loca debere intelligi de concionatoribus qui non debent occultare veritatem etiam si alicui displiceat, quàmuis omnia debeat facere cum grano salis.

Octauum dubium. An teneatur Confessor interrogare pœnitentem de aliquo peccato quod probabiliter creditur fecisse, quando in Confessione non dicit illud. Resp. Victor. q.194. ait non teneri. Medin. C. de confess. iter. mediata, idem putat; nisi haberet annexam iniustitiam, vt furtum, &c. Oppositum sentit cano relec. de pœnit. Nau. cap. 5. num. 2. Caiet. verb. interrogationes. Sylu. verb. Confessor. 3.q.14. & videtur etiam Soti. & hæc est tutior & tenenda, quia est necessaria interrogatio ad integritatem Confessionis.

Nonum dubium. An Confessor quando scit in Confessione aliquem fecisse peccatum, si id non Confiteatur, teneatur interrogare si sit periculum reuelandi confessionem complicis. Resp. in genere debet interrogare. Angel. verb. Confessor vltimo. §.9. Tabien. Confessio. 2.q.32. Imo Sylu. verb. Confessio. 3.q.13. addit, quòd etiam in specie debet interrogare quando non insurgeret suspicio probabilis de Confessione alterius.

quòd

quòd si ille negauerit, nõ debet propterea negare absolutionẽ. Tabien. supra. Anton. 3. p. tit. 19. cap. 18. concl. 13.

Decimum dubium. Quomodo se gerer Confessor cum pœnitente qui non habet contritionem. Resp. debet prudenter illum inducere, vitando periculosas comparationes de peccato, vt doleat propter Deum. quòd si doleat se non habere maiorem dolorem, & videatur attritus, potest absolui. Nau. cap. 10. num. 4. quòd si nolit abstinere à peccato, vel abstinere non posset quantum sit opus, dimittendus est. Caiet. verb. Confessio cond. 12. & verb. confessor. ead.

Vndecimum dubium. Quomodo se geret in iniungenda pœnitentia. Resp. considerandam esse qualitatem pœnitentis, & grauitatem peccati, iuxta ea quæ tradit Nau. cap. 26. num. 18. Item ne imponatur leuis pro grauissimo peccato, vt monet Concilium Trid. sess. 14. cap. 4. ne ipsi pœnas luant, Caiet. verb. Confessor. quòd autem ante absolutionem inponatur, non est necesse; est tamen laudabile, & tutius. Nau. cap. 26. nu. 10.

Circa quartam conditionem de potestate Confessoris, sequitur

Duodecimum dubium. An potestas iurisdictionis audiendi Confessiones sit in sacerdote de iure diuino, hoc ipso quòd est sacerdos. Resp. primo, iure diuino necessaria est iurisdictio ad absoluendum, sine qua absolutio data nulla est. patet; quia absolutio est actus iudicialis de iure diuino, vt docet Trid. sess. 14. c. 7. & can. 9. secundo, ex c. si Episcopus de pœnit. & remiss. in 6. vbi dicitur nulla consuetudine posse introduci vt quis sibi eligat confessariũ; ergo est de iure diuino. tertio, ex Concilio Floren. vbi cum materia, & forma huius Sacramenti (quæ sunt de iure diuino) coniungitur etiam minister habens iurisdictionem. & probat Sot. in 4. d. 17. q. 1. art. 1. contra Armacan. l. 11. qq. Armenic. cap. 21. vbi dicit esse de iure humano; quæ opinio est erronea, & periculosa. secũdo dico, hãc iurisdictionẽ necessario requisitam recipit sacerdos ab Ecclesia, & non ab ordinatione. prob. quia Concilium Trid. sess. 14. cap. 7. de pœnit. dicit, quòd prælati possunt sibi casus reseruare; ergo, &c. Quare explico opinionẽ Armacani posse habere duplicem sensum. primus est; quòd ita habent à iure diuino; quòd etiam si Ecclesia prohibeat, si contrarium fiat, peccatum sit, sed absolutio tenet. & hic sensus est erroneus; quia est contra praxim Ecclesiæ reseruantis ca-

tis ca-

tijs casus. tum etiam quia est contra decreta Conciliorũ dicẽtium nullã esse. Secũdus sensus est; quòd ita est à Christo, vt tamen possit suspendi ab Ecclesia, & data absolutio contra Ecclesiæ suspensionem, non teneat. & hic sensus non est erroneus, quàmuis contrarium dicat nostra conclusio. quæ probatur, quia recipere iurisditionem est recipere subditos, & per consequens in foro conscientię curã animarum; sed hoc nõ fit in ordinationibus. Secũdo quia Petro dictũ est, & successoribus, *tibi dabo claues*: Ioan. vlt. ergo ipsi & successoribus datur à Christo vniuersalis iurisditio Ecclesię; ergo nõ habent alij. Tertio patet ex communi sententia. Bonau. in. 4. d. 19. q. 2. & 3. ar. 2. Riccard. ibid. q. 3. Sot. d. 18. q. 4. art. 2. & 4. Turrecrem. in summ. de Eccles. l. 1. cap. 98. Caiet. q. Vnica de Confess. cano. fol. 81.

Tertiumdecimum dubium. An Episcopus electus, sed nondũ Confirmatus cõmittere possit alicui iurisditionẽ ad absoluendos suos subditos. Resp. affirmatiuè cũ Soto in 4. d. 18. q. 4. art. 3. & Cano relect. de pœnit. ratio est; quia huiusmodi commissio pertinet ad potestatem iurisditionis, quam Episcopus electus iam habet. idem dico quoad alios legatos, in quibus fuerit eadem ratio; vt docet Ledes. 2. 3. q. 7. art. 5. dub. 10. Victor. q. 152.

Decimumquartum dubium. An qui habet potestatem in vna diœcesi vel parochia siue ordinariam, siue delegatam, possit illam exercere in alia diœcesi. Resp. quòd qui habet ordinariam iurisditionem potest eam exercere cum suis subditis sacramentaliter extra suam diœcesim; quia in his quæ fiunt sine strepitu iudicij, nullius territorium læditur. ita Sylu. verb. Confessio. 1. q. 14. Palud. in 4. d. 19. q. 2. art. 3. Sot. d. 18. q. 4. ar. 3. Victor. q. 151. Ledes. 2. 4. dub. 9. Secũdo dico, idem esse dicendũ de alijs confessarijs qui habent potestatem delegatam, nempe qui eandem potestatem quam habẽt à pręlato vnius diœcesis, possunt illam exercere in alia. Imo vbicunque possunt illi qui eam facultatem dederunt cum subditis illorum. vt verbi gratia religiosus qui habet facultatem audiendi confessiones suorum religiosorum, quemcunque subditum sui conuentus potest vbique terrarum absoluere perinde ac prælatus ipse, præterquàm à casibus reseruatis. Ita Sot. Victor. & Ledes. supra, idque determinauit Sixtus 4. vt refert Victoria, quàmuis oppositum teneat Sylu. supra, & alij quos adducit. Neque obstat

clemen-

clementina religiosi.de priuil. nam tantum cauet ne habentes potestatem Episcopi, putent eam habere in alios quàm subditos sui Episcopatus, vt notat Sotus. & patet; quia clementina illa pares facit in hoc religiosos, & plebanos. & cùm fiat sine strepitu iudicij, nemini fit iniuria. ergo &c. hinc patet, quòd quando peregrinantur duo religiosi, vel alij clerici de licentia sui prælati, possunt mutuò se absoluere, etiam in alia diœcesi.

Decimumquintum dubium. An Confessor habens iurisdictionem possit absoluere si sit excommunicatus, ita vt Confessio sit valida, & non iteranda. Resp. primo, in vno conueniunt omnes scilicet posse absolui ab excommunicato tolerato, vt sunt omnes, præter duos, scilicet notorios percussores clericorum, & nominatim excommunicatos, vt patet ex Concilio Constans. Cōtrouersia est de his duobus nō toleratis. quare dico primo, si Confessor sit excommunicatus, denunciatus nominatim, vel notorius percussor clerici, Confessio cum illo facta, est inualida, & iteranda. ita Caiet. verb. Confessio. & verb. absolutio. cap. 3. Nau. cap. 5. num. 8. & cap. 26. num. 26. Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. Medin. fol. 79. Couar. cap. alma mater. 1. p. §. 6. nu. 7. concl. 6. & est communis. probatur, quia cum non toleratur ab Ecclesia, priuatus est potestate. quod patet ex extrauag. ad euitanda scandala. Martini. V. ex quo etiam fit, quòd si ignoranter aliquis fuerit Confessus cum eiusmodi excommunicato, licèt pro tempore quo id ignorat, & in bona fide fuerit, excusetur, cum tamen id sciuerit, tenebitur talem confessionem iterare. Nau. cap. 9. nu. 9. Couar. supra, concl. 7. Secundo dico, quòd si Confessor non fuerit excommunicatus nominatim, & denunciatus, neque notorius clerici percussor, & Confessio ei est ignoranter facta, valida est, & non iteranda; Caiet. verb. Confessio. & verb. absolutio. cap. 3. Nau. cap. 9. num. 9. Medin. q. de confess. ex excommunicato scienter facta. & probatur; tū quia ignorantia facti illum excusat; tum quia confessor non est priuatus iurisdictione; tum etiam ex dicta extrau. quæ non iubet vitari nisi duo genera excommunicatorum; tum denique ex d. Tho. in addit. q. 7. art. 6. quamuis in 3. p. q. 82. art. 7. ad 2. excludat tātū hæreticos, & schismaticos. tertio dico, quòd confessio facta sacerdoti excommunicato quem non tenemur vitare (etiam scienter) est valida; quia in dicta extrau. non prohi-

betur

betur communio cum talibus. Nau. cap. 9. num. 19. Caiet. verb. absolutio. cap. 3. verb. excommunicatio cap. penult. & alij intellige nisi per accidens fieret inualida, vt inducendo peccaret mortaliter; vel quia induceret aliquem qui non tenebatur eũ audire; vel quia sine necessitate induxit. Nau. ibid. quia tunc ponit obicem sacramento.

Decimumsestum dubium. An in mortis periculo possimus absolui à quocunque sacerdote excommunicato nominatim, denunciato, vel publico clerici percussore ita vt sacramentum sit validum. Resp. prima sententia est Medin. C. de confess. q. qui debet fieri confessio. Couar. cap. alma mater. 1. p. §. 6. nu. 8. & videtur d. Tho. in 4. d. 17. q. 2. art. 3. quòd non possit talis sacerdos absoluere, & aliàs absolutio esset inualida; quia talis careret iurisditione. idem dicendum est de nominatim interdictis, & suspensis, &c. Secunda sententia opposita est Cani in relect. de pœnit. Nau. cap. 26. num. 26. Sylu. verb. confessio. 1. §. vlt. Angel. confessio. 3. §. 2. & hæc est vera, & tenenda. prob. ex Trid. sess. 14. cap. 7. de pœnit. vbi dicit, omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere posse in articulo mortis. Secundo, quia non est credendum in illo casu voluisse talem deserere; quare in tali casu nec infirmus inducens, neque confessor absoluendo peccaret. quibus suffragatur quod dicit Sot. in 4. d. 1. q. 5. ar. 6. Dices primo: An idem possent in eo articulo sacerdotes nominatim suspensi, interdicti, degradati, irregulares, &c. Resp. affirmatiuè, quãdo non est alius qui id legitimè faciat. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 4. Maior d. 19. q. 1. Nau. cap. 26. num. 26. Dices secundo; quid si sacerdos esset hæreticus? Resp. aliqui negant. d. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. ad 3. & 3. p. q. 82. art. 7. ad 2. Nau. cap. 26. num. 20. Couar. cap. alma mater. 1. p. §. 6. num. 8. Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. nihil audet asserere. Videtur etiam Anton. 3. p. tit. 4. cap. 19. §. 18. Dico tamen, quòd post Concil. Trid. est probabilius oppositum, etiamsi hæreticus non sit occultus qui in articulo mortis potest absoluere vt tenet Palud. in 4. d. 25. q. 1. art. 3. ad 3. Maior supra. Sylu. verb. confessio. 3. p. q. 6. & secundum Palud. procedit etiam si pœnitens id sciat. Item quando esset talis confessor hæreticus, damnatus, & publicatus, intellige tamen nisi timeretur periculum subuersionis pœnitentis, tunc enim non liceret. Item quando non esset alius legitimus

sacer-

sacerdos. & quod dixi de hæretico, intellige de schismatico. Nau.cap.26.num.26.

Decimumseptimum dubium. An in periculo mortis quilibet sacerdos habeat iurisditionem vt possit absoluere à peccatis omnibus, etiam reseruatis. Resp. Sot.in 4.d.18.q.4. art. 4. distinguit contra sylu.inter articulum, & periculum. & dicit, hoc priuilegium intelligi in articulo vt infra dub.20. non in periculo mortis.probat; quia ius,& canones id concedunt in articulo, non in periculo. quæ priuilegia dicit non debere ampliari. Idem tenet Can.fol.145. vbi addit quòd si hæc sententia sit scrupulosa, paratus est retractari. Contrarium tenet Nau.cap.2.num.8.& Sylu.verb.confessor.q.6.& Couar.cap.alma mater.p.1.idem Bonau.in 4.d.21.supra literam. & ego his assentior.intelligo tamen periculum non qualecunque, sed id vbi videtur morale & probabile periculum mortis. Intelligo, etiam quando est in ipso periculo, & non potest euadere illud. probatur;quia si est expectandus articulus mortis, & periculum non est satis,multi possent mori cum periculo damnationis;at Ecclesia quæ est pia mater,cùm possit prouidere, prouidet. Ad Sotum. Resp. etiam in canonibus hæc sæpe confundi articulum,& periculum; vt patet 17.q.4.cap.si quis suadente, & cap.eos qui.de sent.excomm. in 6. priuilegia autem in materia fauorabili amplianda sunt, quàmuis in materia odiosa sint restringenda. Dices, quid est articulus mortis. Resp. Sot. d.18.cit.& can. supra, articulum mortis esse, cum regulariter certa mors sequitur ex morbo, vulnere, externa vi, &c. Vnde volunt quòd sacerdotes quàmuis periculum mortis alicui immineat,sed non sit articulus,non possint absoluere,vt dictum est;sed satis esse dicimus, si sit probabile periculum, idest tale ex quo moraliter homo nequeat liberari; vt quando quis acuta febre laborat, vel nauigat in tempestate cum periculo naufragij,vel impugnandus est ab hostibus. Vel si mulier sit proxima partui,vel in simili periculo arbitrio prudentis viri, vnde timeatur mors.

Decimumoctauum dubium. An qui in mortis articulo fuit absolutus ab excommunicatione, & alijs censuris, si deinde conualescat, teneatur representare se illi cui erant reseruatæ censuræ. Resp. affirmatiuè, & si non se representet, iterum incurrit excommunicationem. quod habetur in cap.his qui.de

 sent.

sent. excomm. in 6. ratio est, quia est præceptum non vt absoluatur: nam absolutus fuit. sed vt se præsentet sub eadem pœna &c. Dices, an ad id teneatur qui fuit absolutus à peccatis reseruatis, non autem à censuris? Resp. negatiuè quando semel fuit absolutus in tali casu. neque id vllum ius, aut canon præcipit. vt infra, dub. 21.

Decimumnonum dubium. An laicus possit absoluere in articulo mortis pœnitentem excommunicatum saltem ab excommunicatione. Resp. Primo, certum est laicum non posse absoluere à peccatis saltem sacramentaliter; vt supra dixi, dub. 1. quicquid dicat glos. in cap. pastoralis. de offic. ordin. errat enim cum dicit posse absoluere à peccatis. Secundo quod attinet ad excommunicationem, laicus idest non existens in sacris habens iurisditionem, potest absoluere ab excommunicatione; quia talis potestas nō spectat ad ordinem, sed ad iurisditionem. ita Nau. cap. 27. num. 41. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 27. Tab. verb. absolutio ab excommunicatione. §. 4. etiam quoad forum conscientiæ, si saltem prima tonsura sit initiatus secundum eosdem. Tertio dico, quòd laicus non habens iurisditionem non potest absoluere ab excommunicatione in nullo casu, etiam in articulo mortis, quia nullibi datur illi talis potestas. Ita Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. Couar. in cap. alma mater. 1. p. §. 11. num. 9. Palud. d. 13. art. 3. & hæc est tutior, & tenenda. Tabien. verb. absolutio. 2. q. 4. quàmuis oppositum teneat glos. in cap. pastoralis. cit. & Abbas, & Sylu. verb. absolutio. 1. q. 2. §. imo.

Vigesimum dubium. An in articulo mortis quilibet sacerdos habeat iurisditionem vt possit absoluere à peccatis omnibus, etiam reseruatis. Resp. affirmatiuè, ex Trid. sess. 14. cap. 7. de sacram. pœnit. vt docet Nau. cap. 26. num. 26. & cap. 4. num. 3. & est communis sententia. intellige tamen quando proprius sacerdos sine periculo infirmi haberi non potest, vt declarauit congregatio Concilij argumento cap. eos qui. de sent. excomm. in 6. Caiet. verb. absolutio. cap. 2. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 4. Nau. cap. 26. nu. 26. Victor. q. 156. Dices, an hoc competit sacerdoti de iure diuino in articulo mortis. Resp. Palud. Capreol. & Dur. in 4. Couar. eod. cap. 1. p. §. 6. num. 8. & §. 11. dicunt competere de iure diuino. Sot. autem supra. & Ledes. supra art. 6. Victor. q. 156. dicunt habere de iure positiuo. &

hoc est

hoc est probabilius,& magis commune apud theologos,vt ait Ledes.& patet ex supradictis. d.Tho. in addit.quæst.8. art. 6. ad primum.

Vigesimumprimum dubium. An cum pœnitens est excommunicatus possit absolui à quolibet sacerdote etiam ab ipsa excommunicatione in articulo mortis. Resp. affirmatiuè.Maior in 4.d.19.q.1.Nau.cap.26.num.26.& cap.27.num. 272. & patet ex Trid.sess.14.cap. 7. sed est notandum, nam cum simplex sacerdos absoluit pœnitentem in articulo mortis ab excommunicatione,debet illi iniungere, vt cessante periculo se præsentet superiori, à quo absoluendus sit satisfacturus,alioquin reincidit in eandem excommunicationem; vt statuit in can. eos qui. de sent. excomm. in 6. & exponit Nau. cap. 26. num.26.& cap.27.num.46.Sylu. verb.absolutio.1.q.2. num.8. Caiet.verb.communicatio cap.79.& 97.secus tamen est quando à reseruatis peccatis quis absoluitur in periculo mortis. tunc enim non tenetur qui absoluitur se præsentare qui euadit periculum;quia nullibi est talis obligatio, vt notat Innoc. in cap.nuper.de sent.excomm. Nau. cap.26.num.26.

Vigesimumsecundum dubium. An prælatus qui se de facto intrusit in beneficio sine autoritate superioris, habeat iurisditionem sufficientem, ita vt confessio illi facta à suis subditis non sit iteranda. Resp. negatiuè,idest non esse validam. Angel. verb.confessio.4.§.12.Nau.cap. 9. num. 11. vbi alios citat.& in cap.placuit.de pœnit.d.6.num. 176. idque procedit etiam si pœnitens ignoret eum esse intrusum, & putet esse verum prælatum.nam licèt excusetur dum fuerit in bona fide, postquàm verò id sciuerit,tenetur confessionem iterare. ratio est, quia vt gesta per talem sint valida,requiruntur duo;ignorantia, seu communis facti error, & superioris autoritas, idest, quòd sit constitutus curatus per superiorem.Caiet.verb.absolutio.cap. 3.probatur ex l.barbarius. ff. de offic. præsid. adde quòd licèt sit valida confessio quæ tali prelato fit his duobus concurrentibus.vt Nau cap.placuit.num.180.ex Panorm.tenetur tamen confessionem iterare, si quando confessus reuera sciebat illum non habere ius ad illud beneficium, neque confirmationem eius esse validam,licèt haberetur vulgo vt verus prelatus. idem Angel.verb.confessio.4.§.12. Palud.in 4.d 17.q.6.art.1. concl. 3.

Vigesimumtertium dubium. An quando Confessori defuit solum iurisdictio ad absoluendum à peccatis reseruatis quæ pœnitens simul cum alijs confessus est, cum id sciuerit, teneatur iterare confessionem omnium, an solum reseruatorum. Resp. reseruata tantum tenetur confiteri iterum habenti autoritatem; quia ab alijs est absolutus. Caiet. verb. confessio. cap. 3. Nau. cap 9. num. 3. & nos supra.

Vigesimumquartum dubium. An ratione libertatis quam pœnitens habet, possit sacerdoti competere facultas ad illum absoluendum. Resp. affirmatiuè, & omnes concedunt. Caiet. verb. absolutio. 2. & alij. datur antem libertas tripliciter: Primo, quando pœnitens nulli est subditus, vel saltem habet licentiam eligendi confessorem. Secundo, ratione status, vt si sit vagabundus. Tertio, ratione meriti, vt quando non habet nisi venialia. Sciendum est autem ante Concilium Trident. fuisse hanc praxim communem, vt omnes sacerdotes confiterentur ad inuicem: tamen Concilium sess. 23. cap. 15. statuit vt nullus etiam regularis possit absoluere nisi sit præsentatus coram Episcopo, & approbatus. & ita quilibet debet confiteri suo proprio, vel habenti priuilegium. ex Trid. sess. 14. cap. 17. & ex Florent. vbi dicitur ministrum esse sacerdotem habentem iurisditionem ordinariam, vel delegatam ex eius licentia. & ex cap. omnis vtriusque. & patet ratione; quia absolutio est actus sententiæ iudiciariæ, quæ non potest ferri nisi ex habente iurisditionem ordinariam, vel delegatã. Igitur Quoad primum, Papa potest absolui à quolibet sacerdote quem elegerit, quia licèt ipse non habeat iurisditionem in se, habet tamen facultatem à Deo dandi iurisditionem in se ei cui confiteri Voluerit, quia Deus non deest nessarijs. & hoc voluit d. Tho. in addit. q. 8. ar. 4. ad quartum. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 2. Sylu. verb. confessio. 1. q. 2. Caiet. supra. quicquid dicat contra eum cano. Nau. in cap. placuit. de pœnit. d. 6. num. 9. & in manuali cap. 27. num. 260. Episcopus autem, & cæteri prælati habent à Papa facultatem eligendi confessorem. cap. si enim. de pœnit. & remiss. sic etiam & prælati superiores. & inferiores exempti, Generales religionum, Abbates, & similes. quare eoipso quòd eligitur ab eis confessor, recipit potestatem absoluendi. non autem gaudet hoc priuilegio Abbatissa. addit Anton. 3. p. tit. 17. cap 2. §. 2. quòd electus ab Episcopo potest eum absoluere à quocunque casu à quo

potest

potest Episcopus; & dispensare, & commutare in ijs in quibus ipse potest cum suis subditis. addit etiam ex hostiens; quòd hoc priuilegium non perdit Episcopus etiam si sit extra suam diœcesim. Neque in hoc audiendus est Palud. & Sylu. cum Canonistis, qui dicunt Episcopos subdi Archiepiscopis, & hos primatibus. in hoc enim non subduntur nisi Papæ, vt patet ex dictis, & sotus supra. Cardinales autem si sunt Episcopi, habẽt hoc priuilegium ex iure. si non, habent ex consuetudine, (nisi sint legati) quia non sunt prælati habentes iurisditionem; tamen à Papa habent hoc priuilegium vt per se, & tota familia eligant confessorem; alioqui debent confiteri Papæ, vel summo pœnitentiario. Caiet. & Sot. supra. quicquid dicat Syluester. Prælati religionum habent potestatem eligendi confessorem; dicto cap. fin. vt notat Sotus. Item commensales prælatorum subduntur ipsis prælatis suis. Sot. ibid. nisi sint dispersi per orbem. Parochi, & alij sacerdotes qui non sunt prælati, subditi sunt Episcopo quoad hoc. Consuetudo tamen tolerata obtinuit vt possint sibi eligere confessorem, præterquàm à casibus reseruatis; Sotus supra. nec istud fuit reuocatum per Concilium Trid. sed solum fuit ibi dictum, vt eligerent ex approbatis. Intelligitur tamen vbi non est contraria consuetudo. Principes subduntur suis Episcopis. multi tamen habent priuilegium à Pontifice eligendi confessorem, vt Imperator, & imperatrix, & Reges. Familiæ verò ipsorum debent confiteri curatis vbi sunt. Quoad secundum, contingit libertas ratione status cum scilicet aliqui nunquàm permanent in eodem statu; quales sunt vagabundi; & hi confiteri possunt cum confessore approbato eius loci vbi se inuenerint. cùm enim nullam habeat certam diœcesim, possunt in quacunque confiteri, dummodo confessor habeat ibi iurisditionem; non enim satis est vt sit simplex sacerdos, vt ait Sylu. verb. confessor. 1. §. 1. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 2. Nau. cap. placuit. num. 81. de pœnit. d. 6. Palud. & alij. quàmuis Anton. 3. p. tit. 14. cap. 4. dicat posse confiteri simplici sacerdoti. Nostra autem opinio est vera, & probatur; qui cum is alicui confiteri vult, consequenter vult subire vicem incolæ illius loci; non enim debent esse melioris conditionis quàm incolæ loci vbi confitentur. Confirmatur, quia ita dixisse dicitur Eugenius IIII. viuæ vocis oraculo, referente Caiet. verb absolutio. cap. 3. & dicit, quòd si in sua patria erat aliquis

casus

casus reseruatus, potest absolui ab eo vbi non est reseruatus: non tamen necesse est vt confessor ille sit parochus, vt probat Nau. num. 81. cit. Idem dicendum est de viatoribus, peregrinis qui vel cum facultate peregrinantur, vel non; & de scholasticis. Caiet. supra, cap. 2. Nau. supra, num. 62. & 69. Victor. q. 155. quàmuis Caiet. istos omnes restringat tantum ad confessionem in paschate. sed rectè confutatur à Nau. supra, num. 64. quare siquis habeat licentiam parochi siue tacitam, siue expressam, potest eligere quemlibet ex approbatis ab ordinario, iuxta decretum concilij Trid. Sot. & Nau. in cap. placuit cit. Mercatores verò qui habitant alicubi animo manendi per aliquot menses, idque sine licentia parochi, debent confiteri cum parocho ad cuius curam pertinet domus quam habitant. Sot. supra. idem dicendum est de migrantibus ad locum cum animo ibi contrahendi domicilium. Sylu. confessio. 1. q. 10. Quoad tertium, contingit libertas ratione materiæ, quando pœnitens non habet nisi peccata venialia; nam hic si aliunde impediatur à quolibet sacerdote, si velit potest ab alijs absolui. d. Tho. in 4. d. 18. q. 2. art. 3. q. 1. ad 3. Nauar. cap. placuit cit. num. 10. 22. quicquid dicat Medin. C. de confess. q. de confess. voluntariè & non necessitate facta. id verò non ex eo est quia ad huiusmodi absolutionē non requiritur iurisdictio, vt vult Medin. & Nauar. num. 25. supra; neque ex eo quòd omnes sacerdotes ad huiusmodi peccata absoluenda iurisditionem ab ipso Deo acceperint, vt vult cano. oppositum tamen est verum; quia Christus dedit omnem potestatem suo Vicario à quo ad reliquos dimanare debet. Medin. supra. Dicendum est ergo, quòd ideo venialia à quolibet sacerdote absolui possunt, quia ad hoc datur tacitus superioris consensus. Vel quia Ecclesia in ordinatione cuiuslis sacerdotis facultatem hanc concedit. vnde sequitur posse summum Pontificem simplicibus sacerdotibus prohibere ne à venialibus absoluant. Dices, an quilibet intra annum facultatem habeat confitendi cui vult, cùm ex deuotione confiteatur? Resp. negatiuè; quia licèt non teneatur tunc confiteri, tamen si confiteatur, tenetur confiteri suo iudici præsenti, idest proprio sacerdoti; eritque talis subiectio non absoluta, sed cōditionata, seu ex suppositione Medin. supra. & Nau. cap. 4 num. 3. idem dicas de eo qui confitetur mortalia aliàs ritè confessa. debet enim confiteri proprio sacerdoti. Medin. ibid.

Vige-

Vigesimumquintum dubium. An ex vi facultatis eligendi confessorem, possit quis eligere sacerdotem etiam simplicem. Resp. Rosel. verb. confessor. 3. §. 5. Sot. in 4. d. 15. q. 4. ad 3. Medin. q. 38. de sacerdote alieno per parochiam eligendo. Ledes. 2. 4. q. 7. art. 5. dub. 4. tenent posse eligi simplicem sacerdotem dummodo sit approbatus, & examinatus. Dico primo, non posse eligi sacerdotem ex vi dictæ licentiæ nisi qui reputatur sufficiens. Dico secundo, quòd post concilium Trid. necessariò facienda est electio ex approbatis ab ordinario; vt habetur sess. 23. cap. 15. de reform. licebit ergo eligere simplicem sacerdotē id est parochum; si tamen is sit per examen, vel aliter approbatus ad audiendas confessiones. Vbi nota, quòd semel præsentatus vni in aliquo loco, non tenetur illi vel alteri iterum præsentari. vt habetur in extrau. Benedicti XI. Inter cunctas. de priuil. quæ in hoc non fuit reuocata. & habetur ex clementina duddum. & Trid. sess. 23. cap. 15. Sot. in 4. dist. 18. q. 4 art. 3. Hinc infertur religiosos non habentes curam animarum, posse licitè audire confessiones iuxta eorum priuilegium dummodo sint iusto modo approbati; non tamen id possunt sine facultate suorum superiorum. si tamen sine ea facultate absoluerint, absolutio valida erit; sed peccarent ratione inobedientiæ, nisi in articulo mortis; tunc enim sine illa possunt absoluere, quia eā habent à Pontifice, vt ait Nau. cap. 4. num. 6. de his legenda sunt plura apud Sotum in 4. d. 18. q. 4. art. 3. Sylu. verb. confessor. q. 5. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 7.

Vigesimumsextum dubium. An qui à Pontifice vel Episcopo habent facultatem eligendi confessorem, teneantur petere licentiam à suis curatis. Resp. negatiuè, & tales confessiones non sunt iterandæ. est de fide. & contraria est erronea. Palu. in 4. d. 17. q. 4. Sylu. verb. Confessor. 1. q. 5. Nau. cap. placuit. de pœnit. d. 27. num. 57. & est communis. probatur, quia Papa & Episcopus per se possunt audire, ergo possunt & alijs committere. Secundo, quia Papa & Episcopus constituūt parochos. Tertio, quia sic fuit ordinatum per Ioannem XXII. & Benedictum XI. & Clement. V. Dices, An facultas eligendi confessorem, spiret per primam electionem, an posit variare ad libitum pœnitentis. Resp. quòd non spirat, nisi expressè restringat qui illam concedit facultatem Nau. dicto cap. placuit. nu. 166. Palud. in 4. dist. 17. quæst. 4. Gabr. d. 17. q. 2. sumus enim in ma-

teria

teria fauorabili, & nulli est præiudicium.

Vigesimumseptimum dubium. An dicta licentia eligendi confessorem spiret morte concedentis. Resp. negatiuè, quia licèt mandatum morte mandantis spiret, non tamen gratia facta. Ita Palud. in 4.d 17.q.3. Nau.cap.placuit. de pœnit. d. 17.num. 161.argumento cap. si vni. de præbend. in 6.cap. si super gratia.tit.eod.glos. in cap. dudum. de sepult. §.statuimus. quicquid dicat Sylu.verb. confessor. 1. q. 7. & 2.q.4. §. quatenus.& Anton. 3.p.tit.17.cap.9. Neque obstat quòd excommunicatio per mortem excommunicantis cesset, quia ista est materia odiosa, non tamen hæc nostra quę est fauorabilis. Neque obstat quod dicit glos. in cap. penult. de cleric. non residente, quòd licentia non residendi finiatur cum morte concedentis; quia non finitur ista licentia, si non reuocetur per successorem.

Vigesimumoctauum dubium. An credendum sit pœnitenti dicenti se esse confessum alteri. & an liceat ei dare communionem. Resp. affirmatiuè esse illi credendum, & ministrandam esse communionem, præterquàm in duobus casibus: Primo, quando ille est excommunicatus cognitus, & notorius peccator. Secundo, quando non constat de pœnitentia. est text. in extrau. Benedicti XI. inter cunctas.

Vigesimumnonum dubium. An ratihabitio satis sit, vt validè quis possit alteri Confiteri. Rep. quòd si ratihabitio sit de futuro, non valet vt absolutio sit valida; quia sacramentum præsens non potest pendere à cōditione de futuro. Caiet. verb. absolutio. cap. 1. Palud. in 4.d.17.q.3. Nau.cap.9. num. 6. & dicto cap. placuit. num. 104. Sylu. verb. confessor. 1.q.6. §. 8. tunc ratihabitio esset de futuro, quando dicerem, credo quòd prælatus meus quando intelliget hoc, ratum habebit. hoc non valet; quia (vt dixi) sacramentum non debet pendere à futuro euentu. Si verò est de præsenti, Valet; quando scilicet quis credit probabiliter, quòd de præsenti est gratum proprio sacerdoti, vt extraneo confiteatur. Sylu. & Nauar. supra vbi dicit in cap. placuit. suos auditores nunquàm potuisse capere hanc distinctionem de futuro, & de præsenti. est autem talis ratihabitio de præsenti, idem quòd tacita, seu implicita sacerdotis proprij licentia, de qua supra dictum est. Dicit autem Victor. q. 173. cui consentit Ledes. hanc ratihabitionem debere intelligi per aliquod signum externum, quia sola complacentia non dat iurisdi-

risditionem; alioqui res esset valde periculosa. nec tutò vsurpari posst nisi postquàm frequenti vsu approbata sit; nam aliàs absolutio confessoris non valeret; idemque teneretur pœnitens cum id sciuerit, iterare confessionem; quare potius esset requirendus consensus expressus. Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 3.

Trigesimum dubium. An delegatus ad audiendas confessiones possit subdelegare. Resp. negatiuè nisi in facultate sibi concessa hoc fuerit expressum. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 3. Nau. cap. placuit. num. 71. de pœnit. d. 7. vbi probat sufficere tacitam subdelegandi facultatem. Vt quando vicarius, vel parochus committit alteri vices suas, potest is alterum sacerdotem vocare ad audiendas confessiones; quamuis oppositum dicere videatur Sylu. excomm. 7. casu 14. dub. 11. & Riccard. in quodl.

Trigesimumprimum dubium. An ratione delicti aliquis sortiatur forum conscientiæ. vt scilicet quis teneatur confiteri cum parocho loci in quo peccauit. Resp. quòd licèt sortiatur quantum ad forum contentiosum, non tamen quantum ad forum conscientiæ, etiam si peccatum esset notorium; quia pœnitentia ponitur ob offensam Dei, ideo subijcitur in hoc ei quia habet iudicem loco Dei. ita Nau. cap. placuit. cit. num. 83. Sylu. verb. confessor. 1. q. 13. & alij.

Trigesimumsecundum dubium. An ratione studiorum, vel habitationis sortiatur quis forum conscientiæ. Resp. secundum Nau. cap. placuit. cit. num. 96. quòd ratione habitationis siue annalis, siue maioris annali, non sortitur quis forum conscientiæ quando alibi habet domicilium, & commodè potest adire parochum domicilij ad suscipienda ab eo sacramenta necessaria. si autem alibi non habet domicilium habitationis, vel illius parochum commodè adire non potest pro sacramentis suscipiendis, tunc ibi sortitur forum. ex quo intelligitur glos. in clement. I. de priuil. quæ ait, scholarium parochum esse illum cuius habitant parochiam. debet enim intelligi de illis scholaribus qui nullum alibi habent domicilium; vel certè parochum illius pro suscipiendis sacramentis commodè adire non possunt. Nau. ibid. num. 97. & concordat Sylu. verb. confessor. 1. q. 10. & sic intelligi potest Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 2. cum dicit debere confiteri parocho loci in quo habet do-

micilium. Secundo addo ex Nau. supra.num.85.quòd si scholares professi sunt ad scholas cum licentia suorum Episcoporum, & parochi,habent licentiam tacitam eligendi confessorem si non contraxerunt domicilium. Peregrini autem si contraxerunt, debent confiteri cum parocho illius loci. Sylu. supra.q.6.§.6.quomodo autem contrahatur domicilium, vide Sylu.verb.domicilium.

Trigesimumtertium dubium. An ex consuetudine possit aliquis eligere sibi confessorem qui verè illum absoluat. Resp. quòd consuetudo non potest induci vt quis possit eligere confessorem.cap.2.de pœnit.in 6.Secundo dico,posse per consuetudinem perscribi iurisdictionem in aliquos sufficientes ad audiendas confessiones: probatur ex cap.cum contingat.de foro compet.& ibi doctores.& data tali præsumptione,posset dicta iurisditio exerceri.Caiet.verb absolutio.cap.2.Sot.in 4.d. 18.q.4.art.2.& 3.Ledes.2.4.q.7.art.5.dub 8.ratio est vt notat So:us, quia tunc esset implicitus consensus superioris illud scientis,& consentientis.

Trigesimumquartum dubium. An quando sacerdos est ignoras, possit alteri confiteri sine licentia. ratio difficultatis est ex cap.placuit.de pœint.d.6.vbi dicitur,nemo audiat confessiones alterius sacerdotis,nisi confessarius sit ignarus;ergo textus expressè loquitur. Resp. prima opinio est affirmatiua. ita Sylu.verb.confessor.q.6.& citat pro se Hostiensem, & Archidiac.est Riccardi in 4.d. 17.q.7.Palud.ead.dist.q. 3. art.3. Medin. fol. 84. Aliqui intelligunt istam opinionem intelligi, quando sunt multi proprij sacerdotes, quòd ab vno licet ire ad alium. Si verò omnes proprij sint ignari, in tali casu licet. Secunda opinio est negatiua. Caiet.verb. absolutio. Victor.q. 145.Sot.in 4.d.18.q.4.art.3.& puto esse d. Thomæ in addit. q. 7.art.4.ad 3.& ad 5.vbi ait,in hoc casu pœnitens est,ac si non haberet copiam confessorum. Et hanc sententiam puto esse veram. probatur primo,ex cap. omnis vtriusque sexus. quod fuit posterius illo capite Vrbani.ergo saltem possemus dicere, quicquid sit de textu Vrbani, hoc caput correxisse illud caput Vrbani, quod forsan loquitur de publicis confessionibus, &c. Secundo, hinc nasceretur occasio murmurandi contra parochos, & relinquendi eos. Tertio, quia non est maior ratio in hoc, quàm si esset excommunicatus, vel mortuus. & tamen

tamen in hoc non licet adire alium ſine licentia ſaltem Epi-ſcopi.

Trigeſimumquintum. An liceat confitenti eligere confeſſorem in aliquo caſu quando non impetrauit licentiam à proprio parocho. Reſp. & Nota primo, Certum eſſe quòd quando petitur prædicta licentia ſine culpa ſacerdotis, vt verbi gratia ne reueletur peccatum complicis, tunc non obtenta licentia, non licet alteri confiteri. Palud. in 4. d. 17. q. 2. Adrian. q. 5. de confeſſione ad 4. ſimiliter quando pœnitens vult proprio ſacerdoti confiteri, ne opinionem bonam apud ipſum omittat, vel ſuper ipſum ne diligentiùs inuigilet; tunc enim non ſolum non licet alteri confiteri ſi negetur licentia, ſed neceſſariò reputabitur iſte carere confeſſore. Sylu. confeſſor. 1. q. 6. §. 1. Nau. cap. 7. num. 8. & in cap. placuit. num. 149. Item de eo qui per erubeſcentiam renuit parocho confiteri. Sylu. & Nau. ibid. Victor. q. 146. Secundo Nota, quòd quando petitur dicta facultas ob culpam confeſſarij, quòd ſcilicet ſit ineptus, vel ignorans, vel indiſcretus, vel quia ſolet reuelare confeſſionem, vel ſtimulare ad peccatum, vel aliud malum inferre corpori, vel animæ pœnitentis; de hoc ſunt duæ ſententiæ. Vna eſt, quòd liceat confiteri alteri in hoc caſu; petita ſcilicet & nõ obtenta licentia. eſt Palud. ſupra. Riccard. art. 3. q. 3. Sylu. verb. confeſſor. 1. q. 6. Adrian. de confeſſ. dub. 3. Hoſtiens. & aliorum. & dant exemplum de concubina plebani. & probatur ex cap. placuit. de pœnit. d. 7. Altera ſententia eſt vera. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 2. & videtur d. Tho. in addit. q. 8. art. 4. ad 5. Marſil. q. 12. art. 2. Caiet. verb. abſolutio. Medin. C. de confeſſ. q. de confeſſ. mulieris &c. can. relect. de pœnit. quòd ſcilicet in eo caſu recurrendum eſt ad ſuperiorem. quod ſi non poſſit, talis exſcuſabitur ac ſi non haberet copiam confeſſarij. probatur ex cap. omnis Vtriuſque ſexus. de pœnit. vbi abſolutè dicitur, quòd q. iuſta de cauſa voluit alieno cõfeſſori cõfiteri, licẽtiã à proprio ſacerdote petat, & obtineat. neque obſtat cap. placuit. de pœnit. d. 6. quia intelligitur licitum eſſe proprium deſerere obtẽta priùs ſuperioris licentia, vt exponit Sotus. Vel dici poteſt quòd non loquuntur de proprio. Verum hoc tempore cùm vbique ſint religioſi priuilegiati qui poſſunt omnium confeſſiones audire, vix locum habet hæc quæſtio.

Trigeſimumſextum dubium. An propriusſacerdos teneatur

audire confessiones suorum subditorum. Resp. in vno conueniunt omnes, quòd quando de iure diuino, vel humano aliquis tenetur confiteri, semper tenetur parochus illum audire. sed de alijs temporibus est dubium. Prima opinio est Riccard. in 4. d. 37. q. 3. quòd non teneatur illos audire nisi quando illi de præcepto tenentur confiteri. idem Sylu. verb. confessor. 1. q 18. Medin. q. de confess. per curatum &c. fol. 91. Secunda sententia est Adrian. in 4. q. 5. dub. 8. quam sequitur Sot. num. 18. q. 4. art. 2. & 3. in solutione 2. Nauar. cap. placuit. de pœnit. cap. 7. n. 152. qui tenent parochum teneri audire pœnitētes quoties illi rationabiliter petūt, vt scilicet liberentur à peccato. & hæc opinio videtur tutior, & probabilior. quod fusè probat Nau. quia id pertinet ad præcipuum bonum, & pascuum quod pastores tenentur exhibere ouibus; ergo tenentur audire. hoc verò intelligendum est quando aliqua magna occupatio non impediret parochum, & in iubilæis. at quādo pœnitens ostenderet sibi multum referre confiteri, parochus tenetur audire; aliter peccat mortaliter. Dices, An is quem parochus non vult audire, nec dat licentiam alium adeundi, possit quemlibet confessorem eligere. Resp. Sylu. & Riccard. supra, affirmant; quia tunc videtur dare tacitam licentiam. Oppositum tamen dicit Sotus. & ita tenendum est; quia est tutius; & patet ex supradictis.

Trigesimumseptimum dubium. Quid si aliquis cum intentione lucrandi Indulgentiam tempore iubilæi confiteatur, & absoluatur à censuris, & à peccatis reseruatis à confessore approbato, postea verò mutata intentione non impleat quæ in iubilæo præscripta erant, vt ieiunium, eleemosynam, communionem, &c. An talis fuerit absolutus. Resp. affirmatiuè, quia absolutio non fuit conditionata. Ita Nau. in miscellaneis de orat. num. 130. & in manuali cap. 27. num. 177.

Trigesimumoctauum dubium. An proprius sacerdos requisitus teneatur dare licentiam subdito alteri confitenti. Resp. affirmatiuè ex communi sententia, quia sic multis peccatis succurrit. d Tho. in 4. d. 17. q. 3. art. 3. & in opus. contra impugnantes religionem. cap. 4. Sylu. verb. confessor. 1. q. 16. Nau. cap. placuit. de pœnit. d. 6. num. 151. Imo d. Tho. in addit. q. 7. art. 4. ad 6. dicit peccare proprium sacerdotem si non fuerit facilis ad dandam hanc facultatem. & subdit, quòd qui subdi-

torum

torum conscientias per confessiones vult scire, & illis, & sibi periculum creat. Posset tamen aliquando ex iusta causa negare facultatem hanc vt alteri confiteatur. Sylu. supra. Palud. in 4.d.17.q.4.ar.3. Anton.3.p.tit.17. cap. 6. itaque de hoc non potest assignari certa regula.

De sigillo Confessionis. Cap. VII.



Primum dubium. Quid est sigillum Confessionis. Resp. est obligatio aliquid occultandi. d. Tho. in 4.d.21.q.1.art.1.q.3.ad 3. et est communis. Omni autem iure hoc sigillum præcipitur, diuino, naturali, positiuo, & Ecclesiastico; adeo strictè, vt in nullo casu liceat reuelare nullo præcepto, nullo metu, nulla causa, etiam si peccatum esset leue (nisi de pœnitentis licentia) nec ad hominis vitam seruandam, nec pro salute totius mundi siue temporali, siue spirituali. Caiet. verb. confessio cap.2. Nau. cap.8. nu.2. & alij. adde quòd nec Papa, nec tota Ecclesia potest circa sigillum dispensare vt non seruetur. Riccard. in 4.d.21.q. 2. ad 2. Scot. ibid. q.2. Dur. q.4. Sylu. verb. confessor. 3.q.3. & est tale, vt obliget etiam post mortem pœnitentis. Sot. in 4.d.18.q.2. Sylu. supra. Nau. cap.8. num. 7. fieret enim iniuria sacramento non minor quàm si in vita reuelaretur. & fieret etiam odiosa confessio; fieret quoque iniuria proximo; homines enim etiam post mortem desiderant bonum nomen. & insuper, quia hoc est præceptum negatiuum, quod obligat pro omni tempore; ergo non licebit reuelare; Sylu. supra. esset enim peccatum mortale sacrilegij. Caiet. verb. confessio. cap. 2. Nau. cap.8. num.2. Sot. in 4.d.10.q.4. art. 5. d. Tho. supra. Hinc sequitur quòd licet sacerdoti dicere se nescire ea quæ nouit per confessionem. Caiet. verb. confessor. in fine. Sot. in 4.d.18.q.2. art. 3. Medin. C. de confess. q. de confess. celanda. Sot. l. 5. de iust. q. 6. probatur ex August. ser. 5. ad fratres in eremo, *illud* (inquit) *quod per confessionem homo scit, minus scit quàm quod nescitur*. Item quia verbum *nescio* ex communi vsu non refertur ad ea quæ quis scit per confessionem. Hinc etiam infer-

infertur, quòd si confessor interrogetur an sciuerit tale peccatum, potest circa peccatum dicere, non memini. Imo potest expressè dicere, non audiui. Dices, quid siquis petat an in confessione audierit tale peccatum? Resp. si absolutè neget, erit mendacium; vt aiunt Caiet. Palud. & Sot. supra. similiter si respondeat, *nescio*; vel *non audiui*; nihil subintelligendo, vt ait Sotus. quia supposita tali interrogatione ex communi vsu, & de rigore est sensus, nescio, vel non audiui in confessione. Nota tamen quòd cùm non teneatur sacerdos respondere ad mentem interrogantis, licitum est æquiuocare, *nescio*; subintelligendo, vt tibi dicam, vel quid simile. Anton. 3. p. tit. 17. Ledes. 2. 4. q. 10. art. 1. dub. 6. Melius tamen respondere poterit, dicens; quòd religio prohibet respondendum in vtramque partem ad illas impias interrogationes. Nomen autem sigilli est metaphoricum, deductum à sigillo literarum sub quo secretæ latent literæ. sicut enim sigillum retinet rem occultam obsignatam in tabula, vel charta, ita obligatio rem celat. Nau. cap. 8. num. 1. & est duplex; vnum secreti, quod est legis naturalis; alterum confessionis, quod est ex lege diuina positiua, nedum de iure naturæ. dum enim præcipit Christus confessionem, necessariò præcipit sigillum sine quo non constaret inter homines confessio. Probatur quòd iure naturali sit seruandum; quia iure naturali præcipitur obseruantia secreti. prou. cap. 11. *qui ambulat fraudulenter reuelat arcana, qui autem est fidelis seruat amici commissum*. Confirmatur; quia sine fidelitate secreti periret maxima pars amicitiarum, consiliorum, negotiorum, &c. Confirmatur secundo: quia ex iure naturæ non debemus alijs facere quæ ipsi nolumus. Confirmatur tertio; quia vitia ex natura sua celanda sunt; virtutes verò manifestandæ. Secundo probatur de iure positiuo diuino; quia omnino ad præceptum confessionis est necessarium secretum, & sine sigillo non potest constare. Vnde cùm ex Ioan. 20. probauerimus præceptum confessionis, ex eodem colligitur præceptum sigilli. Confirmatur; quia ideo d. Tho. in addit. q. 11. docuit sigillum esse de necessitate confessionis, non quia sit de essentia, sed quia sine hoc illa constare non potest. Confirmatur secundo, quia sicut Deus tegit peccata pœnitentis, ita & minister eius debet tegere. Tertio probatur de iure Ecclesiastico, vt habetur de pœnit. d. 6. cap. sacerdos

cerdos contumeliosè viuat idem præcipitur ne fraudetur pœnitens sub pœna depositionis, vel vt semper peregrinetur, vel vt in perpetuo carcere viuat in arcto monasterio ad perpetuam pœnitentiam. cap. omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss.

Secundum dubium. Vtrum vnam confessionem liceat reuelare in alia: verbi gratia si quis aliquem malè absoluit, & si confiteatur opus est vt reuelet confessori peccatum pœnitentis illi noti. Resp. in eo casu reticendam esse potius illius circunstantiam si non sit copia, & Vrgeat necessitas. quia vinculo secreti confessionis est astrictus. Ita Scot. Palud. & Adriã. in 4. Nau. cap. 8. num. 6. & alij. quamuis Sot. in contrarium inclinet in 4. d. 18. q. 4. art. 3.

Tertium dubium. An de licentia pœnitentis liceat reuelare confessionem. Resp. Prima sententia negat; quia confessor illam scit vt Deus, ergo per nullius hominis facultatem potest reuelare. Alens. 1. p. q. 78. m. 2. & 4. p. q. 19. m. 2. art. 2. §. 1. Scot. in 4. d. 21. q. 2. Dur. d. ead. q. 4. Angel. verb. confessor. §. 5. & aliorum. Secunda sententia opposita est communis. d. Tho. in addit. q. 11. art. 4. Bonau. in 4. q. 21. d. 21. art. 2. q. 2. Palud. ibid. q. 3. art. 3. Adrian. q. de sigillo. & q. de confess. Sotus in 4. d. 18. q. 4. art. 6. & de ratione teg. secr. m. 3. q. 4. Victor. q. 157. & alij; qui dicunt licere ex iusta causa dummodo fiat sine scandalo, quia tunc sacerdos scit vt homo, ideo potest reuelare. consultius tamen esset vt ea iterum diceret extra confessionem; Sylu. verb. confessio 3. q. 3. non tamen est necesse. hinc patet quòd iusta causa dandi, vel petendi hanc licentiam, est vtilitas ipsius pœnitentis, vt exponunt Adrian. & Sylu. supra. Nau. cap. sacerdos. de pœnit. d. 6. num. 158. Medin. q. de licentia confitentis. Secundo patet ex cap. significasti. de adult. & ex cap. officij. de pœnit. & remiss. & ex cap. Matthæus. de Simonia. Tertio, quia hoc sigillum inductum est in fauorem pœnitentis, & confessionis, sed hoc non est in preiudicium vtriusque, ergo &c. Addo tamen quòd hæc licentia debet esse expressa, & non interpretatiua. item debet esse valde libera, & nullo modo coacta. vnde si vxor coacta à marito daret istam licentiam confessario, esset summum sacrilegium reuelare. imo nec confessarius deberet audire confessiones tales, quæ fiunt ad probandam innocentiam peccati. item licentia debet esse

valde

valde rationabili, idest pro bono spirituali, vel temporali alicuius; vnde si esset per modum ioci, vel simili modo, esset sacrilegium. Medin. supra. Nau. supra num. 157. & 159. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 6. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 22. §. 1.

Quartum dubium. An saltem cum eodem pœnitente qui confessus est, extra confessionem liceat colloqui de peccatis eius. ratio dubij est, quia hoc non est reuelare. Secundo, quia sacerdos potest illi prodesse monendo. Tertio, quia potest committere errorem in confessione de quo debeat illum emendare extra confessionem. Resp. negatiuè, quicquid dicat Palud. qui dicit licere occultè. licèt enim fortè non esset reuelatio sigilli, tamen esset facere exosam confessionem, & rubore suffundere pœnitentem. quando autem erratum esset in confessione, tunc vel esset petenda licentia ab eodem pœnitente; vel est reuocandus ad confessionem. & pœnitens tenetur vtrunque præstare. Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 6. Nau. cap. 24. num. 17.

Quintum dubium. An omnia in confessione audita cadant sub sigillum. Resp. Primo, sub sigillum cadunt non solum omnia mortalia cum suis circunstantijs, sed etiam venialia. ex cap. omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss. d. 6. & cap. sacerdos. ibid. vbi vniuersim de omnibus peccatis prohibetur reuelare. Item ex iniuria quæ fieret sacramento. Item ex scandalo, nam arcerentur homines à confessione. & ex communi sententia. d. Tho. in addit. q. 11. art. 2. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 5. & l. de secreto tegen. m. 3. q. 4. cond. 3. Nau. cap. 8. num. 9. Tab. verb. confessionis celatio. q. 1. Angel. verb. confessio vlt. §. 14. & alij. Secundo, non solum persona pœnitentis directè cadit sub sigillo confessionis, sed quæcunque alia cuius peccatum esset expressum in confessione. explico, nam persona vel consideratur per se, vel in ordine ad peccatum; si primo modo manifestatur, non est reuelare confessionem; vt si dicam, talis confessus est mihi peccata sua. Si autem secundo modo, vt si dicam, talis confessus est mihi magna peccata, vel furtum &c. vel dicam Petrũ murmurasse, quia sciui confessionem Pauli, hoc esset directè reuelare confessionem, ex communi sententia: Nau. cap. sacerdos. de pœnit. d. 6. nu. 160. Gabr. in 4. d. 21. q. Vnica. art. 1. Palud. q. 3. art. 2. Sot. supra. Tab. supra. q. 7. Sylu. verb. confessio. 3. q. 6. Riccard. d. 21. art. 4.

q.4. Tertio indirectè cadunt sub sigillo etiam res quæ non sunt peccata, ex quorum manifestatione possunt venire in notitiam peccati, vel peccatoris. Nauar. dicto cap. sacerdos. num. 160. & in manuali cap. 8. num. 13. Sot. supra. art. 5. Sylu. verb. confessio. 3. q. 3. d. Tho. & Riccard. supra. Victor. q. 188. Quarto, ea quæ generare possunt infamiam pœnitenti etiamsi peccata non sint, cadunt sub sigillo: vt quòd aliquis ortus sit ex nouis Christianis, vel sordidis parentibus, &c. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 5. concl. 1. Victor. q. 188. Quinto, reliqua omnia quæ in confessione audiuntur, quamuis non cadant sub sigillo confessionis, tamen celanda sunt, quoniam expressè vel interpretatiuè ea pœnitens tradit sub sigillo secreti. hoc enim obligat tum ratione scandali, tum ratione periculi reuelationis, tum ex natura ipsius secreti quod obligat iure naturali. d. Tho. in addit. q. 11. art. 2. Tab. q. 9. cit. Victor. supra. Sexto, ea quæ non pertinent ad peccata nec refert pœnitenti ea reuelare, neque sub secreto dicta sunt, præsertim si sunt in fauorem pœnitentis, vt illius patria, dignitas, officium &c. dici possunt. Dur. in 4. d. 21. q. 4. Palud. ibid. q. 3. Gabr. q. Vnica. Tab. q. 9. cit. Sot. & Victor. supra. non tamen dicat confessor se in confessione sciuisse. Sed optimum consilium est illa non dicere, vt notant Sot. Tab. & Victor, supra.

Sextum dubium. Quot modis reuelari possit confessio. Resp. Primo esse reuelatorem illum, qui auditis tribus, de vno dicit: iste non habet peccatum mortale; vel ista est Virgo. innuit enim alios habere peccatū mortale, & sic indirectè alteri detrahit. Medin. C. de confess. q. 51. Secundo, reuelat ille confessionem qui diceret, ego non absolui hunc: quicquid dicat Caiet. verb. confessio. ex eo quòd credit de rigore non reuelare, eo quòd possunt esse aliæ causæ non absoluendi præter indispositionem pœnitentis. Sed quia communiter negatur absolutio ob indispositionem, ideo non consentio cum Caietano. Tertio, qui cùm non absoluisset aliquem ad impedimentum, petenti deinde communionem negat. si enim peccator est occultus, debet dare; si verò publicus, potest negare dicendo: publico peccatori de quo debet constare publica pœnitentia, non est danda communio. Quarto, reuelaret qui peccatum tertiæ personæ auditum in confessione diceret; quia non solum peccata pœnitentis, sed etiam aliorum cadunt

ſub ſigillo. Quinto, eſt reuelator qui diceret aliquod peccatum veniale alicuius, qui multis annis antea diceret; etiamſi peccator non veniret in cognitionem aliorum, nec peccatum fuiſſe in confeſſione, quia auditores quòd putent me cognouiſſe in confeſſione vel non, non refert. Sexto, reuelator eſt qui de publico peccatore diceret, talis confeſſus eſt mihi ſua peccata publica. Septimo, Ledeſma dicit eſſe peccatum mortale ſiquis dicat in tali ciuitate cuius confeſſiones audiuit eſſe magna, vel multa peccata in vniuerſali. quamuis Nauadicat, de rigore non reuelare confeſſionem; tamen malè facere. ego crederem quòd ex modo loquendi aliquando eſſet peccatum mortale, aliquando non. Octauo, non reuelat confeſſionem qui dicit, talis confeſſus eſt mihi peccata venialia; quia certum eſt confeſſionem no poſſe eſſe ſaltem ſine venialibus. Nec qui diceret, iſte ſuis minutiſsimis peccatis obtundit mihi aures, & caput, ſecundum Nauarram. quamuis ſi colligerent auditores illum eſſe virum moleſtum, tunc non licet; quia non eſt in fauorem confeſſionis. Nec ſi dicat, audiui confeſſionem iſtius; niſi ex hoc aliquo modo indirectè poſſit cognoſci aliquod peccatum. Nec reuelat qui diceret concionatori, aut ſuperiori, vt habeat bonam curam contra aliqua peccata, niſi aliquo modo ſuperior poſtea poſſet venire in notitiam pœnitentis. Neque reuelaret qui diceret aliqua impertinentia ad conſcientiam pœnitentis, vt iſte eſt filius Ioannis. non tamen liceret dicere, iſte eſt illegitimus, vel eſt parui iudicij. Nec reuelaret qui diceret, ille confeſſus eſt mihi peccata ſua; ex Palud. in 4. d. 21. q. 3. art. 2. ad 6. Sylu. verb. confeſſio. 3. q. 10 Sot. d. 15. q. 4. art. 5. Nauar. cap. 10. nu. 11. & in cap. ſacerdos. num. 68. de pœn. d. 6. ratio eſt, quia cùm ſit omnibus notum confeſſionem eſſe de peccatis, nulla ſit iniuria perſonæ, nec ſacramento. & patet ex dictis.

Septimum dubium. Quid ſi confeſſor audiat confeſsionem publici peccatoris, an ſine reuelatione poſſet dicere, talis confeſſus eſt mihi pecca ſua? Reſp. Caiet. verb. confeſſor. affirmat. & ita tenendum eſt. niſi fortè per huiuſmodi affirmationem poſſet ſignificare talem confeſſum eſſe peccatum illud publicum. ſimiliter à fortiori cum hac moderatione dicendum eſt, quòd ſi confeſſor qui audit confeſsionem publici peccatoris dicat, talis confeſſus eſt mihi ritè, & illum abſolui,

non

non reuelaret confessionem. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 5. & l. de fer. m. 3. q. 4. concl. 3. Medin. q. de his quæ à confess. celanda sunt. & Caiet. verb. confessor. Nota tamen, quòd quando pœnitens id illi prohibuit, siue sit publicus, siue occultus peccator, non licet illud dicere. Nau. cap. 10. num. 18. & cap. sacerdos. cit. num. 71. vbi ait, ad id teneri non sigillo sacramentali, sed naturæ. Dices, si confessor audit peccatum publicum apud omnes, verbi gratia diceret, ille confessus est suum concubinatum, an reuelaret? Resp. affirmatiuè; quia licèt sit peccatum publicum, postquàm tamen ad confessionem delatum est, non licet illud extra proferre tanquàm confessum. Caiet. verb. confessor. Sot. & Nau. supra. & est communis.

Octauum dubium. An quando sacerdos alia via scit peccatum aliquod præter confessionem, teneatur celare sub sigillo. Resp. Altis. l. 4. q. de sigillo, dicit; quòd si sacerdos recipit peccatum in confessione, nullo modo potest reuelare. Alij dicunt, quòd si ante confessionem sciuit, & post confessionem non iterum scit, nullo modo potest. Contraria opinio est communis, licere tale peccatum reuelari quando opus esset, nec esset scandalum. legendus est Sot. l. de ratione teg. & deteg. secr. Palud. in 4. d. 21. q. 3. art. 3. concl. 3. Bonau. art. 2. q. 3. Sot. d. 18. q. 4. art. 6. Nau. cap. sacerdos. num. 161. de pœnit. d. 6. Medin. fol. 115. prob. quia aliàs fieret præiudicium veritati, & aliquis cogeretur mentiri, & innocens pateretur, & dolus alicui patrocinaretur. Secundo, quando aliquis commisisset delictum coràm duobus, quorum alter est sacerdos, & ille talis delinquens à sacerdote confiteretur, tunc sacerdos per confessionem illam non amittit ius quod priùs habebat. sed tunc poterat dicere, ergo & nunc. Primo addo, quòd si sacerdos haberet tantum indicia peccati sibi confessi, posset illa in publicum prodere, vt si pœnitens abscinderet marsupium confessario, potest dicere, nunc eram cum marsupio in templo, modo verò non inuenio. Sed in hoc est triplex cautela adhibenda: Primo vt nihil omnino dicat quàm id quod est extra confessionem. Secundo, quòd nullo modo potest dicere se in confessione cognouisse. Tertio, vt vitet scandalum. ait Medin. quòd pro vitando scandalo in aliquo casu debet exponere modum quo illud scit. Vt verbi gratia, quia vidit, audiuit, &c. Si enim diceret se sciuisse in confessione, frange-

ret sigillum;Caiet.verb.confessor.Nauar. dicto cap. sacerdos. num.22.& cap.8.num.5.& 10. Videndi sunt d.Tho.in 4.d. 21. q.4.art.3.& in addit. q. 11. art. 5. Alens. 4 p.q.78.m.2.art.4. Riccard.d.21.ar.4.q.1.ad 2.Bonau.ibid.art.2.q.3.Sylu. verb. confessor.3.q.5. Præterea,si extra confessionem scit sub dubio, alteri reuelare non debet; quia si diceret pro certo ex natura confessionis, reuelaret confessionem.Angel. verb. confessio. vlt.§.7.si ergo expediret vt talia peccata proderet, petat licentiam à pœnitente, vt supra dixi.

Nonum dubium. An reuelaret qui rogatus diceret, se publicum peccatorem aliquem non absoluisse. Resp.Caiet.verb. confessor.dicit,quòd talis de rigore non reuelaret.Oppositum tamen est verius.quia per hoc ex natura sua significatur, pœnitentem accessisse sine dispositione, quod citra reuelationem sciri non potest.Sot.in 4.d.15.q.4.art.5.concl.3.Nauar cap.8. num.10.& 18.& in cap.sacerdos.num.63.& 66.Petr.Sot. Lect. 11.de confess.Anton.3.p.tit.17. & alij.hinc patet quòd magis frangeret sigillum si dicat se non absoluisse, quia non vult restituere,vel quia est impœnitens;Caiet. & Sot. supra. Nauar. num.10.cit.& dicto cap.sacerdos.num.64. Dices; An qui hæreticum hæsitantem in confessione audiuit petentem consilium,vel propter obstinationem damnatum, possit dicere se non absoluisse? Resp. Sot.supra tenet licere, quia id ipsemet manifestat perseuerando in sua hæresi. Oppositum tamen tenet Dur.in 4 d.21.q.4.ad 3. & hoc est tenendum. cùm enim confessio fuerit sacramentalis quoad sigillum, etiam si pœnitens se prodat,celanda est. Quid ergo respondebit confessor si interrogetur? Dicat,feci officium meum. Sot. supra. & Nau.cap.8.num.14.Victor.q. 186.

Decimum dubium. An liceat reuelare peccatum in genere, vel specie sine peccatore, quando nulla penitus haberi potest suspicio peccatoris. Resp. Panor.in cap.omnis,dicit non licere.contraria tamen sententia est communis. & probatur ex cap.sacerdos. de pœnit.d.6.vbi dicitur, vt sacerdos id dicat cum magna cautela. Sed Nota Primo,quòd si esset aliqua synodalis constitutio in contrarium, illa debet seruari. Secundo, etiam si liceat in concionibus reprehendere peccata in confessione audita, tamen non dicat concionator se audiuisse in confessione, nam offenduntur aures prior um. Tertio,

quando

quando petitur consilium pro aliquo casu audito in confessione, valde cautè faciendum est.

Vndecimum dubium. An sit peccatum mortale ex genere suo reuelare peccatum minimum veniale pœnitentis: ratio dubij est, quia leuitas materiæ excusat in alijs. Resp. semper esse peccatum mortale. nisi fortè aliqua subita inaduertentia diceretur. ita Sot. & Nau. supra cit. quia ex hoc etiã deterrentur homines à confessione. & quia fit iniuria notabilis sacramento. nec excusat leuitas materiæ.

Duodecimum dubium. An sigillum oriatur ex quacunque confessione sacramentali, quæ scilicet fit animo accusandi se coram Deo. Caiet. verb. confessor. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 5. concl. 5. Nauar. cap. 18. num. 55. pro explicatione Nota primo, quòd quamuis aliquis dicat alteri, hoc tibi dico sub sigillo confessionis, non tamen inde insurgit sigillum sacramentale si dicat absque proposito confitendi peccata, & recipiendi absolutionem sacramentalem, vt docent doctores citati. Gabr. in 4. d. 21. q. 1. dub. 5. Palud. q. 3. art. 2. Petr. Sot. Lect. 11. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 22. §. 21. Victor. q. 190. & est communis. Secundo, hinc fit vt tale secretum obliget, vt quodlibet aliud extra confessionem detectum, vt ait Caiet. 2. 2. quæst. 70. art. 1. Sot. de secr. teg. m. 2. q. 7. art. 1. Nauar. cap. 18. num. 55. quàmuis Victor. q. 19. dicat quòd tenetur plusquam alia seruare illud secretum. Idem Ledes. q. 10. art. 3. dub. 3. Tertio, hoc procedit etiam si aliquis genibus flexis, & præmissa confessione generali tale secretum dicat, non tamen intentione confitendi. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 9. concl. 5. Nauar. cap. 18. num. 55. Quarto, à confessione quæ fieret ab aliquo animo decipiendi confessorem, vt illum inducendi ad aliquod peccatum, non oriretur sigillum sacramentale, qualis posset esse confessio hæretici, vel meretricis, quando confitentur sine proposito emendationis; quia ista non esset confessio, sed irrisio. neque hic est forum pœnitentiæ; nam hic potius est impœnitens, quàm pœnitens. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 5. & l. de teg. secr. m. 3. q. 4. concl. 2. dur. d. 21. q. 4. art. 3. Sylu. verb. confessio. 3. q. 5. & verb. confessor. 1. q. 4. Petr. Sot. lect. 11. de confess. & alij. Contraria tamen sententia affirmatiua est communis. Bonau. in 4. q. 21. par. 2. art. 2. Ricar. d. ead. Ledes. q. 10. art. 5. dub. 5. d. Tho. in addit. q. 11. art. 1. ad 1. vbi dicit contrariam esse

esse erroneam. Ego distinguo, quòd dupliciter potest pœnitens sic accedere ad confessarium. primo, volens se subijcere clauibus. secundo, animo decipiendi confessarium, vel recipiendi remedium pro peccato; si primo modo acedat, omnino seruandum est sub sigillo; quia iste est actus bonus in ordine ad sacramentum confessionis. confirmatur ex cap. quod quidam. de pœnit. & remiss. vbi Pontifex dicit, tales confessiones esse recipiendas. si secundo modo accedat, non est seruandum sigillum; quia illa est illusio confessionis. & multo minus sunt celanda sub sigillo ea quæ vulgo dicuntur ista phrasi; *hoc tibi dico in confessione*; quia verè ista non est confessio. Seruanda sunt tamen sub sigillo naturæ. Quinto nota, quòd vt ex confessione oriatur obligatio sigilli sacramentalis, non requiritur vt illam sequatur absolutio, sed vt pœnitens dicat peccata animo confitendi, & suscipiendi absolutionem quamuis non absoluatur. Palud. in 4. d. 21. q. 3. art. 2. ad 4. Caiet. Sot. Victor. supra. imo quando aliquis confitetur sine animo abstinendi à peccato, sed tantum petendi consilium, iuxta cap. cùm quidam. de pœnit. & remiss. ex illa confessione oritur obligatio sigilli; Sot. supra. Sexto nota, quòd hoc etiam procedit de peccatis perpetrandis quamuis dicto modo confiteretur. vt si confiteatur aliquem contractum esse licitum, & monitus esse vsurarium, voluit desistere; & sic de alijs. talia cadunt sub sigillo sacramentali; Sot. supra ar. 5. & l. de teg. secr. m. 3. q. 4. concl. 2. Gabr. d. 21. q. vnica. art. 2. Medin. q. de his quę à confessore celanda sunt. Nauar. cap. 9. & 19. Bonau. in 4 dist. 21. p. 2. art. 2. q. 1. d. Tho. ibid. & alij. quamuis oppositum sentiant Alens. Panor. & Innoc. quos cita Sotus.

Decimumtertium dubium. An aliquis alius præter sacerdotem teneatur seruare sigillum. Resp. primo, tenetur propriè, & principaliter ipse sacerdos seruare sigillum; & ipse solus dicitur reuelator. Palud. in 4. d. 21. q. 3. Sot. d. 18. q. 4. art. 5. concl. 4. & l. de teg. secr. m. 4. q. 3. concl. 4. Sylu. verb. confessio. 3. q. 1. Ledes. 2. 4. q. 10. art. 5. dub. 2. & probatur; quia in cap. omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss. solus sacerdos iubetur seruare sigillum. item quia ipse solus habet potestatem clauium ad cognoscendum peccatum in sacramento; ergo ipse solus tenetur seruare sigillum. Secundo, aliæ etiam personæ (præter sacerdotem) quæ nouerunt aliquo modo peccata confessa, vel

vel confitenda siue casu, siue data opera, tenentur seruare sigillum non solum iure naturæ, sed etiam iure diuino; quia id postulat natura huius sacramenti, à quo adeo sunt astricti, vt nec ad vitandam mortem illud reuelare possint; vt dictum est supra, dub. 1. Gabr. in. 4. dist. 21. q. vlt. Nauar. cap. 8. num. 7. & cap. 18. num. 51. & in cap. sacerdos cit. num. 42. & 116. Victor. q. 190. vnde Prælatus à quo petitur facultas in aliquo casu reseruato tenetur seruare sigillum; nec potest aduersus personam inquirere. Sot. l. de secr. teg. concl. 4. vbi docet inter seruatores sigilli esse varios gradus obligationis in seruando secreto. item doctor à quo consilium peteret confessarius Palud. in 4. d. 18. q. 3. art. 1. item interpres confessionis. item laicus cui quis confiteretur ex deuotione. item qui audiuisset aliquo modo iustè, vel iniustè, vel inuenisset scripta eius peccata, tenetur celare; Sot. supra. & d. 18. q. 4. art. 5. Nau. cap. sacerdos cit. num. 8. Ledes. 2. 4. q. 10. art. 5. dub. 2. & qui intelligeret esse peccata alicuius particularis, peccaret si legeret. Nau. cap. sacerdos num. 9. item is tenetur etiam seruare cui sacerdos fractor sigilli reuelaret. denique etiam ipsemet pœnitens. & quamuis aliqui summistæ agrauent istum casum, tunc putarem esse graue peccatum, quando cederet in damnum famæ confessarij. si autem sacerdos solicitaret pœnitentem ad aliquod peccatum, posset seruato præcepto correctionis fraternæ, admonere priùs confessarium; deinde reuelare si opus sit. Vnde sit

Decimumquartum dubium. An pœnitens teneatur celare quæ dicit ei sacerdos in confessione. Resp. quòd ex ratione sigilli cùm hoc non ad pœnitens, sed ad confessarios pertineat, non tenetur pœnitens celare consilium, & pœnitentiam sibi iniunctam, &c. Sot. de teg. secr. q. 4. concl. 4. dub. 3. Ledes. supra. dub. 2. Secundo dico, quòd quando ex reuelatione confessor pateretur detrimentum, esset peccatum mortale illud reuelare, vt ex hoc ille possit irrideri. Riccar. in 4. d. 21. q. 3. art. 5. Palud. d. ead. q. 3. art. 3. Gabr. ead. q. vnica. art. 3. concl. 4. Nau. cap. sacerdos cit. num. 115. nisi fortè ad capiendum consilium fieret, quando pœnitens sacerdotis imprudentia se sentit nimis grauatum. Sot. supra.

Decimumquintum dubium. An sacerdos possit se aliquo modo iuuare à notitia confessionis, idest quomodo in praxi se debeat

debeat gerere confessarius postquam habuit notitiam pœnitentis; modo ex hoc neque indirectè sequatur notitia peccati. Resp. Henricus de Gand. quodl. 8 quæst. 18. 19. & 31. dicit non posse in nullo casu. nec aliter se debet habere confessor post confessionem pœnitentis auditam, quàm ante illam. Sed debet se ita gerere, ac si prorsus ignoraret conscientiam pœnitentis. Contraria tamen opinio est communis. nam communiter docent doctores esse multos casus in quibus sine sigilli fractione potest notitia in confessione habita confessorem adiuuare, & eum cautiorem reddere. & hæc opinio est tenenda. Primo, quia hinc nulla sequitur peccati reuelatio, ergo &c. Secundo, quia per hoc non fit odiosa confessio ex natura rei, quamuis possit fieri ex defectu pœnitentis. Tertio, quia sunt multi casus (vt dixi) quos ponunt doctores, in quibus licet adiuuari. Primus casus est: Abbas vel alius prælatus nouit in confessione priorem vel rectorem esse perniciosum subditis, quos immediatè regit, an possit contra illum inquirere, vel punire, vel officio priuare. Resp. ex d. Tho. in 4. d. 21. q. 3. art. 1. ad 1. & in addit. q. 11. art. 1. ad 3. quòd prælatus absque læsione conscientiæ potest relinquere peccatum, & aliud adhibere remedium in foro conscientiæ, admonendo illum vt resignet officium. Vel alia occasione poterit illum ab eo onere liberare, ita tamen vt nulla detur suspicio ex causa reuelationis. ita d. Tho. quod. 5. art. 14. vbi dicit, quòd quando timetur periculum in posterum, & aliquis potest priuari officio sine suspicione reuelationis, vt quando officium sit amouibile ad nutum superioris, in tali casu debet auferre. melius tamen esset admouere vt resignet. Si autem peccatum est præteritum, & emendatum, vel non potest priuari officio sine suspicione reuelationis, (vt quando officium est perpetuum) tunc dicit non esse priuandum. est communis opinio. Bonau. in 4. d. 2. 2. p. art. 2. q. 1. Scot. q. 2. d. 1. Palud. q. 3. art. 3. concl. 3. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 22. §. 1. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 5. & l. de secr. teg. m. 3. q. 4. art. 5. Riccard. d. 21. art. 4. q. 2. ad 4. Sylu. verb. confessio. 3. q. 14. Tab. verb. confessionis celatio. & alij. addit tamen Riccardus adeo esse vitandam reuelationis suspicionem, vt non solum alij, sed nec ipse pœnitens possit venire in suspicionem per confessionem quamuis remotam. quod sequuntur Tab. Rosell. & Angel. quamuis non pla-

placeat Syluestro. Videtur tamen illa tutior ne daretur occasio detegendi peccatum, vel retrahendi homines à confessione. ex his patet, quòd quando peccatum est solum cognitum in confessione, non potest prælatus contra illum inquirere, sed potest tempore visitationis esse diligentior, & accuratiùs inuigilare. Sot. d. 18. q. 4. art. 5. hinc etiam infertur, quòd siquis in confessione sciat moliri proditionem, incendium, vel alia mala contra rempublicam, non potest reuelare, nec superiores si reuelaretur possent ob eam notitiam inquirere. debet tamen confessor monere præsulem in genere vt vigilet super vrbem, vel subditos; Sot. supra. & d. Tho. in 4. d. 21. q. 3. ar. 1. q. 2. Secundus casus. Confessarius scit per confessionem aliquem esse indignum prælatione, vtrum si intersit promotioni eius, posSit negare suffragium, vel reclamare. Resp. primo ex d. Tho. in 4. d. 21. q. 3. art. 1. affirmatiuè, non tamen licet indignum eligere. neque ex hoc daretur suspicio reuelationis confessionis, quia potest iudicari indignus multis de causis; vt propter defectum ætatis, scientiæ, &c. Resp. idem Palud. supra. Sylu. verb. confessio. 3. q. 15. Sot. l. de secr. teg. q. 4. lect. 4. dub. 1. Nauar. cap. sacerdos. num. 146. qui dicunt posse in tali casu negare suffragium, & debere. Sic etiam dicendum est de magistro nouitiorum in tali casu, qui potest dicere aliquem nouitium non esse idoneum ad religionem; quod non est reuelare confessionem. Sot. q. 4. cit. dub. 1. Quid siquis persuasisset electoribus vt eligant talem ante confessionem, & post confessionem animaduertat illum esse indignum? Sotus ait hunc casum esse metaphysicum, & non admittit. Nauar. dicto cap. sacerdos. ait incurrere pœnas indignè eligentes. idcirco Dico secundo, quòd si non potest quis reclamare, vel negare suffragium nisi dando suspicionem de peccato cognito per confessionem, tunc non licet; quia esset reuelare. Sylu. supra. & infertur ex d. Tho. supra. idem ait Sot. licèt (vt dixi) putet esse casum metaphysicum, qui vix accidere potest. Tertio dico, quòd si quis in eo casu elegerit indignum cùm non possit ritè, & tutò negare suffragium, non incurrit pœnas inflictas contra eligentes indignum. cap. cum in cunctis. de elect. & docent Palud. & Sot. supra. quicquid dicat Nauarrus dicto cap. sacerdos. num. 148. Tertius casus. si sacerdos nouit impedimentum matrimonij in confessione inter aliquos qui publi-

eè ab eo petant matrimonio coniungi, quid facere debeat. Resp. quòd parochus potest, & debet se excusare; quia ad idē tenetur. si etiam non posset sine periculo reuelationis confessionis se excusare, debet eos coniungere. Sot. l. de secr. teg. concl. 5. dub. 1. Secundò, si autem sit proprius parochus qui aliàs teneretur, quamuis posset se excusare sine periculo confessionis, Paludanus tenet quòd debet coniungere. & concordat Adrianus, quia habent ipsi ius ab eo petendi; licèt Sot. dicat posse impediri in eo casu. illud tamen est probabilius. Tab. q.4. supra. Angel. §.13. Nauar. cap. sacerdos. num. 144. Quartus casus. Episcopus dum publicè ministrat ordines, videt accedere eum quem scit in confessione esse irregularem, vel aliter indignum, quem tamen examinatores testantur esse dignum, an possit eum ordinare? Resp. primo, si non potest sine suspicione, vel iniuria illum repellere, tenetur illum ordinare; vt quando esset scripts in albo. Secundo, si posset sine suspicione repellere aliam causam prætexendo, id deberet; quia videtur facilè fieri posse, cùm varijs causis possit tribui huiusmodi repulsio, vt odio, falsa informatione. Sot. dub. 4. cit. Tab. q.4. & alij. Quintus casus. si monialis quam Episcopus scit in confessione non esse virginem petat benedictionem, potest ne eam repellere? Resp. eodem modo, quòd si non sequatur vlla suspicio reuelationis, posset. sin autem, tenetur consecrare. ita Tab. supra. tutius tamen puto cum Anton. supra §.1. quòd si Episcopus non nouit nisi per confessionem, non debet negare benedictionem; cùm in foro exteriori non constet. adde quòd vix fieret sine suspicione si aliter esset apta, & non posset sine scandalo prætermittere. quomodo peccet ipsa monialis, videndus est Sylu. verb. consecratio Virginum. Nau. cap. 16. num. 3. Sextus casus. sacerdos nouit in confessione pœnitentem esse excommunicatum, an teneatur illum euitare? Resp. Sot. tenet quòd si non potest eum euitare sine suspicione reuelationis, non euitet. si potest, euitet. Adrian. dicit, quòd debet eum priuatim vitare, non publicè. idem Nauar. cap. sacerdos. num. 145. Sot. verò l. de secr. teg. dub. 3. q. 4. cum Riccard. tenet, quòd nec priuatim tenetur vitare. nec obstat caput cùm non ab homine. de sent. excomm. quia non censetur loqui de notitia quæ habetur per confessionem. Sylu. verb. confessio. 3. q. 17. hinc etiam sequitur, quòd in paschate non possit

possit parochus negare tali communionem publicè petenti. si tamen aliàs peteret cùm dare non teneatur, posset negare; quia tunc non tenetur ministrare, secundum Anton. supra. ex Palud. mihi tamen probabiliter videtur opinio Riccardi, & Soti, quam sequitur Tab. supra. q. 13. quod locum habet de quolibet excommunicato nominato. Septimus casus. Prælatus scit in confessione aliquem subditum peccare in loco ad quem ipse aliàs facilè mitteret; an ex notitia quam habet in confessione, possit hoc illi prohibere? Resp. si nulla inde suspicio oriatur, posset illi negare licentiam, & secretò monere. Anton. supra. & Nauar. dicto cap. sacerdos. num. 74. Octauus casus. sacerdos habet famulum quem in confessione scit esse furem: an posset illi pecuniam non credere, vel expellere domo? Resp. Affirmatiuè ex aliqua ficta causa; quia inde nulla orirètur suspicio. ita Sotus supra. dub. 1. Nonus casus. si sacerdos iter faciat cum latronibus, & in confessione sciat, quòd vnus ex illis vult eum occidere in nemore, an debeat potius mori, quàm declinare cum periculo reuelationis confessionis? Resp. Riccardus putat non esse declinandum. Sed Scot. Sylu. q. 19. Tab. supra. q. 12. d. Tho. Soti & alij, dicunt ex alia occasione posse declinare. si tñ esset casus possibilis, q̄ vel reuelãda esset, vel moriẽdũ, tũc vera esset opinio Ricc. nec alij dissẽtirẽt. & ita intelligitur Nau. supra. n. 135. q̃ tamẽ casus vix potest accidere, vt ait Sotus supra dub. 1. quare regulariter sequẽda est opinio communis; quia cùm is sit actus indifferens, non reuelaretur confessio declinando. Decimus casus. si quis sacerdoti daret vinum veneno mistum in missa, & post consecrationem confiteretur ei hoc peccatum, an teneatur sumere? Resp. hic casus resoluitur ex supradicto, quòd non; quicquid suspicarentur astantes. ita Sot. dub. 1. cit. Vndecimus casus. confessor pro peccato publico dat pœnitentiam publicam, an ob id censeatur reuelare? Resp. negatiuè ex d. Tho. in 4. d. 14. q. 1. art. 5. ad 1. Tab. supra. q. 12. Armill. verb. confessor. §. 11. & alij. Intellige tamen si pœnitens consentiat. sed debet cauere ne indirectè intelligatur ipsum dedisse illam pœnitentiam, quia graue peccatum confessum conijceretur. ideo debet ita imponere, vt penitentem illam sua sponte facere intelligat. ipseque id dicat. alioquin potius abstinendum esset in eo foro; quod ait concilium Trid. sess. 14. cap. 8. de reform. intelligitur de foro

misto exteriori, vt ait Nau.cap.8.num.10. & dicto cap. sacerdos.num.88.Sot.in 4.d.19.q.2. art. 5. ob eandem causam caueat sacerdos ne det pœnitentias quæ fieri non possunt nisi dādo suspicionem de peccatis grauibus confessis, vt sunt ieiunia, flagellationes, &c. Nau.cap.10.num.17. Dices quę sit pœna frangentis sigillum confessionis. Resp. debet deponi, & detrudi in arcto monasterio ad agendam pœnitentiam. cap. omnis vtriusque sexus. de pœnit. d.6. alijs etiam affligitur pœnis, de quibus in cap. sacerdos. de pœnit. d.7. & ibid. Nauar. num. 120. Tab. verb. confessionis celatio. q.15. & alij. in foro autem conscientiæ pœna est arbitraria.



TRA-

TRACTATVS OCTAVVS.

De Satisfactione. Caput vnicum continet nonnulla dubia.



RIMVM dubium. Quid, & quotuplex est satisfactio. Resp. Hoc verbum satisfactio sumitur tripliciter. Primo largissimè, & tunc se extendit ad omnes actus virtutum, & vitiorum; vt quando dicitur, satisfeci meo appetitui. Secundo sumitur largè, & se extendit tantum ad actus virtutum; & sic pertinet ad omnem iustitiam, commutatiuam, distributiuam, & legalem. Tertio sumitur propriè, pro eo quod est recompensare pro aliqua iniuria, vel damno illato, præsertim Deo. & quia hoc potest dupliciter contingere, aliquando pro culpa, aliquando pro pœna; si primo modo sumatur, includit confessionem, & contritionem; vt si dicas, an possit homo satisfacere pro culpa. si secundo modo, potest adhuc dupliciter contingere, vel vt sit voluntaria satisfactio, velut est iniuncta à sacerdote. & hoc vltimo modo sumpta, est tertia pars pœnitentiæ sacramentalis. & imponitur non pro pœna æterna quæ pro sacramento, vel pro sacramenti voto vnà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali quæ non tota remittitur vt in baptismo quando post illud peccauerunt, vt docet concilium Trid. sess. 6. cap. 14. de iustif. Sot. in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. Castr. aduersus hæres. verb. pœnit. Nauar. cap. 3. num. 2. & satisfactio sic propriè sumpta differt à restitutione, quæ est redẽptio rei alienę. Nau. cap. 3. num. 1. Sot. supra. Hæc autem satisfactio definitur sic; satisfactio est actus iustitię vel vindicatiuæ, vt ait d. Tho. in addit.

addit.q.12.vel commutatiuæ, vt in 3.p.q.81.art. 2. & 3. & vtroque modo concilium docuit pœnitentiam esse virtutem specialem,reductiuè tamen reduci ad iustitiam;tamen est speciali virtus. Rursum vel satisfactio consideratur vt pœnitens punit se,& sic est iustitiæ vindicatiuæ. vel vt Deo reddit æquiualens pro iniurijs illatis, & sic est iustitiæ commutatiuæ. Rursus satisfactio sumitur dupliciter, vel secundum se, vt est à libero arbitrio;vel vt est cum gratia Dei coniuncta. item est quædam satisfactio quæ vocatur reconcilians; alia quæ vocatur soluens, vel puniens, vt dixi; illa respicit culpam, hæc verò pœnam. Item potest esse satisfactio duplex, quantum ad modum, quædam de iustitia, & de condigno; quædam de congruo; & illa prior est duplex, quædam de rigore iustitiæ, qualis fuit Christi satisfactio. alia est de iustitia, sed non de rigore. Item supponendum est aliud esse mereri, aliud satisfacere: nam mereri est aliquid facere cui debeatur lucrum,& merces. satisfacere verò est pro illato damno recompensare. Definitur etiam secundum Ansel. l. cur Deus homo,satisfactio est honorem Deo debitum reddere.vel secundum August.l.de Eccles. dogm.cap.54. est peccatorum causas rescindere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere.vel secundum d.Tho.in addit.q.12.art.3. est iniuriæ Deo illatæ recompensatio secundum æqualitatem iustitiæ cum proposito cauendi in futurum. Sot. in 4. d.19.q.1.art.1. Sylu. verb.satisfactio.& adduntur ex cano, satisfactio. de pœnit. d. 3. Dixi, *ad quandam iustitiæ æqualitatem*; quia homo etiam in gratia non potest satisfacere ad æqualitatem,nisi ex liberalitate diuina. si autem iniungamus merita nostra cum meritis Christi sicut membra corpori virtute passionis eius,satisfacimus ad equalitatem.Sot.supra.art.2. Victor. q. 99. Petr. Sot. lect. 1.de satisfactione.& Caiet.Dixi, *cum proposito, &c.* quia hic est finis satisfactionis, vt patet ex Trid.sess.14.cap 8.Nota tamen hoc intelligi de satisfactione iniuncta in sacramento pœnitentiæ.si enim illam quis spontè sumeret,erit satisfactio, sed non sacramentalis.Ledes.2.4.q.11.art.1.

Secundum dubium. An possit homo satisfacere pro culpa, & pœna æterna. Resp.Decanus Louan.art.6.affirmat. & putat esse opinionem d.Thomæ in addit.q.13.distinguit autem tria genera operum; quædam præcedentia gratiam, quædam

conco-

concomitantia, quædam subsequentia. Prima dicit non satisfacere pro culpa; Secunda satisfaciunt pro culpa; & vltima pro pœna. Scotus autem sicut admittit meritum de congruo, ita debet etiam admittere satisfactionem de congruo. Ego dico primo, quòd pro culpa, & pro pœna æterna nullus homo purus satisfacere potest de condigno. Hic autem non loquor de pœna temporali, sed de culpa, nam de pœna contrarium dicemus in dubio sequenti. Nec loquor de satisfactione Christi, qui non solum de iustitia, sed de rigore satisfecit; sed loquor de satisfactione puri hominis; & per purũ hominem intelligo exclusionem Deitatis, siue iste habeat gratiam, siue non; siue sit in peccato mortali, siue in puris naturalibus. Nunc probatur mea conclusio contra Decanum: Primo, ex concil. Trid. sess. 6. cap. 6. & 7. vbi dicitur hominem iustificari per gratiam, & redemptionem quæ est in Christo. & cap. 14. dicitur satisfactionem non fieri pro pœna æterna quę cum culpa remittitur, sed pro temporali. sed iustificatio includit non solum gratiã, sed remissionem etiam pecati; ergo non est satisfactio pro ipsa culpa, & peccato. Secundo, quia gratia gratis datur, & eius immediatus, & primarius effectus est peccati remissio; ergo si gratia non potest cadere sub meritum, ita neque eius effectus. Tertio, remissio peccati saltem in aliquo genere causæ præcedit gratiam; ergo sicut gratia subsequens non cadit sub meritum, ergo neque peccati remissio. Dico secundo, quòd pro culpa & pœna æterna valde probabile est, quòd purus homo possit satisfacere de congruo. Probatur primo, quia scripturę dicunt nos eleemosyna, & alijs operibus redimere peccata. Luc. 19. ait Zachæus: *si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Matth. cap. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Rom. 6. & 2. Cor. 7. *sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati, ita sanctificationi*; vbi loquitur de multis operibus satisfactionis. ita & ad hebr. 6. & 10. *Acbab humiliatus est pro peccato in cilitio, & cinere.* Hierem. 31. Dan. 4. agit de eleemosyna. Iob 42. agebat pœnitentiam in cinere & fauilla. Dauid lauabat per singulas noctes stratum, & lectum, &c. Secundo, probatur ex sanctis patribus. Greg. Hom. 20. Euang. & Chrysost. Hom. 10. Iren. lib. 3. cap. 5. dicit, primum hominem confecisse satisfactionem in se ipso folijs ficus. Tertull. l. de pœnit. describit morem, & habitum pœnitentiæ, & ait: nemo liber est

à pec-

à peccatis, quia de eis doluit, nisi & ieiunauerit. Cypr. Serm. 5. de lapsis, multa dicit contra hæreticos negantes opera satisfactoria; dicit, fugiendos esse eos qui contrariam doctrinam docent, quàm eos ipsos Tyrannos persequentes fideles, quia satisfactionis viam claudunt, & spem salutis adimunt. & in epist. ad Cornelium, multa prosequitur contra nimis indulgentes satisfactionibus, qui dant operam ne iustis satisfactionibus delicta redimantur. Orig. hom. 8. in Leuit. August. de vera, & falsa pœnit. & in psal. 50. super illud: *ecce enim veritatem dilexisti*. id est impunita peccata eorum quibus ignoscis non reliquisti; ignoscis confitenti, sed se ipsum punienti. Chrysost. hom. 10. in Matth. Ambr. ad Virginem lapsam describit formam pœnitentiæ; *tu facti proprij iudex esto crudelior*. idem ser. 30. & 31. de eleemosyna, multa dicit. *pecunias habes, redime peccatum tuum*. & l. 2. de pœnit. cap. 8. Hieron. in Epitaphio Paulæ laudat eam de pœnit. & satisfactione maxima. & in Malachiam, *qui peccator est, cubet in sacco, vt prateritas delitias vita austeritate compenset*. Gregor. hom. 34. in Euang. Ansel. l. cur Deus homo. Basil. in regul. breui. vocat pœnitentiam baptismum laboriosum. Ber. in ser. de Cœna Domini. Tertio, ex Pontif. & Concil. Leo epist. ad Episcopum Louaniensem. Leo X. in bulla contra Lutherum. ex concilio Later. & Flor. & ex Trid. sess. 14. cap. 8. Quarto, quia vsus erat antiquæ Ecclesiæ vt ante reconciliationem imponerentur opera satisfactoria quæ valerent ad peccatorum satisfactionem, non de condigno, ergo de congruo. Dices primo, sicuti istæ satisfactiones sunt de congruo; cur etiam non dici debent de condigno? Resp. quòd homo antequam gratiam recipiat adhuc iniustus est; satisfactio autem acceptatur de congruo à Deo. & licèt in priori naturæ gratia præcedat, tamen in illo priori non consideratur homo iustificatus. Secundo dices; quid est illa opera esse satisfactoria de congruo pro culpa? Resp. ex parte Dei, dicit liberalitatem, & decentiam, imo & promissionem, qua Deus promisit sic facienti remittere peccata. Secundo ex parte hominis, quia facit totum quod potest facere. Tertio, ex parte ipsiusmet operis, quod licèt non sit cum gratia coniunctum, est tamen ex speciali Dei auxilio. Tertio dices, quare gratia facit opus gratum de condigno, & speciale auxilium non? Resp. quia per hoc auxilium homo non est iu-

est iustus adhuc; est enim donum spiritus sancti nondum tamen inhabitantis.

Tertium dubium. An satisfaciens pro pœna, satisfaciat de iustitia, nec ne. Resp. Caiet. 1. p. q. 1. art. 2. dicit, quòd satisfacit de rigore iustitiæ, quia est membrum Christi, qui sic satisfecit. Medin. fol. 118. concedit satisfacere de rigore iustitiæ quando solueret totam pœnam in purgatorio, vel in hac vita, tantam pœnam infligeret Deus, quanta responderet pœnæ purgatorij. Communis tamen opinio est, quòd de condigno quidem est ista satisfactio, non tamen de rigore iustitiæ. Idcirco Dico, quòd homo cum gratia Dei existens satisfacit pro pœnis suorum peccatorum de condigno quidem, non tamen de rigore iustitiæ. Dico *in gratia*, quia, (vt infra dicam) existens in peccato mortali, non potest satisfacere. Dico etiam *in gratia* ad excludendum hominem in puris naturalibus, qui similiter non potest satisfacere, nam satisfactio fundatur in gratia. Dico *pro pœnis*: nam pro culpa non est satisfactio de condigno. Nunc probatur, quòd homo in gratia Dei existens satisfaciat pro pœnis suorum peccatorum, &c. Primo, quia gratia est quæ reddit opus æquiualens; ergo de iustitia valet; quia æqualitas dicit rationem iustitiæ. Secundo, quia per gratiam applicantur nobis Christi merita; ergo inde sumunt rationem iustitiæ. probatur nunc quòd non de rigore iustitiæ potest satisfacere; quia ad hoc requireretur, vt ex proprijs satisfaceret, sed nostra satisfactio habetur ex gratia, & acceptatur à Deo. Dices, videtur esse contradictio in d. Thoma; nam in addit. q. 12. ad 1. dicit, nostra opera habere quandam æqualitatem ex infinita misericordia Dei cum infinita offensa; & tamen in q. 13. in corpore dicit, nostra opera non posse habere æqualitatem cum offensa Dei. Resp. quòd nostra conclusio conciliat vtrunque locum; nam primus intelligitur de condignitate; secundus de rigore iustitiæ. Secundo petes; An opinio Caietani supracitata possit teneri. ratio dubitandi est; quia opera nostra innituntur operibus Christi, qui de rigore satisfecit; ergo & opera nostra. Resp. opera nostra considerari in ordine ad opera Christi dupliciter: Primo, vt effectus ad suam causam; ab illa enim accipiunt gratiam, per quam nostra acceptantur. & quia effectus non solent adæquare virtutem causæ, ideo Christus de rigore satisfecit; nos

minimè. Secundo vt pars in ipso toto, & vt opera membrorum cum capite. & in hoc sensu est vera doctrina Caietani, sed quia communis vsus intelligendi est primo modo, ideo in illo sensu procedit nostra conclusio.

Quartum dubium. An vnus pro alio satisfaciens, de iustitia id faciat. Resp. Sot. in 4. d. 19. q. 1. art. 4. Viuis valere ex iustitia, defunctis per modum suffragij. Medin. q. 5. de satisf. dicit vtrisque valere per modum suffragij. alij verò dicunt valere vtrisque ex iustitia. Ego dico primo, posse hominem vnum satisfacere pro alijs. est fides catholica, dummodo tam is qui satisfacit, quàm is pro quo fit satisfactio, sint in gratia. Probatur primo, ex articulo illo, *sanctorum communionem*. cuius sensus est: quòd in Ecclesia Dei, quæ est sancta, est ista communicatio, non solum in temporalibus vt hæretici dicunt, nam hoc intelligitur in republica politica; sed etiam in spiritualibus. ad ephes. 4. & Rom. 12. Paulus vtitur similitudine membrorum corporis, quæ inuicem se adiuuant. Gal. 6. *alter alterius onera portate*. Rom. 5. dicitur, quòd Macedonia, & Achaia voluerunt mittere aliquid eleemosynarum ad pauperes qui erant Hierosolymis, &c. Psal. 118. *particeps sum ego omnium timentium te*. Coloss. 1. *gaudeo in passionibus meis pro vobis, &c.* Secundo probatur ex Gen. 18. Dominum pepercisse Sodomitis si inuenisset decem iustos. Propter lacrymas viduæ suscitatur adolescens, Luc. 7. Tertio in republica ciuili inuenitur hæc connexio, quòd solutio vnius acceptatur pro altero, ergo magis in republica Christiana quæ fundatur in charitate Dei. hæc etiam ratio valet pro defunctis, quia est eadem Ecclesia, idem caput Christus. Secundo dico, quòd is qui satisfacit debet esse in gratia, vt infra dicam. tum quia satisfactio habet valorem ex acceptatione, & gratia Dei, Vnde si satisfaciens sit in peccato, nihil fit. tum quia cùm Deus ex eadem gratia acceptet satisfactionem vnius pro alio, nec recipiet Deus, si ille non erit in gratia. & tunc satisfactio redit in satisfacientem, vt Dauid; *reuertetur oratio in sinu meo*. & si non indiget, reponetur in thesauro.

Quintum dubium. An hoc quod dictum est vnum pro alio satisfacere, intelligatur etiam de pœnitentia sacramentali? Resp. Palud. in 4. d. 20. q. 3. art. 1. dicit in duobus casibus valere. Primo, quando esset homo occupatus grauibus negotijs.

Secundo

Secundo, is per quem fit pœnitentia est dignior persona, & melior coram Deo, quia in his datur Deo aliquid melius. confirmatur; quia in voto potest quilibet autoritate sua commutare in aliud quod est longè melius; ergo eodem modo est in alijs. Ego Dico ex communi consensu omnium, non licere; quia pœnitentia est pars sacramentalis, ergo est personalis. Secundo, quia est pœna data in remedium peccatorum. Tertio, quia est pœnitentia iniuncta à iudice ordinario: cui obediendum est. Ad argumentum Paludani, Resp. negando sequelam. Ad id de voto, Resp. illud valere, quia scimus Deum esse contentum illo; non tamen hic esse idem: ex quo sequitur sacerdotem debere pœnitenti iniungere pœnitentiam per se ipsum complendam; quia pœnitentia debet esse actus sacramentalis, & personalis: nisi quando vtrunque simul coniungeretur; vt siquis iniungeret pœnitentiam vt daret eleemosynas ad celebrandas missas.

Sextum dubium. An si vnus iubet alteri satisfactionem faciendam, & iubens est in charitate, exequens verò minimè, sit valida. Resp. si opus quod fit est magis præcipientis, quàm exequentis, valet; aliàs non: exemplum primi: si Dominus iubeat œconomo dari eleemosynas, exemplum secundi; si prælatus iubeat subdito vt ieiunet pro alio: similiter si clericus est in peccato mortali recitans officium mortuorum pro defuncto priuatim, non est satisfactorium: si autem in choro, valet; quia in persona Ecclesiæ facit.

Septimum dubium. An pœnitentiam in confessione iniunctam possit quis per alium implere. Resp. negatiuè; quia imponitur tanquam satisfactoria medicina ad correctionem. Vnde est onus personale. d. Tho. in addit. q. 13. ar. 9. & est communis: excipitur tamen casus necessitatis in quo est consensus interpretatiuus confessarij: quando scilicet quis eam implere non potest propter impotentiam, vt infirmitatem, paupertatem, &c. potest illam implere per alium. Dur. in 4. dist. 20. q. 2. Gabr. d. 26. q. 2. dub. 88. Sot. dist. 19. q. 2. art. 4. Victor. q. 206. Medin. q. 48. de confess. Sylu. verb. satisfactio, quæst. 3. similiter quando expressè confessor exponeret pœnitentiam vel per se, vel per alium implendam; vt peregrinationem, eleemosynam, &c. tunc vnus potest pro alio satisfacere. Sot. & Victor. supra. Sylu. & Palud. non sunt admittendi, vt scilicet homo fa-

sitat meliora opera, vel satisfaciat per alium qui sit melior ipso. an verò vnus possit satisfacere pro alio, absolutè pro peccatis commissis, certum est de fide, cùm credamus *communionem sanctorum*, vt supra dictum est dub. 4.

Octauum dubium. An quòd vnus pro alio satisfaciat, fit ex iustitia, an potius ex sola Dei liberalitate? ratio dubij est, quia Deus non tenetur acceptare pœnitentiam vnius pro altero, sed potest exigere ab illo eodem qui peccauit, quòd si non facit, istud est ex quadam liberalitate. Resp. licèt possit teneri, quòd non valeant ex iustitia, tamen melius est vt valeant ex iustitia. probatur; quia vbi redditur æqualitas, est ratio iustitiæ; hic redditur æqualitas; ergo hic est ratio iustitiæ. Secundò; quia in republica ciuili quando vnus soluit pro alio, est iustitia; ergo & hic. Ad difficultatem Resp. certum est nostras satisfactiones non dicere rationem iustitiæ rigorosæ, sed fundari in aliqua gratia, & acceptatione Dei.

Nonum dubium. An omne opus satisfactorium sit etiam meritorium augumenti gratiæ, & gloriæ. ratio dubitandi est; quia satisfactio est solutio meriti cui non datur merces; nihilominus est res omnino indubitata omne opus satisfactorium esse meritorium; quia licèt qua parte est pœnale satisfaciat; qua parte autem est in charitate, non debet perdere meritum suum. magis dubitandum esset an sint æqualiter meritorij omnes actus satisfactorij, verbi gratia ieiunent duo pari charitate, quorum alter habeat debita quæ soluat, alter non; tunc si esset æqualiter meritorium tale ieiunium, videtur esse inæqualitas: quoniam vnius ieiunium est solutorium pœnæ, alterius non, quia non adest pœna soluenda. Resp. supposita pari charitate, esse pariter meritorium, quoniam ex eo quòd vnus habeat soluendas pœnas, non est suo merito defraudandus. illius autem ieiunij satisfactio, qui non indiget, non perit, sed ponitur in thesauro Ecclesiæ.

Decimum dubium. An satisfactio sacramentalis sit de præcepto, ita vt teneatur pœnitens acceptare pœnitentiam, nam de voluntaria certum est non esse de præcepto. idest An pœnitens qui vult differre pœnitentiam in purgatorio possit absolui sine impositione satisfactionis. Resp. prima opinio est illorum qui dicunt, posse, idest, quòd non tenetur acceptare, neque complere. Caiet. verb. satisfactio. & verb. confessio. &

quæst.

q. 1. de satisfactione ad 2. Adriam q. 2. de confess. Scot. in 4. d. 17. q. vnica. art. 1. sed. 1. 9. in fine dicit non teneri pœnitentem acceptare pœnitentiam, sed acceptatam teneri complere. Gabr. d. 6. q. 2. Medin. C. de confess. Nauar. cap. 26. num. 20. Lec. dest. 2. 4. q. 20. art. 4. concl. 2. Secunda opinio opposita est Palud. in 4. d. 20. q. 2. Maior. d. 17. q. 2. Anton. 3. p. tit. 18. cap. 9. Castro l. 2. de lege pœnali. Victor. q. 209. d. Tho. in addit. q. 18. art. 3. Petr. Soc. lect. 2. de satisf. Cano. Sot. Riccard. & alij, & est communis, & tenenda: probatur ex Trid. sess. 14. cap. 6. & 8. vbi dicitur, quòd sacerdos est iudex non solum ad satisfaciendum, sed etiam ad ligandum. habet enim potestatem soluendi & ligandi. & sess. 6. cap. 14. vbi ait: pœnitentiam post baptismum non solum includere contritionem, & confessionem, sed etiam satisfactionem, quæ fit per ieiunium, eleemosynas, & orationes. Secundo, ex cap. omnis vtriusque sexus. vbi dicitur, pœnitentem pro viribus debere adimplere pœnitentiam iniunctam. Tertio, quia illa pœnitentia est pars sacramenti, licèt integralis, res autem magni momenti est facere truncum sacramentum, quare tenetur pœnitens acceptare pœnitentiam rationabilē sub peccato mortali, ob dictas causas. Non tollitur tamen quin possit pœnitens rogare, vt aliam iniungat, verbi gratia orationem potius quàm eleemosynam. Dices, An pœnitens teneatur acceptare omnes pœnitentias quas iniungit? Resp. tenetur omnes moderatas. Intelligo moderatas non solum pro ratione criminis, sed etiam habita ratione circunstantiarum. Secundo Dices, An sub mortali teneatur pœnitentiam iniunctam adimplere? Resp. affirmatiuè; pro mortalibus tenetur adimplere sub peccato mortali, nisi vel impotentia excusaret, vel esset ratio commutandi pœnitentiam.

Vndecimum dubium. An opera extra charitatem facta sint satisfactoria. Resp. prima opinio respondet affirmatiuè, Scot. in 4. d. 15. q. 1. art. 4. Gabr. d. 16. q. 2. dub. Marsl. q. 11. art. 3. Secunda opinio dicit, quòd de congruo ex parte Dei videtur posse dici illam valere. est Medin. fol. 126. Tertia est communis negatiua. est d. Tho. in addit. q. 13. & in 3. p. q. 89. art. 6. Bonau. in 4. d. 15. art. 1. q. 2. Palud. d. 15. q. 1. art. 4. Caiet. q. 2. de satisf. Adrian. ibid. Soc. d. 19. q. 1. art. 4. Ego dico primo, qui est in peccato mortali non potest satisfacere neque pro peccatis in quibus est, neque pro alijs; ac non solum non potest satis-

facere pro culpa, sed neque etiam pro pena temporali peccati dimissi, siue pena sit iniuncta, siue non. probatur primo ex scrip. 1. cor. 1. cor. 13. ita. 58. Eccles. 34. prou. 11. 1. Petr. 4. *Dona impiorum non probat altissimus*. impossibile est enim vt per opera quæ non placent Deo satisfiat; talia sunt opera peccatoris, cùm sit Dei inimicus. Victor. q. 201. Nau. de penit. d. 6. num. 45. Secundo inter nos & Deum non est vera ratio iustitiæ; ergo hæc iustitia nostra debet fundari in acceptatione, & gratia; at Deus non acceptat opera inimici. Tertio, ex Trid. sess. 14. cap. 8. vbi dicit nostram satisfactionem inniti satisfactioni Christi, sed illa non applicatur nisi iustis: ergo &c. Secundo dico contra secundam opinionem, quòd neque de congruo; quia scriptura reprobat illa opera. ex hoc etiam sequitur multo melius damnatos in inferno non satisfacere pro penis peccatorum dimissorum. Tertio dico, quòd qui implet penitentiam iniunctam in peccato mortali, non tenetur illam iterare, sed satisfit precepto confessarij. Caiet. verb. satisfactio. Nauar. cap. 3. num. 13. & de penitentia. d. 6. num. 45. Medin. q. 28. de confess. Victor. supra. Dices An cuique peccato respondeat propria satisfactio. ratio dubij est illud Hieronymi, *pestes animæ sanantur per orationem, corporis per ieiunium*. Resp. quòd satisfactio dupliciter sumitur, vel vt sanatiua, & in remedium peccati, idest reliquiarum quæ manerent, & hoc modo intelligitur Hieronymus. vel sumitur vt solutiua penarum, & satisfactiua, & sic quodcunque peccatum per quodcunque opus meritorium satisfit, & quoniam concilium supra cit. dicit, quòd satisfactio fit ad vindictam præteritorum, & remedium futurorum, ideo vtrunque debet attendi.

Duodecimum dubium. An opera extra charitatem facta, adueniente charitate reuiuiscant. Resp. prima opinio distinguit duplicem satisfactionem; quandam quæ relinquit effectũ, vt ieiuniũ macreationem; aliam quæ non, vt oratio, &c. primam dicunt reuiuiscere, secundam non. Capr. in 4. d. 15. q. 1. Palud. ead. Sylu. verb. satisfactio. Secunda opinio dicit, quòd penitentiæ sacramentales reuiuiscunt, aliæ non. Nauar. cap. 3. nu. 5. Caiet. q. 2. de satisf. Petr. Sot. lect. vlt. Tertia opinio est communis, quæ dicit nullam reuiuiscere. d. Tho. in addit. q. 13. vbi loquitur indistinctè. Bonau. in 4. d. 15. q. 4. Sot. d. 19. q. 1. art. 5. Ledes. q. 13. art. 3. dub. 4. Medin. fol. 103. Couar. cap.

alma

alma mater. 1. p. 5. num. 9. Quare dico, quòd opus quodcunque factum extra charitatem, non reuiuiscit. probatur, quia hoc priuilegium vix conceditur sacramentis. Secundo, quia superueniens charitas non potest efficere vt opera facta processerint ex radice gratiæ. distinctio autem illa de relinquentibus effectus vel non, est friuola; tum quia si peccator per ieiunia debilitatus cibo se confirmasset ante gratiam, & alter maneret debilitatus vsque ad gratiam; ridiculum esset dicere, quòd vnius valet, alterius non. tum quia illa debilitatio, quæ manet, non est satisfactoria neque in se, quia vt sic non est voluntaria; neque in causa, quia illud ieiunium fuit factum in peccato. Voluit tamen fortè dicere d. Tho. quòd per complacentiam habet præmium; & per præsentem dolorem quem habet de ieiunio, ac sentit de suæ carnis maceratione, de qua si complaceat, mereretur præmium. Dices. Ad quid prosunt opera facta in peccato mortali quę sunt moraliter bona? Resp. ad multa, quæ prosequitur Nau. cap. 27. num. 266. Sot. art. 5. cit. Couar. supra. num. 11. Gabr. in 4. d. 16. q. 2. dub. 4. & in canone missæ, lect. 59. disponunt etiam ad gratiam remotè; & conducunt ad vitandam transgressionem præceptorum, & ad vitanda alia peccata; ad mouendum iustos vt orent pro illis, & vt mereantur de congruo bonum motum in Deum, quod fit eleemosynis, ieiunio, & oratione. An autem temporalia bona mereantur de congruo, vel de condigno, dicendum est, de condigno nullum præmium temporale merentur; quia ille qui est in mortali, de condigno meretur pœnas inferni; multo minus bona temporalia. nam condignitas dicit dignitatem operantis. confirmatur; nam bona temporalia non cadunt sub meritum de condigno, neque in ipsis iustis. Secundo, quia inter nos & Deum non est ratio iustitiæ nisi fundata in Dei acceptatione, & gratia, sic nulla est gratia, ergo &c. De congruo potest concedi. probatur ex d. Tho. in addit. q. 14. Secundo, quia decet sic diuinam bonitatem. & in opere illo est aliqua bonitas moralis. Dices: An minuant pœnas inferni? Resp. negatiuè, quia neque opera mortificata in damnatis diminuunt pœnas; multo minus mortua. Secundo, quia manente causa, manet idem effectus, causa autem pœnæ est culpa, ergo, &c. Tertio, quia id quod dicunt aliqui ista opera fortificare damnatum, inintelligibile est; quia vel fortificāt per virtu-

tem naturalem, vel per supernaturalem; vtrunque falsum est; quia gaudent damnati de operibus illis factis, & hoc est falsissimum. Sot. supra. d. Tho. in addit. q. 1. art. 4. & 5.

Decimumtertium dubium. An pœnitentia necessariò iniungenda sit per opera pœnalia. Resp. affirmatiuè regulariter loquendo, qualia sunt orationes, eleemosyna, ieiunium. Trid. sess. 13. cap. 14. Nauar. cap. 3. num. 3. Sot. in 4. d. 19. q. 2. art. 1. d. Tho. in addit. q. 15. art. 3. Victor. q. 202. Palud. d. 15. q. 2. art. 1. & alij. & est communis sententia. probatur primo, quia iudex semper per satisfactionem culpæ pœnam infert; adde, quòd in satisfactione voluntaria semper assumuntur opera pœnalia. & quoniam sancti, vel scripturę hortantur ad satisfactionem, pœnalia proponunt. Iohel. 2. *sanctificate ieiunium, &c.* item quia satisfactio debet fieri pro pęnis purgatorij, ergo pęnis debet satisfieri. Item ratione; iustitia debet facere æqualitatem vbi præcessit inæqualitas; hæc in peccato fuit eòquod abstuli à Deo, & tribui mihi; ergo ęqualitas erit vt à me auferam aliquid; pęna autem est illa quæ mihi subtrahit bonum aliquod, scilicet vtile, & delectabile; sicut culpa abstulit honestum. Secundo dico, quòd omne opus bonum procedens à gratia generali ratione est satisfactorium, siue sit actus tantum internus, siue externus cum interno. Sot. supra. art. 2. Victor. q. 202. Vnde etiam actus dilectionis Dei super omnia, est satisfactorius; vt dicunt doctores citati. & Scot. in 4. d. 15. q. 1. art. 2. Gabr. d. 16. q. 2. art. 2. concl. 3. & probatur; quia omnia opera bona habent annexam aliquam pœnam ob resistentiam carnis, &c. Rom. 7. *Sensio aliam legem resistentem in membris, &c.* Verum per antonomasiam opera externa dicuntur satisfactoria; & illa sunt peculiariter iniungenda in pœnitentia. Sotus supra. Dices, An actus quò magis est meritorius, sit magis satisfactorius? Resp. quòd non regulariter. Vnde si ex pari charitate vnus plus patiatur, quàm alter, prior plus satisfaciet.

Decimumquartum dubium. An actus externus posito interno efficaci, augeat satisfactionem, verbi gratia alter efficaciter vult ieiunare, alter ieiunat. ratio dubij est, quia opus externum non addit bonitatem operi interno, vt docet d. Tho. 1. 2. q. 20. art. 4. Resp. admissa illa doctrina d. Thomæ, & concedendo, quòd etiam illa vera sit in ratione meriti cum illis cō-

ceptio-

ceptionibus quæ suo loco poterunt videri; dico quòd in ratione satisfactionis multo magis satisfit cum opere externo; quia satisfactio recipit vim ex pœnalitate quæ sentitur in opere externo; in interno solum non sentitur.

Decimumquintum dubium. An satisfactio fieri possit per opera aliàs debita, quæ scilicet quis tenetur ex alio præcepto facere; an debeant esse libera. Resp. Scot. in 4. d. 15. q. 1. art. 1. Palud. ibid. q. 1. art. 2. Sylu. verb. satisfactio. q. 8. dicunt debere fieri per opus pœnale aliàs indebitum. alij contra sentiunt. Pro solutione dico primo, quòd opera pœnalia hominis existentis in gratia, etiam si sint debita ex vi alterius obligationis de præcepto, adhuc tamen sunt satisfactoria pro pœna peccatorum. est Caiet. opus. de satisf. q. 1. Medin. C. de satisf. q. 4. Nauar. cap. 26. num. 23. Adrian. 9. de satisf. & videtur Anton. 3. p. tit. 14. cap. 20. Probatur primo, quia tale opus est meritorium, ergo est satisfactorium. Confirmatur, quia si quis martyrium subiret tempore quo teneretur, etiam tunc purgaret hominem ab omni labe peccati, & satisfaceret omni pœnæ. idem dico quando aliquis daret eleemosynam pauperi in extrema necessitate, quod quamuis sit de præcepto, tamen satisfacit. Secundo, quia opera quæ sunt ex debito, & præcepto Dei, sunt meritoria. imo sine ipsis nō est meritum; *si vis ad vitam ingredi serua mandata*; ergo sunt satisfactoria. Tertio probatur ex illa communi theologorum doctrina, quòd opus factum ex præcepto, vel voto, vel alia obligatione, non minuit meritum, imo auget; vt est videre 2. 2. q. 88. art. 6. & quodl. 6. art. 11. ratio est, quia aliquod opus tanto est excellentius, quanto ex pluribus principijs bonis manat; talia autem sunt eiusmodi bona opera. Neque necessitas, aut obligatio tollit voluntarium, sed confirmat potius. Vnde benè infert d. Tho. quodl. cit. plus mereri aliquem qui præcipiente superiore aliquid facit, quàm si frater præciperet; quia principium est dignius. ex hoc eodem colligo, quòd in eodem opere quod facit religiosus ex voto, tripliciter magis lucratur, quàm laicus qui propria voluntate facit. nam in illo est verbi gratia ieiunium, votum, & obedientia. Secundo dico, quòd pœnitens regulariter non satisfacit pro satisfactione, quando implet pœnitentiam sibi iniunctam per aliquod quod debet. vt si in vigilia ieiunet ieiunium sibi iniunctum. Ledes. q. 14. art. 1. dub. 1. & est

communis vsus Ecclesiæ,& confessorum. Confirmatur, quia verba absolutè prolata, secundum communem vsum intelligi debent,vt habetur in cap. ex literis. de sponsalibus.cùm ergo sacerdos simpliciter iniungat pœnitentias, sic intelligi debet. Dixi *regulariter*,quia in al quo casu posset satisfacere, quando scilicet tenetur de iure naturæ, vt si pœnitentiam eleemosyna impleat dando illam extremè indigenti; vel ieiunium quando tenetur ieiunare ad domandam carnem recalcitrantem. Anton. ibid. ex d. Tho. in 4.d.15. Tertio dico,quamuis regulariter non debeat confessor iniungere pœnitentiam de opere aliàs debito, potest tamen id aliquando.imo est salutare consilium si tali pœnitentia pœnitenti iniungi potest ad aliquod præceptum implendum; vt non recitanti horas Ecclesiæ,posset iniungere vt ter recitet.Sot. Ledes. & Medin. supra. Victor.q.102.ratio est; quia per talia opera pœnitens implet satisfactionem, & præceptum quod aliàs non seruaret. Vnde ei qui nunquam ieiunat, potest imponi vt ieiunet in quadragesima.sic etiam & clerico,& alijs similibus, &c. Nota tamen quòd opus aliàs debitum non intelligitur illud quod applicatum est per pœnitentiam alicui peccato delendo; quia tale opus non potest alicui peccato applicari, sed intelligitur debitum ex aliquo alio præcepto. Dices, An tempore missæ quæ audienda est, de præcepto, possit impleri pœnitentia iniuncta? Resp. Angel.verb.feriæ.§.46.negat id posse fieri;quia non potest ad vtrunque attendere.& secundum eandem sententiam clericus qui sub præcepto tenetur recitare horas, non potest recitare hoc tempore missæ. Contrária tamen sententia est Adrian.q.penult.de satisfactione.Victor.q.104.Medin.f.105. Caiet.opus.de celebr.miss.& verb.dies festos.Ledes.q.14.dub. 6.Sot.in 4.d.19.q.2.art.1.Nauar. cap. 21. num. 8. Adderem ego, dummodo ille qui recitat non sit tàm tardus ingenio, & attentione,vt non possit etiam attendere missæ.

Decimumsextum dubium. An flagella inflicta à Deo in hoc mũdo,sint satisfactoria pro peccatis.Resp. esse duo genera tribulationũ; quædã enim sunt quæ à Deo particulariter immittũtur,vt fuit illa Iob,& cæcitas Tobiç,&c.aliud genus tribulationum est quasi naturale, vt est mors ipsa naturalis, & morbi.Vel est ab hominibus,vt est mors violẽta,iniuriæ,&c.Côueniũt omnes doctores,ꝙ vtræque si paciẽter tolerẽtur,sũt satisfacto-

factoriæ pro peccatis, eo quòd volūtariè, & paciēter sustinētur. Resp. quia ipsæ pœnales sunt. Trid. sess. 14. cap. 9. de pœnitentia. Victor. q. 207. d. Tho. in addit. q. 15. art. 2 Sylu. verb. satisfactio, q. 9. Nauar. cap. 7. num. 4. & alij. & nos addimus, quòd omne opus meritorium est etiam satisfactorium. Sed dubium est, an istæ calamitates de se satisfactoriæ sint? de primis affirmo, de secundis dico, quod de se non sunt purgatoriæ, sed ex vi paciențiæ. de primis probatur; quia ideo à Deo immittuntur, vt purgemur. sic & purgatorium post hanc vitam satisfactorium est. Secundo probatur Num. 1. *non consurget duplex tribulatio*, vbi obiter noto cautè esse legendum d. Hieronymum in eo loco, vbi videtur dicere, eos qui in hac vita puniti sunt, non esse puniendos in alia. affert exemplum illorum qui in diluuio, in sodomis, in mari rubro, & alibi puniti sunt; quia simpliciter intelligendo, falsissimus est. posset autem exponi, Hieronymum intelligi de illis qui in talibus pęnis correcti sunt, & emendati. item addi debet, quòd non debent puniri in alia vita, si pęna quam in hac vita receperunt exæquanda sit cum pęnis purgatorij. De secundis probatur; quia illæ calamitates non sunt institutæ ad hunc finem, sed vel sunt pœnæ peccati originalis, vel naturales sunt. Dices primo, si duo cum æquali paciencia ferrent calamitates inæquales, an æqualiter satisfacerent? Resp. affirmatiuè de secundis. negatiuè de primis; propter fundamentum datum. Placet etiam discrimen quod ponit Sot. inter hæc duo genera calamitatum; quòd primæ sunt satisfactoriæ modo eas toleremus, saltem per non renitentiam. at secundæ præter hoc plus requirūt, scilicet vt actu positiuo nos acceptemus, & pacienter toleremus. quare bonum est ægrotos hortari ad pacientiam. Dices secundo. An mors naturalis, & violenta sint satisfactoriæ. Resp. d. Tho. in 4. d. 20. q. 1. art. 1. q. 3. ad 3. dicit, quòd per mortem naturalem non purgatur aliquis à peccato, sed benè per mortem illatam. ratio primi est; quia illa est per modum naturæ. hæc autem valet ad diminutionem pœnæ, & ad liberationem à tota pœna secundum quantitatem culpæ, pacientiæ, & contritionis. Petrus Sot. lect. 2. videtur tenere per mortem violentam omni pœnæ satisfieri; nec maiori egere purgatione etiam grauissimum peccatorem. quod non est verum nisi adhibita limitatione d. Thomæ. alioquin ridiculum esset credere, quòd qui

suspenduntur, vel capite plectuntur statim euolarent ad cœlum. de naturali etiam morte concedendum est, quando ex patientia toleratur. neque hoc negaret d. Thomas.

Decimumseptimum dubium. An sint tantum tria satisfactionum genera, ad quæ aliæ reducantur. Resp. tantum tria: probatur primo, quia sunt tres radices peccatorum quibus est satisfaciendum; concupiscentia carnis, cui satisfacit ieiunium; concupiscentia oculorum, cui eleemosyna; & superbia vitæ, cui oratio. Secundo, quia omnia opera vel sunt in ordine ad Deum & huc pertinet oratio; vel ad nos, & adhoc spectat ieiunium; vel ad proximum, & ad hoc eleemosyna. Tertio, quia omnia bona sunt corporis, vel animæ, vel externa. ad 1. spectat ieiunium. ad 2. oratio. ad 3. eleemosyna. Dices, quid istorum est magis satisfactorium? Resp. difficile est omnia esse paria. Comparatio verò debet esse inter æqualia. Secundo Resp. quòd positis illis paribus, crederem eleemosynam esse magis satisfactoriam; nam hanc sancti omnes, & scriptura extollunt. secundo loco orationem. Tertio ieiunium.

Decimumoctauum dubium. An homo possit satisfacere vni peccato, non satisfaciendo pro alio. Resp. quòd ab eo qui est in gratia, potest satisfieri pœnæ vnius peccati, & non alterius. vt verbi gratia ieiunio quis satisfaciat gulæ, eleemosynis furto, & non alijs. Sot. in 4. d. 19. q. 1. art. concl. 3. ab eo autem qui non est in gratia id non potest, vt dictum est supra dub. 11.

Decimumnonū dub. An qui tempore præfixo non impleuit pœnitentiam, teneatur illam postea exequi? Resp. affirmatiuè cum Caiet. verb. satisfactio. licèt enim pœnitenti perscribatur certum tempus quod communiter fit, tamen non est intentio confessorum vt elapso tempore illa pœnitentia non impleatur. ideo expediret vt confessarius quando tempus præscribit, admoneat illum teneri etiam eo elapso implere.

Vigesimum dubium. An qui pœnitentiam non impleuerit vt debuit, teneatur ob id confessionem iterare. Resp. negatiuè, nisi in casu in quo confessor ante absolutionem pœnitentiam imponat, quia tunc confessio fieret irrita per accidens. Nauar. cap. 9. num. 17.

Vigesimumprimum dubium. An in omni confessione pœnitentia sit iniungenda. Resp. regulariter loquendo, quòd sic: ex Trid.

ex Trid. sess. 14. cap. 8. Nau. cap. 26. num. 15. Ledes. 2. 4. q. 20. art. 4. dub. 2. Dixi *regulariter*, quia aliquando non est opus iniungere pœnitentiam, vt quando constaret pœnitentem plenè satisfecisse. Caiet. verb. confessio. & verb. satisfactio: item quando pœnitentia impeditur ab infirmitate, secundum Caiet. & Nauar. cap. 26. num. 43. Petr. Sot. lect. 2. de satisf. quare tunc iudicandum est pœnitentia debita non iniungenda cap. 1. 26. q. 7. puto tamen tunc leuem imponi, vt inuocet nomen Iesu, &c. vel faciat eleemosynam si potest. Dices, An sacerdos sub peccato mortali teneatur pęnitenti iniungere aliquam pœnitentiam. Resp. affirmatiuè. primo, quia sacerdos est iudex arbiter inter Deum, & animam pęnitentis. Secundo, quia multi sunt canones, & concilia quæ id præcipiunt. Tertio, quia huiusmodi pęnitentię sunt ad integritatem sacramenti: excipio tamen articulum mortis, in quo explicet tantum quam pęnitentiam possit dare.

Vigesimumsecundum dubium. Quid attendere debeat Confessor in decernenda quantitate pęnitentiæ. Resp. attendere debet circunstantias, seu qualitates pęnitentis, & peccati. Caiet. verb. satisfactio. Sot. in 4. d. 20. q. 2. art. 3. Nauar. cap. 26. num. 21. & patet ex Trid. sess. 14. cap. 8. quod intellige etiam si confessarius certò sciret quænam pęnitentia sit Deo debita, potest tamen illam moderare iuxta personæ qualitatem. Sot. supra. & Ledes. 2. 4. q. 20. art. 4. concl. 2. Præterea debet potius inclinare in misericordiam, quàm in seueritatem. Sylu. verb. confessio. 4. quęst. 3. vbi notat esse sequendum consilium Angeli verb. confessor. 2. §. 19. vt leuis pęnitentia imponatur pęnitenti pro sacramentali satisfactione quam possit statim in gratia implere, & alia pro voluntaria satisfactione. Confutatur enim, quia id esset in detrimentum pęnitentis, vt ait Victor. q. 151. & hac ratione additur in fine absolutionis, *quicquid boni feceris, aut mali sustinueris, sit tibi in augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.* Nauar. cap. 26. num. 24. & cap. 1. de pęnit. v. 6. num. 36. ex d. Tho. quodl. 3. art. 28. Petr. Sot. lect. 2. satisf. Sylu. verb. confessio. 4. q. 1. Dices, an imponi debeat ante absolutionem. Resp. id non esse necessarium, quia potest etiam ritè post absolutionem imponi. Caiet. verb. satisfactio. Nauar. supra. est tamen sanum consilium, vt potius ante absolutionem iniungatur, vt ne ex obliuione omittatur, vel à pęnitente refutetur

fatetur. Armill. verb. absolutio. q. 7. Sylu. verb. absolutio. 6. in fine.

Vigesimumtertium dubium. An pęnitentiæ à sacerdote iniunctæ sint arbitrariæ. Resp. hæc maior difficultas est de antiquo tempore. tenent enim aliqui in illo tempore fuisse taxatas pęnitentias. colligitur ex cap. hoc ipsum. 33. quæst. 2. Alij id negant, & dicunt, etiam tunc fuisse arbitrarias. & multo melius colligunt ex cap. tempora. 36. q. 7. & ex cap. mensuram. de pęnit. d. 1. & cap. de his. d. 50. & hanc secundam sententiam credo esse veram. & licèt illis temporibus in multis criminibus essent taxatæ pęnitentiæ, tamen relinquebatur etiam prudentiæ sacerdotum vt possint aliquid mutare. Modo autem est minor difficultas, quia à tempore concilij Later. pęnitentiæ, sunt arbitrariæ. quomodo id sit intelligendum, explico: Primo, non esse in manibus sacerdotis sine consideratione imponere quascunque pęnas. probatur ex Trid. sess. 14. cap. 8. Item quia sacerdos est iudex, & medicus. Secundo, quatuor sunt consideranda in confessione in danda pęnitentia: Primum, grauitas, & multitudo peccatorum; Secundum, qualitas personæ. Tertium, canones pęnitentiales, qui licèt omnino non sint communiter seruandi, tamen bonum esset (vt docet concilium coloniense) reuocare aliquas ex illis pęnitentijs. de quibus etiam canonibus habetur cap. quæ ipsis. 38. d. 1. Quartum, est dispositio pęnitentis.

Vigesimumquartum dubium. An pęnitentia sacramentalis impleta liberet hominem omnino à pęnis peccatorum suorum. Resp. quædam glosa in cap. mensuram de pęnit. d. 1. dicit, quòd si sacerdos data opera det pęnitentiam minorem, & intendit dispensare cum pęnitente, illa tollit totam pęnam. si verò ille non intendit dispensare, & nihilominus pęnitens est paratus quamcunque acceptare, & tenet sacerdotem esse peritum, adhuc tollit totam pęnam. Dico tamen istam glosam esse omnino relinquendam, quia hoc esset sacerdotem conferre indulgentias; quod non potest. Secunda opinio est Medin. fol. 103. quæ etiam est Scoti dicentis, quando clauis non valde errat in danda pęnitentia, tunc remittit totam pęnam, & supponit latitudinem quandam in ista pęna in gradu intimo, medio, & rigoroso; sicut in pretio rerum venalium. Tertia opinio est d. Thomæ in 4. d. 20. q. 1. art. 2. q. 2. dicit non tolli

tolli

tolli totam pœnam nisi quando pœnitentia exæquat illam; & hæc opinio est tenenda. concedendo etiam, quòd claues sua virtute tollunt aliquid de pœna. Dices, quomodo sciri potest quando pœnitentia exæquat pœnam. Resp. id communiter non posse sciri, quia non constat nobis quantam pœnam pro singulis peccatis Deus posuerit. neque canones pœnitentiales omnino sunt regula infallibilis huius; quia non poterat id constare omnino illis patribus. Secundo, quia inter istos canones inuenimus aliquas pœnitentias grauiores pro peccato non tam graui. d. Thomas. supra.

Vigesimumquintum dubium. An possit dari pœnitentia quæ fiat de consilio. Resp. pro peccatis mortalibus non credo totam pœnitentiam posse sic iniungi; præsertim quia tenemus pœnitentem teneri ad acceptandam, & complendam pœnitentiam. & sacerdotem teneri ad dandam. Dixi *totam* nam si partem det ex obligo, & partem de consilio, fieri potest. dicit etiã Nauar. cap. 26. num. 24. posse poni in pœnitentiam cessationem à peccato, & vitæ emendationem. Ego dico, quòd imposita vna pœnitentia de præcepto, potest imponere aliam de consilio.

Vigesimumsextum dubium. An opera imposita à confessario sint magis satisfactoria, quàm voluntariè assumpta? Resp. affirmatiuè, triplici ex capite. Primo ex obedientia confessarij. Secundo ex virtute clauium Ecclesiæ, quas dixi tollere semper aliquid pœnæ. Tertio ex maiori participatione meritorum, & satisfactione Christi, quæ magis participantur per sacramenta. Adde istam satisfactionem etiam reuiuiscere factam extra charitatem; quod non valet in alijs, vt supra diximus.

Vigesimumseptimum dubium. An secundus confessarius possit mutare pœnitentiam ab alio iniunctam. Resp. conueniunt doctores in tribus: Primo, omnes pœnitentias iniustas quæ continent errorem intolerabilem, posse mutari ab alio, etiam inferiore confessore. vel potius potest ille declarare pœnitentiam illam esse nullam, & in confessione aliam iniungere; quando causa est iusta. vtrunque intelligo etiam extra confessionem. Secundo conueniunt, quòd superior potest ex causa rationali mutare pœnitentiam iniunctam à confessario suo inferiori, in confessione tamen

sacra-

sacramentali, vt notat Sot. in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 3. Similiter certum est, quòd si iterat confessionem quilibet possit mutare qui potest ab illis peccatis absoluere. Tertiò conueniunt, quòd quando non est iusta causa mutandi, nec superior, nec inferior potest mutare pœnitentiam iniunctam; quia sententia iusta non potest sine causa mutari. Sot. supra. Sylu. verb. confessio. 1. q. 23. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. Dubium igitur est, An quando adest causa iusta, vnus æqualis confessor possit mutare pœnitentiam ab altero æquali impositam, vel an idem ipse possit mutare pœnitentiam à se ipso impositam quæ pœnitenti non placet, vel cum putat sine difficultate non posse implere; & an sit necesse iterum confiteri peccata ob quę imposita fuit. Resp. Sot. supra, putat non posse vnum æqualem, &c. ratio est, quia par in parem non habet imperium. Secundo, eundem sacerdotem non posse mutare si longo tempore imposuit, quia transiuit in rem iudicatam. idem sentit Medin. fol. 100. Alij verò tenent contra Scot. & Medin. ita Victor. q. 101. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. & 19 Ledes. q. 20. art. 4 posse mutari à quocunque potestatem absoluendi habente à peccatis ob quæ fuit imposita, & ab inferiore, non repetita confessione, solum ex hac causa quia pœnitens putat se non posse implere sine periculo animæ, vel corporis. & probat. Nau. cap. 26. num. 22. Palud. & Ledes. supra. quicquid dicant Sylu. & Sot. supra; qui dicunt repetendam esse confessionem. & hæc sententia est sequenda. licèt non cogerem pœnitentem ad omnia peccata dicenda; tamen non liberarem omnino, sed crederem debere in genere peccata præterita manifestare; & conscientiam. De eodem ipso sacerdote dico, quòd potest etiam post multum tempus commutare.

Vigesimumoctauum dubium. An possit imponi pœnitentia solennis, & publica? ratio dubitandi est; quia Ecclesia antiqua solebat solennizare pœnitentias. ex altera parte, quia hoc forum est secretum. Resp. triplicem esse pœnitentiam; quædam solennis, & publica; quædam publica, & non solennis; quædam secreta, & priuata. de primis, est caput in cap. d. 50. ex concilio Agathens. vbi dicitur qualis debeat esse solennis pœnitentia. & in rationale diuin. offic. & hæc pœnitentia solennis non poterat imponi clericis, ne vilescerent in statu suo. & non poterat imponi nisi ab Episcopis; nec poterat iterari hæc pœniten-

tia. De istis pœnitentijs exponit Magister plerasque auctoritates in d. 14. vt Augustini, Origenis, & aliorum. modo autem sunt antiquatæ. Secundum dictum: de alijs publicis pœnitentijs non solennibus, inueniuntur aliqui canones apud Hostiens. in summ. tit. de pœnit. & remiss. §. quia pœna. Primus eorum est d. 85. ex concilio Gangrensi. cap. presbyter imponitur pœnitentia quæ est imponenda presbytero cadenti in fornicationem, vbi per tres menses debebat poni in carcere, humi saccho indutus, & exorare Deum, & vesci semel in die pane, & aqua per vnum annum integrum cum dimidio à vesperi ad vesperas. in fine anni particeps fiebat corporis Christi, &c. absoluat septem annos in pœnitentia, ieiunans ter in hebdomada in pane, & aqua; vel recitet orationes sibi impositas. deinde debebat absoluere decem annos ieiunans sexta feria in pane, & aqua. Tertium: pro publicis peccatis publicas imponere pœnitentias, non video esse inconueniens; nam non videtur esse periculum indirectè reuelandi; nam pœnitens acceptando, & complendo pœnitentiam, potuisset dare licentiam confessario reuelandi. pro occultis verò non iudico deberi publicas pœnitentias, id est tales, ex quibus alij intelligant aliquod publicum peccatum fuisse commissum. Licèt enim hic videtur etiam licentia pœnitentis, tamen supra dixi istam licentiam debere esse expressam, liberam, & rationabilem. quæ in isto casu non videtur facilè posse conuenire. & hæc de materia satisfactionis.



TRACTATVS NONVS.

De Clauibus, & poteſtate Eccleſiaſtica.

Caput vnicum. habet aliquot dubia.



RIMVM dubium. Quid nomine Clauis intelligendum eſt? Reſp. hoc nomen metaphoricè vſurpatur; ſicut enim qui habet clauem domus, vel vrbis, dicitur habere poteſtatem domus, vel vrbis; ſic etiam hoc loco. quare clauis communiſſimè ſumpta ſignificat poteſtatem, Ioan. 22. *dabo clauem Dauid ſuper humerum eius?* ideſt poteſtatem in illo regno. & Apoc. 1. *ego primus & nouiſſimus, & habeo claues mortis & inferni.* & cap. 3. idem dicitur. & cap. 9. ait, *vidi ſtellam de cælo cadentem, & data eſt illi clauis putei abyſſi, &c.* Secundo, ſumitur clauis pro poteſtate eccleſiaſtica & ſpirituali in tota ſua latitudine; comprehendit enim multas poteſtates, quæ poſſunt reduci ad tria capita; ſicut & regnum cœlorum cuius ſunt claues tripliciter ſumitur: primo pro regno cœlorum, Matth. 21. *auferetur à vobis regnum Dei.* Secundo pro Eccleſia militante. Tertio pro Eccleſia triumphante. & ſic clauis aliquando ſignificat poteſtatem intelligendi, vel exponẽdi ſcripturas, Luc. 11. *væh vobis ſcribæ, & phariſei, &c.* Secundo pro tota poteſtate quæ eſt neceſſaria ad regendam Eccleſiam Dei. Tertio ſumitur in particulari pro poteſtate remittendi peccatum quod dicitur obſtaculum regni cœlorum tertio modo ſumpti. Ex his collige clauem pro vt à nobis accipitur

cipitur, dupliciter sumi; largè, pro tota potestate Ecclesiastica. & strictè, pro potestate remittendi peccata, quæ potestas ideo gaudet hoc peculiari nomine, quia est actus maximè principalis remittendi peccata. apud doctores sumitur hæc doctrina primo, & secundo modo. ego verò sumo vtroque modo.

Secundum dubium. Quid est clauis? Resp. Magister in 4.d.18.& ibi doctores.& Hierony.in Matth.16.dicũt: clauis est potestas, qua iudex ecclesiasticus indignos eijcere, & dignos admittere potest ad regnũ. de qua definitione dico duo: Primũ est, in ea proponi genus quod est Potestas. subiectum in quo est, nempe in iudice ecclesiastico. ponitur & actus præcipuus qui est admittere, & excludere. proponitur & modus in isto actu, vt scilicet indignos eijciat, & dignos admittat. proponitur obiectum idest regnum Dei, non politicum, sed ciuile. Secundum est, quòd hæc definitio magis propriè conuenit clauibus stricto modo sumptis, pro potestate remittendi peccata; ratio est, quia ista est præcipua potestas in Ecclesia Dei. & quia hæc immediatè versatur in aperiendo cœlo quod peccato clauditur. imo omnes aliæ potestates ad hanc reducuntur. potest nihilominus hæc definitio competere potestati ecclesiasticæ vniuersaliter sumptæ. sicut enim potentia visiua quæ extenditur ad magnitudinem, colorem, & numerum, non malè definiretur per colorem tanquam per actum principalem illius potentiæ; sic potestas ecclesiastica non malè definitur per actum ligandi, & soluendi, tanquam per actum præcipuum illius. Confirmatur Matth.16. vbi licèt Christus promiserit Petro claues regni cœlorum, idest summam, & vniuersalem potestatem, quia sic exibuit Ioan.21. *pasce oues meas*; tamen istam potestatem explicauit per actus ligandi, & soluendi. de hac definitione loquitur Ioannes XXII. in extrag. sua, de verbor. signif.

Tertium dubium. Quæ sint istæ claues. Resp. Aliqui dicunt esse duas; alteram potestatem soluendi, alteram ligandi. ita August. l. contra aduers. legis, & prophet. cap. 17. Bed. in Ioan. 20. Ambr. l.1. de pœnit. cap. 2. Hæc doctrina non placet aliquibus; nam vna esset dicenda clauis, non duæ. Mihi verò placet; nam licèt sit vna clauis quantum ad substantiam potestatis, tamen duo sunt actus præcipui. Secundo, aliqui dicunt claues esse duas, scilicet ordinis, & iurisditionis. ordinis, est

potestas quæ datur in consecratione ministri. Iurisditionis verò est potestas quæ datur per simplicem institutionem in subditos. & quia etiam iurisditio duplex est, idest in foro interiori, & exteriori, ideo dicunt claues etiam esse duas, iuxta duplex forum. sunt qui non probant hunc dicendi modum; quia dicunt claues dari à Christo, & ideo non possunt esse nisi ordinis. & ideo non simpliciter omnem ordinem volunt vocari claues, sed tantum ligandi, & soluendi. Mihi vtrunque videtur verum; nam si largè sumantur, primum est verum. si strictè, secundum. Aliqui dicunt claues esse duas, scilicet scientiæ, & potestatis; per scientiam non intelligo doctrinam (vt aliqui malè intellexerunt) sed autoritatem ad agnoscendum, & se informandum de conscientia sui pœnitentis. Potestatis verò, est autoritas ad ferendam sententiam. hic modus communis est. neque hoc secundum repugnat primo; nam actus ordinis, vel iurisdictionis requirunt has claues, & vniuntur cum his. nemo enim potest dare sententiam nisi cognoscat.

Quartum dubium. An detur in Ecclesia hæc potestas clauium. Resp. Vualdenses quos sequutus est Vuigleff. & Ioannes Hus negarunt dari in Ecclesia hanc potestatem; Et omnes presbyteros dicebant esse pares; & nullam esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata. Lutherus etiam omnem Pontificiam potestatem negat. Sed contraria est vera, & communis omnium Catholicorum. Idcirco dico, in Ecclesia Christiana esse quandam spiritualem potestatem distinctam à ciuili, politica, & seculari. probatur primo ex scripturis, habemus apertè multas potestates quæ nunquam fuerunt in ciuili republica. nam claues regni cœlorum nullibi sunt auditæ nisi Matth. 16. nec nunquam est audita potestas remittendi peccata, nisi Ioan. 20. neque excommunicandi, nisi Matth. 18. & 1. Cor. 5. neque consecrandi, nisi Lucæ 22. neque prædicandi Euangelium, nisi Matth. vlt. neque baptizandi, nisi Marc. vlt. neque pascendi oues & totum mundum, nisi Ioan. 21. neque promouendi homines ad sacerdotium, nisi 1. Tim. 3. & 4. Secundo probatur ratione desumpta ex Vgone de S. Victor. 2. par. de sacram. duæ sunt vitę, altera terrena, altera spiritualis; ergo debet habere duplicem magistratum, & duplicem potestatem. Confirmatur; quia est duplex finis naturalis hominis; ergo debet habere duplicem potestatem qua dirigantur

homines

homines ad suum finem. Confirmatur hæc duplex potestas, ex 3. Reg. 7. vbi dicitur Salomon erexisse duas columnas in vestibulo templi, alteram vocauit Iachim, alteram Boozim: alteram à dextris, alteram à sinistris. per Iachim significatur firmitas, *confirma fratres tuos*. Tertio inter gentiles etiam nunc est potestas legitima, Rom. 13. sed certum est illos non habere autoritatem spiritualem; ergo est distincta. Quarto, pessimè esset instituta Ecclesia Dei nisi haberet suam potestatem spiritualem.

Quintum dubium. An hæc potestas sit de iure diuino. Resp. Licèt in omni tempore ac statu fuerit in mundo potestas spiritualis, hæc tamen quam nunc habet Ecclesia nostra nunquam fuit; & est inducta de iure diuino in tota sua latitudine. Prima pars probatur primo in statu innocentiæ, si perdurasset ille status, fuisset ista potestas; quia fuisset cultus diuinus; nam in illo statu fuissent rectores, gubernatores, &c. propter vniformitatem. Secundo in lege naturæ; quia eo tempore, & semper fuit necessaria fides supernaturalis, & cultus spiritualis. confirmatur; quia Abel fuit sacerdos. August. l. 5. ad Orosium. & Melchisedech. & licèt fortè illa potestas fuerit data à iure humano, tamen credibile est ex reuelatione aliquando habita. Tertio, in lege veteri fuerunt sacerdotes, vt patet in libris Reg. & habemus apud Lucam, quòd Caiphas erat Pontifex anni illius. de qua potestate spirituali in lege veteri dico primo, hanc potestatem fuisse de iure diuino; exod. 24. & hebr. 1. Secundo, credo illos superiores habuisse potestatem condendi leges, vt possumus colligere ex Matth. 15. & 23. *irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras*. Tertio dico, totam illam potestatem legis veteris expirasse, Hebr. 7. Secunda pars probatur: primo, non potest esse de iure humano; quia hæ potestates ecclesiasticæ excedunt ius humanum, & facultatem. Secundo, nec possunt esse de iure naturæ, ex eodem fundamento. Tertio, nec de lege veteri, Galat. 2. *si ex legis operibus iustificatur homo, ergo frustra Christus mortuus est.* & Hebr. 9. idem habetur. Quarto probatur ex scripturis allatis in dubio superiore. Dixi *in tota sua latitudine*, quia credibile est aliquam potestatem in Ecclesia inductam esse ex iure humano, & ecclesiastico. quare dicendum est omnem potestatem in Ecclesia vel mediatè, vel immediatè esse à Deo.

Sextum

Sextum dubium. Vbi est data hæc potestas. Resp. Armacan.l.11.quæst. Armen.cap.14.& 15.dicit hanc potestatem esse datam Marc.3. Alij contrarium sentiunt, non ibi,sed varijs locis datam esse.Turrecrem.l.1.cap.93.Victor.in releɛt.de potestate ecclesiastica.Sot.in 4.d.20.q.1.d.Tho.in 4.d.24.q. 2. art. 3.Ego dico,Hæc potestas quam habet ecclesia Dei, non est data Marci 3.sed in distinctis locis,& temporibus.nam potestas consecrandi est data Matth. 26.Remittendi, Ioan. 20. gubernandi totam ecclesiam,Ioan. 21. probatur prima pars. quia illo tempore non erat sacramentum Eucharistiæ adhuc institutum;ergo nec sacerdotium. Secundo, quia potestas hæc,est promissa Matth. 16. Secunda pars probatur. primo de potestate consecrandi,est communis patrum sententia, quòd fundatur in illis verbis; *hoc facite in meam commemorationem*. & præcipuè ex Dionys.cap.3.de cælest. Hierarch. De potestate remittendi, probatum est supra. de tertia potestate non est locus dignior vbi exhibuerit,nisi Ioan. vlt.

Septimum dubium. An hæc potestas sit idem quod Character sacerdotis. Resp. Aliqui tenent hanc potestatem clauium distingui à charactere sacerdotis. Scot.supra. Marsil. in 4.d.34.q.2.art. 3. Alij tenent esse idem. Sot. supra. & Victor. Capr.in 4.d.19.q.vnica.art.3. quæ sententia est verior, & tenenda;scilicet potestatem remittendi peccata, idest absoluendi, & retinendi, idem esse ac character sacerdotis. probatur; quia character est potestas ad suscipienda, vel conferenda sacramenta.Secundo,quia eiusdem virtutis est & potestatis producere aliquem effectum,quod fit consecrando Christi corpus, & disponere ad illud;quod fit remittendo, &c.

Octauum dubium. An sacerdos per claues remittunt peccata quoad culpam. Resp. affirmatiuè. probatur primo: quia hanc potestatem quam Christus dedit ecclesiæ, aliquo horum modorum debemus intelligere iuxta varias doctorum opiniones:vel vt remittant reatum pœnæ æternæ, & non culpam, vt dixit Vgo de S. Victor.par.14.l.2.de sacram.cap.8. Vel vt dixit Medin.cap.7. de confess. vt remittat exilium vitæ æternæ. vel quòd remittuntur hæc omnia, sed in voto. vel vt dicatur sacerdos absoluere à debito confitendi. vel vt dicatur sacerdos remittere, idest ostendere esse remissa peccata, vt dicebat Magist.d. 18. vel quòd verè remittat culpam quando in facto absoluit

soluit. Sed nihil horum potest dici nisi hoc vltimum, ergo,&c. probatur; quia prima opinio est falsa; nam si remittitur culpa ante sacramentum, necessariò & pœna æterna debet remitti. Secunda est falsa, nam vbi est remitti culpa, & pœna æterna, habet ius ad vitam æternam. Tertia est falsa; nam remittere in voto, non est remittere sacerdotem; & quia sacramentum non efficeret quod significat. Quarta est falsa; quia sacerdos non dicit, ego te absoluo à debito, sed à peccatis. Quinta est falsa; & probatur hoc secundo argumento, Ioan. 20. *sicut misit me pater, & ego mitto vos*; Christus autem verè peccata remittebat, Luc. 7. & Matth. 9. tum quia dicitur, *accipite Spiritum sanctum*, qui datur ad remissionem peccati, vt docet August. l. 2. contra epist. Parmeniani cap. 11. & Cyrill. in Ioann. 20. tum quia dicitur *quorum remiseritis peccata*, *&c.* hæc verò significant culpas. verba autem simpliciter prolata non debent torqueri in sensus extraneos. tum quia remittere & retinere non significant ostendere. Tertio, cuinam debet ostendere sacerdos remissa esse peccata? non Deo, vt patet. non ecclesiæ, quia est forum secretissimum. non pœnitenti, quia ille ex absolutione sacerdotis non recipit certitudinem remissionis peccati.

Nonum dubium. An sacerdos per claues possit obligare pœnitentem ad aliquam pœnam. Resp. affirmatiuè; quia est iudicium; & iudicis est imponere pœnam reo.

Decimum dubium. An clauium virtute semper remittatur aliquid pœnæ temporalis. Resp. affirmatiuè; quia per alia opera satisfactoria diminuitur pœna peccatorum; ergo multo magis etiam per claues. probatur conseq. quia magis per sacramenta applicatur Christi passio, quàm per alia nostra opera. Confirmatur; quia si sacerdos potest obligare ad pœnam, conueniens est, vt ijsdem clauibus aliquid relaxetur de ipsamet pœna. Dices, quanta pœna tollitur de temporali, & quomodo? Resp. d. Tho. in addit. q. 17. art. 2. ad 3. tenet, non æqualiter omnibus tolli æqualem portionem pœnæ, sed per partes proportionales, & aliquotas. hoc non placet Soto in 4. d. 20. q. 2. art. 2. sed tenet potius æqualem portionem pœnæ ex opere operato omnibus tolli. vel posset dici, quòd pro ratione dispositionis plus, vel minus diminuitur pœna.

Vndecimum dubium. An ecclesia habeat potestatem condendi

in occultis, sed ea remittit Deo, qui solus nouit corda filiorum hominum. Tertio, interiora non possunt venire ad tribunal ecclesiæ; ergo non videtur ecclesia habere potestatem coactiuam directè. Habet tamen hanc potestatem mediatè, & indirectè. probatur primo, quia potest ecclesia obligare ad actus externos quibus necessariò coniunguntur interni. ergo mediatè obligat ad illos. antecedens patet; quia obligat ad recitationem officij quod requirit attentionem. obligat etiam ad confessionem exteriorem fidei, quæ non fit sine actu interiore fidei. obligat ad confessionem, quæ non potest fieri sine dolore, qui est actus internus; ergo, &c. Secundo probatur; quia ecclesia excommunicat hæreticum occultissimum, & excommunicatio fertur in ipsam hæresim aliquo externo signo manifestatum.

Decimumtertium dubium. An ad ecclesiam pertineat virtute clauium quam habet, determinare de rebus fidei, & morum, sanctorum canonizatione, & religionum confirmatione, & in his non possit errare. Resp. affirmatiuè. probatur primo ex Deut. 17. si difficile, & ambiguum iudicium esse perspexeris, &c. & exod. 18. dicitur Moysi vt præsit populo de his quæ pertinent ad cultum Dei. Secundo ex Ioan. 21. *pasce oues meas*. Tertio, Cyrill. in l. thesauri, vt membra (dicit) maneamus in capite, in nostro throno Romanorum Pontifice, à quo nostrum est petere quid credere, & tenere debeamus. Maximus in epist. ad populos oriental. dicit idem. Innoc. & habetur cap. quoties. 24. q. 1. Leo, & habetur cap. sicut. 14. q. 1. *ego rogabo patrē; & aliū paraclitum dabit vobis qui maneat vobiscū in æternum, & doceat omnem veritatem.* Matth. 28. *ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi* Luc. 21. *ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua.* Matth. 16. *portæ inferi nō præualebunt aduersus eā.* Secundo probatur, apud Euseb. l. 4. histor. eccles. cap. 22. laudatur Episcopus qui venit Romam vt consuleret Episcopos de fide. Irenæus l. 3. contra hæres. cap. 3. & l. 4. cap. 43. obijciens hæreticis fidem rectam, non alienam allegauit, sed eam quam à tempore Apostolorum vsque ad sua tempora Episcopi tenuerunt, & viri catholici. Cyprian. l. 4. epist. 9. maximè inuehitur contra eos qui se seperauerunt à prælatis. Tertio, de moribus idem est dicendum quod de fide; quia tam est necessaria in ecclesia disciplina morum, quam

fidei. Confirmatur, in concilio constans. condemnantur hæretici qui reprobant vsum communicandi sub vna specie hoc solo, quia est vsus ecclesiæ. & in Trid. sess. 13. can. 6. anathematizatur, qui negat vsum ecclesiæ celebrandi festum sanctissimi corporis Christi. Quarto, idem dico de canonizatione sanctorum, quamuis non sit in eodem gradu certitudinis, in quanto est quod iam dixi. nam d. Tho. in quodl. 9. art. 16. & Anton. 3. p. tit. 12. cap. 8. & Sylu. verb. Canonizatio; dicunt pium esse credere ecclesiam non posse errare. Can. l. 5. locorum communium, tenet esse temerarium. Alij dicunt esse hæreticum: ego dico saltem esse temerarium; quia hic honor qui debetur sanctis, maximè spectat ad fidem; quia non potest errare. Confirmatur; nam hoc etiam maximè pertinet ad mores ecclesiæ. Quinto, idem dico (& fortius) de confirmatione religionum. quia confirmare religiones pertinet ad summum Pontificem, qui hoc faciens ponit in ecclesia Dei quandam viam morum, & perfectionem, qua homo possit ingredi securi. & sic non potest errare.

Decimumquartum dubium. An ecclesiæ potestas se extendat directè ad dispensandum in iure diuino. Resp. negatiuè. probatur; quia Papa, & ecclesia est sub iure diuino; ergo non potest dispensare. probatur sequela; nam dispensare est liberare aliquem ab aliquo obligo; sed hoc requirit superioritatem, ergo, &c. dixi *directè*, quia indirectè potest, vt patet in voto, & iuramento, in quibus non dispensat ecclesia propriè in iure diuino. quod sic explico: Potest intelligi his modis; Papam, vel ecclesiam dispensare in voto: primo, vt omne votum intelligatur factum sub conditione implicita, idest si prælatus non dispensat. sed hic modus non placet; quia quilibet est dominus suæ voluntatis, & non dependet ex hoc, idest ex Pontificis voluntate. Secundo, aliqui dicunt Papam dispensare in voto, quia habet potestatem dispensandi in aliquo iure diuino, non omni; & illud dicunt esse quando ius diuinum pro varietate temporis potest pati aliquam varietatem in obseruantia. In iure verò diuino quod nullam patitur varietatem, non potest. Iste modus non placet; quia gratis dicitur ecclesiam habere hanc potestatem, &c. & quia est valde difficile determinare quod est hoc ius diuinum quod patitur varietatem. Tertio, ex d. Tho. 2. 2. q. 88. ecclesiam explicare, & interpretari in

in aliquo casu non debere seruari tale votum; & hoc pertinere ad prælatum ecclesiæ tanquam interpretem diuinæ voluntatis & hoc potest intelligi dupliciter: Primo, vt explicetur votum aliquod non tenere, nec obligare in tali casu; & hoc non esset propriè dispensare, & posset fieri à quocunque viro docto. secundus modus est, ita interpretari mentem Dei, vt tollat etiam obligationem voti quę manet adhuc; vt siquis vouit ieiunium, & est causa quare hoc ieiunium impediat me ab aliquo maiore bono, prælati est in tali casu mentem Dei interpretari, quòd nolit me obligatum ad ieiunium; & hoc est dispensare. & in isto casu ecclesia non dispensat in iure diuino propriè, sed subtrahit me à iusta obligatione quam promisi. duabus enim de causis tenet obligatio: Prima est, quòd voui. Secunda, quòd votum sit seruandum. ecclesia tollit primam, non secundam obligationem. Dices primo: An ecclesiastica hæc potestas se extendat in legem humanam, & canonicam absolutè? Resp. quòd eiusdem est tollere legem, cuius est condere; sed omnes leges canonicæ sunt ab ecclesia; ergo, &c. Dices secundo: An pertineat ad regimen rerum spiritualium? Resp. quòd ecclesia habet omnem potestatem circa curam rerum spiritualium, ergo totum id potest in republica ciuili quod posset impedire hoc regimen, vel quod pertinet ad bonum reipublicæ.

Decimumquintum dubium. An ecclesiastica potestas per se primò, & directè se extendat ad dominium temporale totius orbis? Resp. negatiuè. non loquor de dominio particulari status ecclesiastici, sed loquor de toto mundo. probatur primo, ex ipsorum Pontificum autoritate; cap. quoniam. d. 10. vbi dicitur, quòd temporalis, & spiritualis potestas subiecto distinctæ sunt cap. futuram. 12. q. 1. vbi fatetur Papa se dono recepisse multum statum à pijs Imperatoribus. cap. cum ad verum. d. 96. nec Imperator iura Pontificatus arripiat, nec Pontifex iura Imperatoris vsurpet. In cap. venerabili. dicit Pontifex non habere superiorem in temporalibus. Nec valet dicere, quòd Papa propter pacem mundi permittit regna, & dominia alijs; quia videtur hoc esse ridiculum; nam Pontifex expressè fatetur se accepisse multa dona à pijs Imperatoribus. secundo probatur ex Bern. l. 2. de consider. ad Eugenium. Tertio Papa non habet in terris infidelium dominium. 1. Cor. 15. *quid enim mihi est cum ijs qui foris sunt?* & Rom. 13. dicit,

cit, eos habere potestatem à Deo, & obiediendum esse legibus illorum. Confirmatur; quia Christus non sustulit dominijs mūdi regna sua, & ipsi habent regna à Deo, nec Papa illis dedit; ergo, &c. Quarto, Christus vt homo non fuit dominus, neque Rex temporalis mundi; ergo nec Papa. antecedens probatur, supposito primo, quòd Christus vt Deus, est verus dominus, & creator mundi. Secundo, Christus est Messias, & per consequens; *Rex Regum, & dominus dominantium*. Sed istud regnum est cæleste, & spirituale, cui regno cedunt omnia regna mundi. probatur antecedens; quia si Christus est Rex temporalis, vel hoc regnum habuit ex hæreditaria successione, vel ex electione, vel à Deo; non primum, quia non contingerat regnum iudææ Beatissimæ Virgini, iuxta illud propheticæ Gen. 39. *non auferetur sceptrum de Iuda, &c.* quare defecerat tunc Regnum Dauid, & traslatum fuit ad Romanos. non secundum, vt patet. non tertium, quia hoc nullibi constat; & quoniam in scripturis inuenimus fieri mentionem de regno, intelligitur de spirituali, probatur ex Psal. 2. *Ego autē constitutus sum Rex, prædicans præceptū eius, &c.* & Ioan. 8. *regnum meū non est de hoc mūdo.* & Luc. 12. *homo quis me constituit iudicē, & diuisorē inter vos?* ergo ex modo loquendi docebatse nō esse iudicē tēporalē. Dices, An habeat ecclesia autoritatē et tēporalē in toto orbe amplissimā super omnes Reges, & principes in ordine ad finē spiritualē. Resp. affirmatiuè: probatur primo, ex Bern. l. 4. de cōsider. ad Eugeniū. *cōuerte gladiū tuū in Vaginā.* tuus est, ergo, &c. Secundo, quia Christus Petro Ioan. vlt. dedit supremam potestatem spiritualē; ergo vbi tēporalia necessaria sunt, iurisditio ecclesiæ se extendit ad illa. Tertio, ex canonibus, cap. omnes. d. 22. ait Nicolaus Papa, Petro cœli clauigero dedit potestatem, &c. & cap. alius. 15. q. 6. Stephanus Papa transtulit imperium à Græcis ad Germanos. & in cap. venerabilem. de electione. & cap. grandi. de supplenda prælat. neglig. in 6. & cap. tibi domino. 63. Imperator iurat Pontifici. & 15. q. 6. Zacharias deposuit Regem Francorum, & constituit in eo Pipinum patrem Caroli magni.

Decimumsextum dubium. An potestas Clauium tàm ordinis, quàm iurisditionis subiectetur in Eclesia immediatè, an in particularibus personis. Resp. & Nota, hic nos non loqui de quacunque potestate spirituali, sed de nostra euangelica. est enim

nim duplex potestas spiritualis, quædam ex parte finis tantù, qualis erat in quacunque lege scripta, & naturali; & hanc in lege naturæ facilè concesserim fuisse in tota republica, quæ habeat autoritatē creandi sacerdotes. In lege verò scripta, erat hæc potestas tantum in tribu Leuitica. loquor tantū de potestate nostra, quæ non solum est spiritualis ex parte finis, sed & ex parte effectus; quia poterat remittere peccata, quod est spirituale. & de hac potestate disputamus, an fuerit in tota ecclesia, vel in personis particularibus. Prima opinio est doctorum Parisiensium, qui dicunt cōcilium esse supra Papam, quare dicunt potestatem esse in vniuersitate. ita Gerson tract. 10. & Almain. l. de comparat. Papæ & concil. cap. 6. Secunda opinio est contraria. ita Caiet. in opus. de potest. concilij & Papæ. Turrecre. de potest. ecclesiast. l. 1. cap. 71. Sot. in 4. d. 20. q. 2. ar. 4. Ego dico primo, potestas ordinis ligādi, & soluendi, non est data à Christo toti ecclesiæ, nec toti coniunctim, nec singulis diuisim duobus modis hoc potest intelligi: primo, vt singuli habeāt hāc potestatem. Secundo, esse in tota ecclesia coniunctim hanc potestatem, quod nemo catholicorum admittit. probatur primo; quia non omnibus, sed certis personis dictū est, *quorum remiseritis peccata, &c.* & *hoc facite in meam commemorationem.* &, *pasce oues meas.* Secundo, quia esset summa cōfusio in ecclesia si omnes rudes possēt esse iudices, & medici. Tertio, gratia sacramentalis fluit à Christi corpore, ergo ille est idoneus minister huius gratiæ per sacramenta qui habet potestatē super corpus Christi verū. Secūda pars probatur primo, ex dictis rationibus; Secundo, eius est potestas cuius est actus, sed tota communitas non potest ligare, vel absoluere; tum quia tota communitas non est cōsecrata. tum quia actus sunt suppositorum. Nec valet dicere, quòd potest communitas facere per aliquem, quia cùm ille actus non sit elicitus à communitate, non erit potestas illius. Dico secundo, potestas iurisditionis non residet in vtroque foro subiectiuè contra primam opinionem. probatur primo, nam sequerentur aliqua inconuenientia. Primo, quòd multi incapaces haberent potestatem in Ecclesia, vt mulieres, pueri, rudes, &c. Secundo, quia gubernatio Ecclesiæ maxima ex parte gubernaretur à laicis. Tertio, quia posset Ecclesia defuncto Pontifice residere in laicis. Quarto, quia in qualibet diœcesi resideret potestas potius in populo, quàm in Episcopo

ſcopo . Secundo quando Chriſtus contulit hanc poteſtatem, contulit in perſonam Petri, & Apoſtolorum; ergo gratis dicitur, quòd data ſit toti corpori Eccleſiaſtico. Confirmatur; quia Petrus elegit ſibi ſucceſſorem in Pontificatum ſine Eccleſia. Paulus ipſe non ab hominibus fuit electus, neque per omnes homines, & ipſe elegit Titum. Matthias fuit electus à Deo per ſortem, & ita de alijs; ergo poteſtas, reſidet in particularibus. Tertio, ſi poteſtas eſſet in Eccleſia, eſſet in omnibus æqualiter; ſed in Eccleſia ſunt valdè inæquales ordines; ergo, &c. Quarto, Chriſtus etiam nunc in cœlo exiſtens regnat, & gubernat Eccleſiam per Vicarios ſuos; ergo ab ipſo manat poteſtas, & non ab Eccleſia, & per ſuum Vicarium in omnes. Confirmatur; quia ob id Chriſtus dicitur *ſacerdos in æternum* 1. Cor. 15 *vnuſquiſque in ſuo ordine, primitiæ autem Chriſtus*. Dico tertio, ſummus Pontifex non habet ab Eccleſia poteſtatem, nec ab vllo homine, ſed immediatè à Chriſto, quamuis electio fiat ab hominibus, & ad Eccleſiam ſpectet. probatur primo, quia Petrus à Chriſto recepit immediatè poteſtatem, Matth. 16. & Ioan. vlt. & non ſolum pro ſe, ſed etiam pro ſucceſſoribus. Secundo, quia poteſtas Pontificia eſt ſuprema in Hierarchia eccleſiaſtica; ergo debet eſſe immediatè à Chriſto, à quo omnis poteſtas habet hoc. Confirmatur ex Dionyſ. cap. 6. de Hierar. Eccleſ. proprium eſſe Angelis primę Hierarchiæ eſſe propè Deum non quoad beatitudinem, ſed quoad illuminationem, & reuelationem. Probatur ſecunda pars, quòd ſcilicet electio fiat ab hominibus; quia ſuppoſito quòd Deus non ordinauerit alium modum electionis, & hæc poteſtas perpetuò duratura in eccleſia, neceſſariò debuerat eligi ab eccleſia. de qua electione dico primo, quòd hæc electio pertinet ad eccleſiam. licèt enim in ea poteſtas illa clauium non reſideat, tamen ad eam pertinet ius eligendi. Secundo, non pertinet hæc electio ad totum populum Chriſtianum, ſed ad clerum; quia regimen ſpirituale non pertinet ad laicos. Tertio, nec ad totum clerum, ſed ad Epiſcopos. Probatur; quia ad alios pertinent quædam communia miniſteria. tum quia Epiſcopi ſunt paſtores, tutores, & procuratores eccleſiæ. Quarto, quia hic modus eſſet difficilis. Dico, Petrus & eius ſucceſſores potuerunt eligere modum eligendi Pontificem. probatur; quia in Papa reſidet plenitudo poteſtatis. Secundo,

cundo, quia Petrus elegit clementem, vt patet cap. si Petrus. 8. q. 1. Secundus modus qui nunc est in ecclesia eligendi Pontificem, non est de iure diuino, est tamen optimus. probatur primum, quia non fuit semper iste modus, nec habetur in scriptura. probatur secundum, quia videmus hunc modum maximè durasse, & esse minùs expositum schismati. Dico Quarto, potestas iurisditionis nõ inuenitur in mulieribus; Vnde Abatissæ ex vi iurisditionis non possunt facere præceptum obligans ad peccatum mortale; quamuis ratione materiæ, & ratione voti possit obligare. probatur prima pars, ex d. Tho. in addit. q. 19. Dur. in 4. d. 19. q. 1. Palud. ead. q. 2. concl. 3. Sylu. verb. abatissa. Sot. d. 20. q. 1. art. 4. Victor. de Clau. num. 14. Secundo probatur ex 1. Cor. 14. *mulieres in ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.* 1. Tim. 2. *mulier subdita sit cum omni subiectione.* probatur item ex 8. & hic vbi habetur mulieres non debere gubernare. Item ex cap. noua. de pœnit. & remiss. ex cap. mulierem. 33. q. 5. ex cap. dilecta. de maiorit. & obed. Secunda pars probatur; quia sequitur ex præcedenti. Tertia pars probatur; quia posset esse præceptum tale quod ex materia obligaret ad mortale; & aliquando ad veniale. Item ratione voti; siqua monialis quæ vouit obedientiam si pertinaciter non velit obedire, peccat mortaliter. Vnde benè notat victoria supra, quòd malè facerent qui dicerent monialibus non teneri obedire abatissæ sub pœna peccati mortalis.

Decimumseptimum dubium. An soli Petro data sit à Christo iurisditio, an omnibus etiam Apostolis. Resp. prima opinio est Turrecrem. l. 2. cap. 54. & 57. quòd sit data soli Petro. Secunda est, omnes Apostolos accepisse à Christo parem potestatem ac Petrus accepit. Ita Victor. de Clauib. num. 5. & in relect. de potest. Eccl. q. 2. num. 8. Sot. in 4. d. 20. q. 1. art. 2. In idem recidit opinio Caiet. de potest. Papæ & concilij cap. 3. qui distinguit Apostolos dupliciter considerari. primo vt sic; & sic dicit esse pares. Secundo vt sunt oues Christi, & sic dicit Petrum esse superiorem. Quare dico, quòd Petrus recipit à Christo immediatè omnem plenitudinem iurisditionis; & potestatis Clauium super totam Ecclesiam, & super omnes Apostolos. probatur primo ex signis, & priuilegijs, quibus Christus ostendit se hanc potestatem Petro daturum, Ioan. I. mutauit Simoni nomen, quod non fecit alijs Apostolis. Matth. 10. nume-

rantur omnes Apostoli,& dicitur primus Simon.Matth.17.dixit Christus Petro, *Solue didragma pro me,et pro te.* Vide Ambr. & August.super nouum,& vetus testamentum,in qq.quia soluebatur didragma à capitibus familiarum. Luc. 5. dicitur Petro particulariter *duc in altum,&c.* Matth.14.solus Petrus ambulat super mare. Marc.14. Petro dicitur; *Simon dormis?* Luc.22.*Simon,ecce satanas expetiuit ut cribraret vos,&c.*item multis in locis Euangelij solus Petrus interrogatur,& solus respondet nomine omnium. probatur secundo, ex promissione quam fecit Petro Matth. 16. *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.* & licet aliqui dicant istam petram esse Christum, & fidem catholicam, tamen communis consensus (& melior) est,vt intelligatur de persona Petri. sic Chrysost.hom.15.in Matth.Hilar.ibid.Leo in secunda concione de natiu.Petri,& Pauli. August.pro retract. cap. 21. quamuis vtranque etiam expositionem admittat. Item Petro dicitur. *tibi dabo claues regni cœlorum,* propter meritum singulare fidei. probatur tertio,Ioan. vlt. ter interrogatur Petrus de amore,& ter dicitur,*pasce oues meas,*qui locus vim habet,tum quia ter interrogat ad innuendum quòd propter trinam negationem à Petro factam,non negaturus esset ei promissionem factam;tum quia dicit,*oues meas*; ergo quicunque non sunt oues Petri,neque sunt Christi; tum quia dicitur indeterminatè *oues*; non has, vel illas; tum quia dicitur *oues, & agnos*,idest prælatus,& subditos; tum quia dicitur *pasce*; nomen autem pascendi,& pastoris,pertinet ad officium regiminis,vt regat. Confirmatur; quia istud quod est pascere, debet respondere illi,*dabo tibi claues*;ergo pascere non solum est docere,sed etiã dare autoritatem ad regnum cœlorum. probatur quarto, ex act. 1. *exurgens Petrus in medio fratrum,&c.* & act. 2. Petrus habuit concionem. & act. 5. Petrus dat sententiam contra Ananiam,&c.& act.8.Petrus contra Simonem profert sententiam.act.5.Vas velut linteum demissum est à cœlo plenum omnibus animalium generibus, & dictum est Petro, *macta, & manduca,&c.*act.15.Venerunt Hierosolymam,&c.surgens Petrus dicit,*viri fratres,&c.*quare solus Petrus loquitur.

Decimumoctauum dubium. An Apostoli sint facti Episcopi à Christo immediatè, an à Petro? Resp. Prima opinio est Turrecrem. l. 2. cap. 32. & 34. esse factos Episcopos à Petro,

non

non à Christo qui fecit Episcopum solum Petrum. Secunda opinio est aliorum, factos esse omnes à Christo. Sot. 1.10.de iust. & iure. quæst. 1. art. 4. Ego dico, quòd Apostoli à Christo immediatè iurisditionem suam acceperunt, & pariter cum Petro potestate donati sunt, licèt illi fuerint subditi. crediderim tamen non à Christo, sed à Petro Episcopos conseruatos. Vnum est de fide, quòd Petrus sit caput omnium. an verò à Petro sint consecrati, vel à Christo immediatè, hoc est in opinione. Probatur prima pars. Primo ex Anacleto, & habetur cap. in nouo. dist. 21. cæteri Apostoli cum Petro pari consortio honorem, & potestatem acceperunt. Cypr. in Epist. ad Donat. & habetur cap. loquitur. 24. quæst. 1. Dominus (inquit) post resurrectionem parem potestatem omnibus Apostolis dedit. Hierony. l. 1. contra iouinian. ex æquo super omnes Apostolos ecclesiæ fortitudo solidetur. & ex eodem vt habetur cap. Paulus Petrum. secunda, quæst. 7. vbi dicitur, quòd Paulus Petrum non reprehendisset, si sciuisset se Petro imparem esse. Secundo, probatur ex varijs locis Euangelij, *euntes in mundum vniuersum, &c. sicut misit me pater, & ego mitto vos, &c.* Tertio, quia Apostoli vbique terrarum constituebant ecclesias, ordinabant pastores, & alia, quæ pertinebant ad regimen Ecclesiæ. & Galat. 2. habetur, quòd si qui videbantur aliquid esse, quales erant Petrus, Iacobus, & Ioannes, mihi (dicit) nihil contulerunt. Confirmatur ex eo quod canit Ecclesia; *quos constituisti Vicarios, &c.* ex quo infero: Primo, quòd licèt hoc verum sit, quòd Petrus erat superior ipsorum, tamen cum illa paritate in duobus est disparitas: Prima, quia Petrus erat super omnes illos; illi verò habebant potestatem dependenter à Petro; ipsi verò inter se non erant superiores. Secunda, quia potestas Petri erat ex officio ordinario; ipsorum autem erat ex delegatione. & hinc est, quòd successor Petri habet eandem plenitudinem potestatis quam habebat Petrus; successores Apostolorum non. Secundo infero, quando Clemens epist. prima dicit omnes Apostolos accepisse æqualem honorem, non tamen parem potestatem, & Anacletus quando Epistola secunda dicit, licèt fuerit æqualis dignitas, erat tamen discretio potestatis, intelligendi sunt vt diximus. Tertio, potestis intelligere quomodo se habebant Petrus, Clemens,

Ioannes Euangelista,& alij, quia Petrus erat superior in Apostolatu, sed pares in dignitate fuerunt. Rursum Clemens erat superior Ioanne Euangelista, quia Ioannes non fuit Vicarius Christi.fuit inferior in Apostolatu, & in scriptura facienda de fide;quia erat scriptura sacra. erant pares in ptestatis executione quam vnus habebat ex officio, alter ex delegatione. Secunda pars probatur. primo ex Anacleto cap. porrò.d.67.vbi dicitur,quòd Iacobus Alphæi filius Hierosolymæ Archiepiscopus fuit,primus ordinatus à Petro , alter à Iacobo, & Ioanne. Confirmatur,quòd ibid.dicitur, quòd Apostoli formam dederunt consecrandi Episcopos, vt nõ minus consecrentur,quàm ab alijs tribus Episcopis. Confirmatur etiam Matth. 10. vbi idem habetur. Secundo, Clemens ep.2.vocat Petrum magistrum,Principem Apostolorum,& ordinatorem.Tertio,ex act. 13.*segregate mihi Paulum,& Barnabam,& orantes , & ieiunantes,& imponentes eis manus dimiserunt eos*;ergo consecrarunt illos Episcopos. Confirmatur; quia Leo Papa cap. quòd dic d.15.dicit, Paulum ordinatum ab Apostolis Episcopum. Quarto,quia ex scriptura non possumus probare, quòd Apostoli sint facti Episcopi à Christo. Dices; quomodo ista pars concordat cum prima?nam si facti sunt Episcopi à Petro, quomodo ergo parem potestatem acceperunt cum Petro? Resp. quia potestas iurisditionis est longè distincta à potestate ordinis, & consecrationis.

Decimumnonum dubium. An successor Petri sit Pontifex Romanus. Resp. affirmatiuè, in quo omnes catholici concordant,quare dico , quòd Petro in officio debet semper aliquis succedere , sicut Apostolis ; & iste est Pontifex Romanus, qui habet plenitudinem potestatis vt Petrus, & solus habet. probatur prima pars: Primo,Christus instituit ecclesiam non solum pro tempore Petri,& Apostolorum, sed perpetuò duraturam;ergo debuit regimen,& potestas perpetuò durare, ergo non solum reliquit potestatem pro illo tempore,sed perpetuò. antecedens probatur Luc.22.*ego rogaui pro te petre, vt non deficiat fides tua* . & Matth. 16. *portæ inferi non præualebunt, &c.* Confirmatur , quia non datæ sunt claues Apostolis pro ipsis,sed ad regimen ecclesiæ. Confirmatur , quia sancti,& patres dicũt,quòd claues datæ sunt illis repræsentantibus ecclesiam.2.ephes.4.*quosdam dedit Apostolos , &c. donec occurramus*

ramus ei in virum perfectum in mensurã ætatis plenitudinis Christi: Hebr.7.*trãslato sacerdotio opus est vt lex transferatur*; sed lex Christi est perpetua,ergo & sacerdotiũ. Tertio,regimen monarchicum est optimum regimen , & Christus à principio istud instituit in persona Petri,ergo etiam nunc seruatur idem regimen;quia Christus non minùs amat nunc ecclesiam,quàm priùs amauerat. Quarto, certum est quòd Apostolis successerũt Episcopi; nam Paulus substituit Timotheum,Titum:& alij alios;ergo sicut Apostolis successerunt Episcopi,ita Petro successerunt Pontifices.probatur secunda pars.primo, quia vltima sedes Petri fuit vrbs Romæ;ergo Episcopus Romanus debet illi succedere. Confirmatur ex continua successione vsque ad nostra tempora;nam Petro successit clemens,clementi,cletus,& sic deinceps. Secundo probatur ex concilijs generalibus; in Nicæno expressè habetur ecclesiam Romanam esse matrem ecclesiarum,& sine Pontifice Romano non congregatur concilium generale. & licèt canones non sint in concilio, tamen citantur ab Athanasio ep.ad Marcum. & à Iulio Papa in quadam ep. Pelag.d.17.in concilio Chalcedon. act. 1. dicitur Romana ecclesia caput omnium ecclesiarum,& actione 3.fuit acclamatum Leoni à tota Synodo,magnus Leo,& vniuersalis. In Constant.5.in sententia cuiusdam Mennæ dicitur , nos obedimus Romano Pontifici:& omnes acquieuerunt eius sententiæ. in sexta synodo.action.4 fuit acceptata instructio Agathonis, in qua dicebatur Romanam ecclesiam esse matrem omnium. Idem in concilio Later.& in Trid.sess.7.can.3. Tertio,probatur ex cap. quamuis. d. 21. est Pelagij. & cap.omnes.d.22.est Nicolai.& cap.sacrosancta.est Anacleti.& cap.nõ decet. d.21. est Calisti.& cap.cuncta.9.q:3.est Gelasij.Dices,An sit de iure diuino successorem Petri esse Romæ?Sot.in 2.d.24.art.5. dicit non esse de iure diuino.& fortè ita est;quia videtur hoc factum esse potius autoritate Petri,quàm institutione Christi.dico *fortè*,quia mihi non constat;nam fortè Petrus habuit hanc iussionem à Christo,vt videtur dicere Marcellus cap. rogamus. 24. q.1.& Innoc.in cap.per Venerabilem. tit. qui filij sint legitimi allegat illam historiam,*Vado Romam iterum crucifigi*. Tertia pars probatur primo,quia sequitur ex dictis.Secundo,quia est vniuersalis pastor totius ecclesiæ.ergo &c. quæ autem & quãta sit hæc plenitudo,legendus est Turrecrem.l.2.cap.52.Quarta,

ta pars probatur; primo, quia solus Pontifex habet primatum, ergo solus ipse habet plenitudinem potestatis. Confirmatur ex Leone cap. multum. 3. q. 6. & ex Iulio Papa, cap. qui se scit 2. q. 6. Secundo, regimen ecclesiæ est monarchicum, ergo in solo Papa est plenitudo potestatis. antecedens est probatum à Turrecrem. l. 2. cap. 2. Confirmatur ex Ioan. 10. *erit vnum ouile, & vnus pastor.* consequentia videtur bona; quia in regimine monarchico tota plenitudo potestatis residet in vno solo supremo principe.

Vigesimum dubium. An Episcopi habeant iurisdictionem de iure diuino à Christo immediatè, an à Pontifice. Resp. prima opinio est, habere à Papa. Ita Turrecrem. l. 2. cap. 54. & d. Tho. l. 4. contra gent. cap. 76. Secunda opinio, quòd sit de iure diuino. Sot. l. 10. de iust. & iure. quæst. 1. art. 4. Quare dico; quòd omnes Episcopi, & consequenter omnes Curati non habent iurisditionem de iure diuino, sed à Pontifice. explico; certum est, quòd dignitas Episcopalis non est institutio humana, sed diuina; succedunt enim Episcopi Apostolis; & hoc omnes admittunt. Secundo, non disputamus hic an Episcopus sit ordo distinctus supra sacerdotalem; nam si nomine ordinis intelligas dignitatem aliquam, est contra Vuigleff, qui non admittit Episcopos esse superioris dignitatis à sacerdote. si intelligas nomine ordinis ordinem sacramentalem, tunc in opinione est, an Episcopalis ordo sit distinctus à sacerdotali: Neque disputamus de potestate ordinis in Episcopo, qualis esset conferre ordines, confirmare, &c. nam hæc etiam est de iure diuino. Neque est dubium, quòd sit de iure diuino, vel ecclesiastico, an sit hoc, vel illo loco Episcopus; nam certum est esse Episcopus huius loci, vel illius. Sed dico quæstionem esse, An supposito quòd Papa ponat hunc, vel illum Episcopum in hoc vel illo loco, an ille sic positus habeat iurisditionem in illum populum de iure diuino, an à Pontifice; sicut diximus de Papa electo à Cardinalibus qui eligunt personam, tamen iurisditionem non dant Cardinales, sed est à Deo. Conclusio dicit, quòd habent à summo Pontifice. Probatur primo, in Petro, & Papa est plenitudo potestatis, & iurisditionis; ergo &c. Probatur sequela ex Cyprian. epist. ad Nouatian. 24. quæst. 1. & August. tract. 124. in Ioan. Secundo, Omnes eccle-

ecclesiæ sunt fundatæ à Romana; ergo Episcopi ecclesiarum non habent iurisditionem nisi à Romano Pontifice. Consequentia est bona; quia si de iure diuino non sunt Ecclesiæ illæ fundatæ, quæro, isti primatus cathedrales, & primatiales, &c. sunt à iure diuino? non; ergo &c. antecedens probatur ex Nicolao dist. 22. Omnem Ecclesiam dicit esse institutam à Romana. cap. in illo. dist. 80. ex Gregor. cap. sancta Romana 2. quæst. 6. ex Iulio Papa cap. causam. & cap. qui se scit. d. ead. Tertio, ex Cyprian. supra. qui comparat alias Ecclesias in ordine ad Romanam radijs, fluuijs, & ramis; in ordine ad solem, fontem, & radicem. Iustin. Imperator in quadam autent. vt Romana, dicit antiquam Romam habuisse apicem summi Pontificatus, & fontem sacerdotij. Vigilius in Epistola ad Eleuterium vocat fundamentum. Anaclet. cap. sacrosancta. dist. 22. Vocat Cardinem aliarum Ecclesiarum. Quarto, si non à Papa reciperent iurisditionem, ergo Papa non posset prohibere actus Episcoporum. non posset commutare, suspendere, confirmare, diuidere, coniungere Episcopatus, amplificare, &c. Dices, non sequitur hinc, quòd ob id non sit de iure diuino potestas Episcoporum; nam potest dici, quòd Papa intantum facit hoc, inquantum subtrahit subditos Episcopis. dico tamen, quòd sequitur; quia si Papa dat illis subditos, ergo etiam dat iurisditionem quæ est correlatiua ad subditos. Dices, An opinio contraria possit defendi. Resp. quòd sic; non enim illa opinio negat Episcopos, & omnes Ecclesias non esse subditas Pontifici Romano. & cum hoc, dicunt iurisditionem habere de iure diuino, sicuti Parochus recipit suam curam ab Episcopo, & tamen est subditus Vicario Episcopi. tamen prima opinio est melior. aliqui verò volunt conciliare vtranque opinionem, & dicunt, quòd iurisditio habitualis est de iure diuino, actualis autem est de iure ecclesiastico. sicuti idem dicunt de iurisditione sacerdotum. spectat etiam ad potestatem clauium potestas excommunicandi, & indulgendi: sed de excommunicatione, & indulgentijs, alibi dicemus. nunc de pœnitentia & partibus eius, hæc dicta sufficiant.

TRA-

TRACTATVS DECIMVS.

De Extrema Vnctione.

Agit de hac re D. Tho. in 3. p. in addit. q. 29. & doctores in 4. d. 13. dicemus nos. primo de his quæ spectant ad substantiam huius sacramenti. secundo de materia. tertio de forma. quarto de ministro. quinto de suscipientibus. sexto de effectibus. septimo de necessitate.

De his quæ spectant ad substantiam huius sacramenti. Cap. I.



CVM varia sint Vnctionum genera, de illa hic agitur, quæ infirmis in mortis articulo constitutis exhibetur. Vnde dicitur infirmorum vnctio, & exeūtium sacramentum, iuxta catechismum Romanum, & extrema vnctio; quia extremo loco ministratur. Sed negant hæretici extremam vnctionem esse sacramentum; concedunt tamen illud oleum profuisse corpori. Primo; quia Iacobus Apostolus pollicetur hac vnctione corporis sa-

ris sanitatem; ergo sicut reliquæ cæremoniæ Apostolorum, quibus sanabant infirmos expirarunt, ita & hæc. Secundo hac vnctione etiam vtebantur laici ad sanandum infirmos, ergo non erat sacramentum. Videndus est Palud. in hist. sanctorum cap. 13. 20. & 43. ait Eremitam hoc sanasse infirmum. & Theodor. idem ait de sancto Aphrate. Tertio, ita Christus Apostolis tribuit gratiam curationum per oleum, ne sibi illud donum tribuerent, sicuti Moysi per virgam; ergo tantum fuit admiraculum, ergo non fuit sacramentum. Quarto, ait Lutherus, sequeretur nos posse perpetuare vitam ægrotantium. Quinto, cur dicit sanctus Iacobus *inducat presbyteros*, nisi vt multi simul orent? nam si esset sacramentum, & non oratio, sufficeret vnus presbyter. Sexto, omnium sacramentorum aliquæ figuræ præcesserunt, sed huius nulla præcessit, non igitur est sacramẽtum. Septimo, quia Dionysius in eccles. Hier. suscepta prouincia explicandi omnia sacramenta, de hoc nihil dixit. Respondent nonnulli, Dionysium explicuisse sacramenta pertinentia ad actus Hierarchicos, ad quos non pertinet vnctio. Contra, quia purgat reliquias peccatorum. Confirmatur, quia Dionysius meminit vnctionis post mortem; at papistæ dicunt morituro tribuendam esse vnctionem. Octauo, multi dicunt hanc vnctionem fuisse ab Apostolis institutam; vt Magist. Hugo, Bonau. Confirmatur, quia solus Iacobus de hoc duo verba dixit, cuius epistola etiam est dubia; nam Euseb. l. 2. Hist. cap. 23. dicit esse adulterinam; nam veteres eius non meminerunt. & Hier. in catal. ait multos dubitasse de ea, sed procedente tẽpore acquisiuisse autoritatem. & Innoc. I. in epist. ad Exuperium, reijcit ex canone ea quæ circunferunt nomine Matthiæ, seu Iacobi minoris. Item, quia hæc epist. repugnat Paulo in epist. ad Rom. cap. 4. vbi dicitur Abraham iustificatus ex fide, & non ex operibus. at Iacob. 2. dicitur Abraham iustificatus ex operibus. His non obstantibus,

Dico; extremam vnctionem, seu oleum infirmorum, esse verè & propriè sacramentum nouæ legis. ex concil. Trid. sess. 7. can. 1. & sess. 14. can. 1. de sacram. extr. vnct. & fuit à Christo domino institutum, & à Iacobo promulgatum, vt ait Trid. ibid. licèt autem in hoc sacramento plures vnctiones sub diuersis formis exhibeantur, vnum tamen est sacramentum non partium continuatione, sed perfectione, sicut eucharestia, & ordo; nam

nam ipse vnctiones omnes ad vnum finem ordinantur scilicet ad salutem animæ, & corporis. Palud. in 4. d. 23. q. 1. art. 3. concl. 2. Victor. q. 205. d. Tho. in addit. q. 79. art. 2. Sot. in 4. d. 23. q. 1. art. 1. concl. 2. Definitur autem, esse sacramentum infirmorum ad salutem animæ, & corporis. Sot. in 4. d. 23. q. 1. art. 1. Probatur ex Iacobo cap. 5. cùm enim remittat peccata vt ibi dicitur, & id non fiat sine gratia, est sacramentum. Ibi enim est cæremonia externa cum promissione gratiæ, quæ duo perficiūt rationem sacramenti. Caiet. ait, inde non colligi, quòd vnctio dat gratiam, nam (ait) *& oratio fidei saluabit infirmum*. Sed contra; nam vel vnctio confert corpori, & hoc non; quia non semper curatur; ergo semper habet suum effectum in anima. oratio autem fidei est forma sacramenti. Confirmatur; quia oratio fidei est oratio vniuersalis ecclesiæ, cui fides deesse non potest. Secundo probatur ratione, ex Trid. sess. 4. quia Christus debuit præcipuis difficultatibus subuenire; debuit ergo præcipuè morientibus subuenire, quorum exitus multas habet difficultates. Cyrill. de exitu animæ. Greg. hom. 39. in euang. & l. 24. mor. cap. 17. Climac. grad. 7. Nyss. hom. 1. de Mon. difficultates verò præcipuæ sunt quatuor. Prima, ex parte subiecti; nam si *corpus quod corrumpitur agrauat animam*, multo magis dum corrumpitur; quia debilitantur potentiæ. Secunda, ex parte termini à quo; quia relinquit omnia delicta. Tertia, ex parte termini ad quem; propter futurum iudicium. Quarta, ex parte Dæmonis, qui cùm sciat sibi parum esse temporis, valde vexat morientes.

Ad 1. Resp. inter vnctionem Christi, Apostolorumque, ac nostram, multum interesse; nam de vnctione Christi non habemus præceptum. de nostra habemus, *inducat presbyterum, &c.* præterea, in nostra habemus promissionem remissionis peccatorum, non in illa. præterea, hæc commendatur solum presbyteris ecclesiæ, quare indicatur esse quid sacramentale, illa non. Ad 2. Resp. esse calumniam; nam etiam multi per baptismum curabantur, quapropter ad illud veniebant infirmi, ex August. epist. 23. & l. 2. ciu. cap. 8. quare sancti solebant benedicere aquam, eaque illos aspergere, quod fecit Macharius ex Palladio in hist. sanct. cap. 20. & Iacob Eremita ex Theod. cap. 21. & Malach. ex Bern. simile etiam fuit de extrema vnctione, quod sancti oleo vngebant ad similitudinem olei

olei sacramentalis, sicut illi ad similitudinem baptismi, neutrum verò erat sacramentum. Ad 3. Resp. futile esse; nam Apostoli etiam sine oleo faciebant miracula; quare non benè prouisum est vanæ gloriæ. Præterea si elementum externum solum est ob cauendam superbiam, nec baptismus erit sacramentum, in quo est elementum externum. Ad 4. Resp. non possumus perpetuare vitam; quia ecclesia etiam orat conditionatè, si expedit eius saluti. Ad 5. Resp. presbyteri in plurali, non plures significat, sed indefinitè; idest aliquem sacersacerdotem. Ad 6. Resp. quòd vltimus effectus, seu dispositio huius sacramenti est ingressus regni cœlorum, qui est proprius legis euangelicæ, quare non oportet præcessisse figuras. Ad 7. Resp. oleum illud post mortem fuisse cæremoniam. Dionysius verò constituebat ecclesiam hierarchicam, in qua debuit tradere actus hierarchicos; idest perficere, illuminare, & purgare; qui actus aliter sumuntur à Dionysio, quàm nunc. nam purgare nunc, significat à peccatis. Dionysius verò purgare (ait) esse Diaconorum, & ostiarium; quare purgare secundum Dionysium est disponere ad gratiam per institutionem aliquam, & ministerium eorum, qui inseruiunt altari. illuminatio verò est collatio gratiæ apud Dionysium, sed non quælibet; quia ex cap. 3. ecclef. hier. illuminare est conferre primam lucem, ita vt simpliciter supponantur tenebræ; igitur non meminit extremæ vnctionis; quia non perficit, cum non det gratiæ plenitudinem; quod est proprium eucharistiæ, ordinis, & chrismatis. nec purgat; quia non disponit ad gratiam, sed confert gratiam. nec illuminat; quia non supponit peccatum, neque pœnitentiam; quia licèt supponat peccatum, tamen non supponit tenebras simpliciter, sed supponit primam lucem, idest fidem. Vnde expressè ait Dionysius baptismum solum illuminare. Ad 8. Resp. esse de fide, Christum instituisse vnctionem. neque verò Iacobus sine Christi præcepto potuit remissionem peccatorum polliceri. quòd verò alij omiserint, id frequens est in scripturis, quod ab vno omissum est, ab alio suppleri, vt patet in euangelistis. epistolam autem Iacobi esse canonicam, probat Dionysius, qui incipit librum suum à sententia Iacobi. & cap. 7. allegans sententiam Iacobi, ait esse scripturam diuinam. Item in l. diu. nom. cap. 4. & ignat. epist. ad ephes. alleat Iacobum. & Clem. epist. 3. & 3. & alij. & patet ex concil.

Trid. Ad Eusebium. Resp. illud addere: *nos tamen scimus, quòd recepta sit in plurimis ecclesijs.* Ad Hieronym. Resp. dubitatum quidem fuisse, sed sublatam esse suo tempore dubitationem. Ad Innoc. Resp. ille reijcit alias quæ tribuebantur Apostolis, sed non hanc. Neque repugnat Paulo; nam August. in præfat. in Psal. 31. dicit Paulũ, eoquòd scriberet ad eos qui hebraizabant, & fidem contemnebant, ideo exaltasse fidem. Iacobus autem, quia scribebat fidelibus negligentibus opera, ideo ea exaltat. neuter tamen excludit necessitatem vtriusque, sed sufficientiam tantum alterius. Vnde fides vt radix, & fundamentum; opera vt fructus, & ædificium necessaria sunt.

De materia huius sacramenti. Cap. II.



PRimum dubium. Quid est materia huius sacramenti.

Resp. Materia huius sacramenti est oleum oliuarum ab Episcopo consecratum ordinariè. est oleum, vt patet ex Marco, Iacobo, & concil. Trid. sess. 5. can. 1. & sess. 14. can. 1. de sacram. extrem. vnct. & doctores communiter tenent. est oleum oliuarum, nam nomen analogum stat pro principali significato. olei igitur appellatione simpliciter oliuarum intelligitur. Riccar. d. 23. q. 3. Palud. ibid. q. 1. art. 1. Sot. q. 1. ar. 3. Sylu. verb. vnctio. q. 1. & alij. quare oleum amygdalarum, lini, nucum, &c. non potest esse materia huius sacramenti; neque in hoc potest dispensari; Palud. supra. Confirmatur; quia effectus sacramenti, idest gratia, & misericordia maiorem habet affinitatem cum oleo oliuarum, quàm cum alijs, ita; vt si non retineat essentiam olei oliuarum, non sit sacramẽtum, vt dixi de materia baptismi. Sylu. verb. vnctio. q. 1. Sot. art. 3. cit. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 15. §. 1. idem dicas de oleo rosato. ibid. Vict. q. 216. & est communis. Vnde cum Innoc. I. epist. ad Decent. ait, infirmos esse vngendos chrismate, de hoc oleo intelligit. Debet autem hoc oleum esse ab Episcopo consecratum; quia hoc est de essentia vt sit ab Episcopo benedictum. sic definitur ab Innoc. III. tit. de sacra vnct. & recipitur

à con-

à concil. Flor. & Trid. sess. 14. cap. 1. de sacram. extremæ vnct. Beda in Marc. 6. & Luc. 9. & Iacob. 5. D. Tho. in addit. q. 29. art. 6. Sot. d. 23. q. 1. art. 3. Bonau. art. 2. Secundo, quia id videtur Iacobus insinuare cum dicit, *Vngentes oleo in nomine Domini*; idest benedicto in nomine Domini, vt ait Beda, non enim vnguntur in nomine domini ita vt hoc sit forma; ergo illud *in nomine Domini* refertur ad benedictionem olei. Tertio, nam illa sacramenta quæ non fuerunt adhibita à Christo, non fuerunt eius contactu sanctificata, ergo debent santificari ab Episcopo. Sed est

Secundum dubium. An sit de essentia huius sacramenti vt oleum sit benedictum? Caiet. 3. p. q. 72. art. 3. negat sub dubio. Victor. q. 217. sequitur illum tanquam probabile. Sed oppositum est dicendum cum concil. supra cit. & Sot. & patet ex vsu ecclesiæ. Vnde benedictio non est de necessitate præcepti, sed de necessitate sacramenti.

Tertium dubium. An benedictio Episcopi sit de necessitate huius sacramenti? Resp. affirmatiuè, ex concil. Trid. Bonau. D. Tho. & Sot. supra. Durand. q. 2. quamuis aliqui dicant Papam posse committere huiusmodi benedictionem simplici sacerdoti. ita Palud. d. 23. q. 1. conclus. 3. Scot. d. 7. q. 1. & probabile id putat Ledes. 1. 4. q. 31. art. 6. imo putat posse committi ab Episcopo, quod patet esse falsum; quia est contra communem sententiam, & vsum ecclesiæ. Secundo, quia ideo Episcopus est maior, quia potest plura quàm presbyter, plus enim est posse duo, quàm vnum. Vnde licèt à presbytero consecrari possit eucharistia, non tamen potest oleum, vt putat Caietanus. Confirmatur; nam Episcopus, & presbyter æqualem habent potestatem super verum Christi corpus, non autem super mysticum, scilicet ecclesiam; at hoc, scilicet olei benedictio pertinet ad mysticum. Dionys. eccles. Hier. cap. 5. omnem sacram vnctionem tribuimus Episcopo. Dixi supra, *ordinario*, quia probabile est dispensante Papa posse id committi sacerdoti. Dices, An possit Papa mutare, aut determinare consecrationem? Resp. affirmatiuè, cum Palud. supra art. 1. concl. 2. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 18. §. 1. Sylu. verb. vnctio. q. 1. sed inferior Papa non potest secundum eosdem.

Quartum dubium. An oleum consecratum ab Episcopo liceat admiscere cum alio non consecrato. Resp. affirmatiuè;

quia sic totum sit consecratum dummodo sit oleum oliuarum: probatur ex cap. qui in dubijs. de consecr. ecclesiæ. Palud. Anton. supra cit. intelligitur tamen dummodo oleum non consecratum in minori quantitate misceatur; ita vt conseruetur identitas olei consecrati, & totum retineat eandem consecrationem. Sylu. supra. Dices, an sit de necessitate huius sacramenti, vt oleum sit eodem anno consecratum? Resp. negatiuè. seruanda est tamen consuetudo ecclesiæ.

De forma. Cap. *III.*



PRimum dubium. Quænam est forma huius sacramenti.

Resp. Forma huius sacramenti qua vtitur Romana ecclesia hæc est; *Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, tactum, &c.* & similiter in alijs membris; ita concilium Flor. & Trid. sess. 14. de extrem. vnct. cap. 1. & colligitur ex Iacobo cap. 5. & est vniuersalis vsus ecclesiæ, & communis sententia doctorum. d. Tho. in addit. q. 29. art. 4. Sot. d. 23. q. 1. art. 4. catechis. Rom. & alij. Est autem notandum in hac forma non esse modum indicatiuum, neque primam personam, nihil tamen obest veritati formæ; quia in bulla vnion. Armen. in concil. Flor. definitur esse vera forma, *baptizetur Christi seruus, &c.* sufficit enim (ait concilium) exprimi in forma agens principale, (vt diximus de baptismo) & actionem ministri. hic autem vtrunque exprimitur. Sed est

Secundum dubium. Cur vtitur modo deprecatiuo, non autem indicatiuo? Resp. Primo, quia Iacobus primus promulgator, hoc modo insinuauit. Secundo, quia ecclesia versatur circa morientem, & penè destitutum, non potuit ergo conuenientiùs committere quàm Deo. Tertio, propter effectum secundarium, scilicet corporis sanitatem, quæ non absolutè, sed conditionatè petenda est; ideo vtitur modo deprecatiuo.

Tertium dubium. Quis effectus exprimitur in hoc sacramento? Resp. Effectus communis (licèt contingens) est remissio

missio peccati quod debuit fieri. Primo, quia sacramentum propriè est signum remissionis peccati. Secundo, quia hic effectus aliquando est causa reliquorum; quia ex Hugone radix morborum vtplurimum est peccatum. Sed quoniam hic effectus communis non per se primò competit huic sacramento, idcirco vtimur forma deprecatiua. ex hoc interpretari potest quod ait concilium Flor. scilicet in hoc sacramento remitti peccata,& reliquias. Primo, vt per reliquias intelligat peccata omissa in confessione vel per negligentiam, vel per ignorantiam;& hoc modo est effectus communis. Secundo, vt intelligatur diminutio fomitis:& sic est effectus communis. Tertio, molestiæ morborum, & conflictus morientium, quæ sunt reliquiæ saltem peccati originalis, & sic est effectus proprius.

Quartum dubium. Hæc forma est ne de iure diuino, an ecclesiastico? Resp. sunt duæ sententiæ. Prima, est d. Tho. in 4. d.23. Scot. Bonau. Sot. Altisiod. 4. p. summ. tract. de extrem. vnct. quòd sit de iure diuino. probatur Primo, ex concl. Flor. & Trid. & vsu ecclesiæ Romanæ. imo Trid. anathematizat eos qui dicunt ecclesiam Romanam habere vsum dissentaneum à Iacobo in hoc sacramento. & tit. de heret. C. ad abolendum. anathematizat eos qui aliter sentiunt de ritibus sacramentorum ac ecclesia Romana. idcirco tenent hi, quòd forma huius sacramenti sit tantum deprecatiua. Confirmatur ex Iacobo, qui promulgauit nobis formam per modum deprecationis; vt supra in primo dubio dictum est. Secundo, quia de iure diuino est, vt bona corporalia petantur deprecatoriè; at hic petimus sanitatem, ergo &c. Secũda sententia est Riccar. ar. 1. q. 4. Dur. q. 3. Palud. q. 1. & Gabr. qui tenent vtroque modo posse conferri, id est per verba indicatiua, & deprecatiua. probatur primo, ex baptismo Græcorum, *Baptizetur Christi seruus. &c.* qui modus est deprecatorius, & tenet; vt ibi diximus. Ita ex hoc, *Vngentes eos, &c.* debemus colligere, *ego te vngo.* Secundo, quia in quibusdam ecclesijs vt Mediolani, & in Germania est alia forma; nam Mediolani dicunt Bonau. & Dur. ecclesiam Ambrosianam vti modo indicatiuo; vt, *Vngo hos oculos tuos oleo sanctificato, in nomine patris, & filij, & Spiritussancti.* Ego dico. si auctores prædicti verè, & fideliter narrarunt in diuersis ecclesijs fuisse variatum sciente ecclesia

Roma-

Romana, & approbante, existimo formam hanc non esse de iure diuino; si non verè, & fideliter, existimo esse de iure diuino: quod tutius est. An autem hi doctores verè, vel falsò narrauerint, non est meum iudicare. quare

Ad primum prioris sententiæ. Resp. ecclesiam Romanam non errare sed congruenter facere. non idcirco tamen alius ritus esset malus. Nunc autem post concilium Florent. & Trid. subditi debent tenere hanc formam, cùm ea definita sit ab ecclesia. Ad confirmationem, Resp. Iacobus potest exponi de precibus ante sacramentum; nam formæ sacramentorum vocantur preces mysticè. quare ecclesiæ quæ vtuntur iudicatiua, vtuntur etiam simul forma nostra. dicunt enim, *Vngo hos oculos oleo consecrato, vt parcat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, &c.* & ita in alijs partibus; *id est per auditum, &c.* alioquin non esset sacramentum. quare illa verba quæ addunt non sunt forma; sed dispositio ad illam, vt docet Anton. 3, par. tit. 14. cap. 18. §. Sylu. verb. Vnctio. q. 2. illa autem additio, vel alia mutatio quæ formæ sensum non mutat, sacramenti essentiam non tollit. vt diximus supra de sacramentis in genere.

Quintum dubium. An sit de essentia huius formæ inuocatio expressa sanctissimæ Trinitatis? Resp. negatiuè. ex Sylu. verb. vnctio. quæst. 2. de Ledes. 2. 4. quæst. 31. artic. 4. Neque vllum est de hoc præceptum, quicquid dicat Palud. quæst. 1. art. 2. similiter nec signum Crucis; Sylu. & Ledes. supra. contra Palud. Dices, an hæc verba debeant simul proferri cum vnctione? Resp. simul moraliter concurrere debent: vt dictum est de baptismo.

Nauar. cap. 22. num. 14. Sylu. verb. vnctio. quæst. 7.

De

De Ministro. Cap. IV.



Rimum dubium. Quis est huius sacramenti minister.

Resp. Minister proprius huius sacramenti est sacerdos ordinatus ab Episcopo, nam is intelligitur à Iacobo cum dicit, *inducat presbyterum*. Ita Chrysost. 3. de sacram. & Beda in Iacob. 5. ita concilium Flor. & Trid. sess. 14. cap. 3. & 4. de extrem. vnct. cap. quæsiui. de verb. signif. Sylu. verb. vnctio. q. 4. Nau. cap. 22. num. 12. Probatur secundo, quia iste actus est hierarchicus; quia purgat, & illuminat, quod sacerdotis est. Dionys. eccles. hier. cap. 3. 4. & 5. Tertio, oratio fidei non est priuati; sed ecclesiæ per suum ministrum scilicet sacerdotem, quę non potest deficere, cùm priuatus quilibet possit deficere à fide. Hinc infertur primo, quòd si à non presbytero celebratur, erit nullum. Sot. dist. 23. quæst. 2. D. Tho. quæst. 11. art. 1. Secundo, infertur non esse opus vt ab Episcopo ministretur, vt patet ex Trid. sess. 14. cap. 3. Tertio, quòd neque diaconi possunt ministrare. D. Tho. art. 2. Sot. supracitatus. Ledes. 2. 4. q. 33. art. 2. Imo nec Episcopus confirmatus, si non sit presbyter; eadem ratione. Quarto, hinc confutatur Valdensis, qui putat id licere laico in articulo mortis. Contra quem Sotus supra.

Secundum dubium. An sacerdoti competat vngere ex commissione Episcopi, an verò ex proprio officio, idest quia sacerdos est; nam canon presbyteros. dist. 95. præcipit, seu permittit ei vngere infirmos; ergo ex officio facit. Resp. id illi competere ex officio sacrificare, & abluere à peccatis. Sot. & Ledes. supra. Victor. quæst. 220. & hic est sensus canonis citati, vt docet Sotus. Secundo dico; minister huius sacramenti est proprius sacerdos, vt patet ex clementina prima de priuil. Sot. art. 1. cit. Palud. & Victor. supra.

Tertium dubium. An si administraretur à non proprio sacer-

De suscipientibus. Cap. V.



Primum dubium. Qui sunt suscipientes huius sacramenti.

Resp. Hoc sacramentum non potest conferri nisi infirmis. concilij. Trid. sess. 14. cap. 3. Sot. d. 23. q. 2. art. 2. Ledes. 2. 4. q. 34. art. 4. D. Tho. in addit. q. 32. art. 1. & Catechis. Rom. Riccard. d. 21. art. 2. q. 4. Nauar. cap. 22. num. 11. Secundo dico, esse de necessitate sacramenti vt conferatur infirmis, adeo ut si sanis conferatur, non sit sacramentum. Sot. & Ledes. supracitati. Tertio, Non cuilibet ministrari debet, sed tantum existentibus in articulo mortis. D. Tho. in addit. q. 32. art. 2. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 15. §. 6. & est communis. Quòd si ministraretur leuiter ægrotanti, non esset sacramentum, vt ait Ledes. supra cit. & colligitur ex D. Tho. Sot. & alijs. Quarto, non est expectandus articulus quo infirmus sensu careat, vt docet Sot. supra. & Anton. cap. 8. §. 3. loco cit. neque expectari debet vt salus infirmi sit omnino desperata. Imo Catechis. & Sot. docent grauiter peccare eos qui hoc tempus obseruant. sed sunt nonnulla dubia.

Secundum dubium. An hoc sacramentum sit conferendum damnatis ad mortem, vel bellum ingressuris, vel nauigantibus? Resp. negatiuè. quia non sunt infirmi; Sot. supra. concl. 2. Nau. cap. 22. num. 13. Sylu. verb. vnctio. q. 4.

Tertium dubium. An sit conferendum pueris ante vsum rationis? Resp. negatiuè, etiamsi grauiter ægrotarent. D. Tho. in addit. q. 32. art. 2. quia non possunt deuotè, & reuerenter suscipere. non est tamen necesse expectare decimum quartum annum, sed cum primùm possunt deuotè suscipere, est illis dandum. Nau. cap. 22. num. 13.

Quartum dubium. An sit dandum amentibus? Resp. illis qui nati sunt in amentia non est ministrandum hoc sacramentum; nam cùm non sit sacramentum simpliciter necessarium, est consulendum reuerentiæ sacramenti; deest enim illis deuotionis effectus. Item, quia nunquam peccarunt. D. Tho. supra.

pra.art.3.Sot.concl.3.Victor.q.222. Qui autem habent lucida interualla, possunt vngi hoc oleo, etiam tempore amentiæ si sana mente petierint; dummodo sine indecentia dari possit. Idem est dicendum de infirmis qui inciderunt in phrenesim. Sot.& Victor.supra.Nau.cap.22.num.15.Imo pium est illos funibus ligare.Palud.art.2.concl.1.loco cit.Sylu.verb.vnctio. q.2. §.2.

Quintum dubium. An adulti qui in articulo mortis baptizantur, sint vngendi? Resp. affirmatiuè; quia instant ei magna certamina. & quia effectus primarius huius sacramenti est hilaritas mentis; & hac indigent omnes infirmi. Palud. & Sylu. supra. Ledes.2.4.q.39.art.2. Anton.supra.§.6. Obijcies; quia esset fallax forma cum omnia peccata sint condonata per baptismum. Resp. Palud. intelligi sic; *indulgeat tibi Deus, &c.* non quoad culpam,& reatum;sed quoad hunc effectum, scilicet contra angores mortis. Vel *quicquid* potest exponi *siquid* deliquisti.

Sextum dubium. An ex senio morientibus hoc sacramentum conferri possit? Resp. affirmatiuè; ex Anton. supra.cit. Nau.cap.22.num. 15. quia ipsa senectus infirmitas est. Dices, quid si parochus dubitet sit mortuus, nec ne: quid faciendum? Resp. esse vngendum sub conditione, dicendo; *si mortuus es, ego non te vngo; si non es mortuus, per istam sanctam vnctionem, &c.* quòd si inter vngendum apparet illum esse mortuum, debet cessare. Palud.q.7.art.1.concl.3. Anton.supra.§.3.Sylu. q.5.§.4. Quæres, si sacerdos moriatur antequam absoluat omnes partes vngere, quid faciendum? Resp. debent reliquæ partes vngi ab alio sacerdote.

Septimum dubium. Quæ partes sunt vngendæ? Resp. concilium Flor. numerat septem. oculos propter visum; aures propter auditum; nares propter odoratum; os propter gustum & sermonem; manus propter tactum; & hæ quinque partes propter quinque sensus. & hæ vnctiones sunt de essentia sacramenti, & est ritus ecclesiæ qui vbique seruatur. nonnullæ autem ecclesię habent vsum vngendi renes propter concupiscentiam; & pedes propter gressum. sed hæ duæ extremæ non sunt de essentia. Imo fœminæ propter honestatem non decet vngere renes. ratio est, quia virtus appetitiua, & motiua sunt secudaria principia agendi. d.Tho.in addit.q.32.art.6.Sot.d.23.art. 3.Vi-

3. Victor. q. 223. in his autem duabus partibus quisque seruare debet vsum ecclesiæ suæ. Dices, in qua vnctione confertur gratia? Resp. ex communi consensu conferri in vltima tantum vnctione, ita vt singulæ vnctiones præcedentes sint partes integrales huius sacramenti. Sot. q. 1. art. 1. & q. 2. art. 3. vnde si in primis non est bene dispositus, & postea disponatur, in vltima, secundum aliquos suscipit gratiam. si tamen aliquis moreretur facta prima vnctione, reciperet gratiam. Anton. 3. tit. 14. cap. 15. §. 6. quod probabile est de gratia illi vnctioni respondente.

Octauum dubium. An mutilati, surdi, & muti sint vngendi? Resp. sunt vngendi mutilati in partibus viciniorib9, cœci in oculis, surdi in auribus, &c. quia potuerunt peccare per internas potentias quibus illa membra respondent. D. Tho. art. 7. Sot. supra. Sylu. verb. vnctio. q. 6. Victor. q. 223. Palud. d. 23. q. 3. art. 3. Riccar. art. 2. q. 5. ad 3. & alij.

Nonum dubium. An possit hoc sacramentum in eodem morbo iterari? Resp. in diuersis morbis iterari potest; quod clarum est; cùm non imprimat characterem. ita concil. Trid. sess. 14. cap. 3. de sacr. extremæ vnct. D. Tho. in addit. q. 33. art. 1. Sot. d. 23. q. 2. art. 3. concl. 3. & est communis. In eadem autem infirmitate, si infirmus mutat statum, iterari potest, aliàs non; nam subiectum huius sacramenti non est simpliciter infirmus, sed infirmus in statu periculoso, & morti proximus. ratio est; quia datur propter graues angores morbi periculosi. quare his variatis, etiam sacramentum variari debet. quare cum aliquis laboret longo morbo, vt ethica, hydropisi, &c. debet vngi quando producitur ad articulum mortis: & si tale periculum euadat, eadem infirmitate durante, poterit iterum vngi quando iterum in similem statum reducetur. d. Tho. q. 33. cit. art. 2. Sot. supra. cit. art. 3. Dur. d. 23. q. 4. art. 3. Sylu. verb. vnctio. q. 8. & deducitur ex cõcilio Trid. sess. 14. cap. 3. de sacr. extremæ vnct. & catechismo Romano.

Decimum dubium. An qui omittit hoc sacramentum, peccet mortaliter? Resp. si omittitur ex contemptu, est peccatum mortale; ex concilio Trid. supra. cit. si omittatur ex negligentia, d. Tho. & Bonau. & alij, dicunt esse peccatum veniale. Magist. verò, Petrus Sot. & alij recentiores, dicunt esse mortale. probant primo, quia qui amat periculum peribit in illo. qui

verò relinquit hoc sacramentum, exponit se duobus maximis periculis, videlicet si in confessione, & eucharistia non accepisset gratiam ex defectu dispositionis, quam postea posset habere accipiendo hoc sacramentum, & sic acciperet gratiam. Item, quia conflictus morientium sunt grauissimi, & periculosi. Secundo, vsus ecclesiæ obtinet vim præcepti; at vsus ecclesiæ est, vt hoc sacramentum in fine vitæ accipiatur. Tertio, si non accipitur, gigni solet magnum scandalum populo Christiano. Quarto, quia Malachias ex d. Ber. grauiter doluit quòd mulier in sua diœcesi mortua sit sine hoc sacramento. & hæc secunda opinio mihi magis placet.

Vndecimum dubium. Quæ dispositio sit necessaria suscipienti? Resp. triplex: Prima, infirmitas periculosa, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco. Primo, quia Iacobus tribuit infirmis. Secundo, ecclesia, & patres vocant oleum infirmorum. Tertio, quia alioquin careret effectu proprio; idest sanitate: quare si non detur infirmo, non est sacramentum; debet autem esse periculum morale de morte; Primo, quia id ex Iacobo colligitur. Secundo, ex concilio. Flor. & Trid. Tertio, tunc debemus recurrere ad auxilium diuinum, cum humano destituimur. Quarto, solet dari post viaticum, quod datur grauiter ægrotanti. Quinto, institutum est contra angores extraordinarios multorum, qui solent contingere in maximis infirmitatibus. Sexto, patres vocant sacramentum exeuntium, & oleum consumatiuum. debet autem intelligi non de articulo mortis: sed quoties medici putarint esse periculum mortis. Primo, quia oportet sentiri fructus huius sacramenti sensibus adhuc integris. Secundo imprudens esset oratio ecclesiæ orantis pro sanitate, si expectandus esset articulus mortis. Tertio, non obstat ne infirmus perturbetur; quia cùm hoc sacramentum prosit animæ & corpori, debet potiùs lætari, & si hæc consuetudo introduceretur, non perturberetur infirmus. Debet etiam conferri hoc sacramentum etiam ægrotantibus ab extrinseco, vt ex vulnere; dummodo morbus fuerit diuturnus, & habeat tædium angoris, & doloris. & hoc deberet poni in praxi vbi non est vsus. Secunda dispositio est vsus rationis in suscipiente. Vnde excluduntur infantes donec perueniant ad vsum rationis aptum viatico. Secundo, excluduntur nati in amentia, vt dictum est in tertio dubio. licèt in

primi-

primitiua ecclesia etiam energumeni vngebantur hoc oleo; ex Beda in Luc. 6. & ex ordinario Romano, vbi allegatur ecclesia Ambrosiana. Tertia dispositio est confessio. Primo, ex Innoc. I. in epist. ad Detium. debere tradi pœnitentibus. Secundo, quia ex concil. Flor. datur vt medicamentum; medicamentum verò supponit vitam; ergo gratiam, quæ datur in confessione. Dices. An qui incidit in phrenesim ante confessionem, possit vngi? Resp. si petijt confessionem, potest absolui, & postea vngi. Dices, cur non sufficit contritio? Resp. in omnibus sacramentis sufficit contritio præter eucharistiam, quæ propter excellentiam requirit confessionem. hoc autem sacramentum eandem exigit, ratione status.

De effectibus huius sacramenti. *Caput VI.*



Irca effectus huius sacramenti, est Prima opinio Bonau. Scot. Riccard. & Durandi in 4. d. 23. esse remissionem venialium. & ita explicat illud dictum Iacobi *si in peccatis fuerit, &c.* probant primo; pro tribus peccatorum generibus tria oportuit institui sacramenta. pro originali baptismum; pro mortali pœnitentiam; pro veniali extremam vnctionem. Secundo, virtus & efficacia sacramentorum ex significatione sumenda est. Vnde sicut emersio ab aqua est signum regenerationis, & absolutio, liberationis; ita vnctio sanationis; ergo supponit infirmitatem peccati venialis. Tertio *si in peccatis fuerit, remittentur ei*, de mortali intelligitur; quare remissio mortalis peccati est effectus conditionatus. debet igitur esse absolutus, quia est remissio venialis. Quarto, pœnitentia est instituta ad tollendum mortale, non ad veniale, quia veniale potest omitti. ergo frustra instituta esset vnctio ad ipsum idem mortale tollendum. Quinto, concilium Flor. tribuit pœnitentiæ liberationem à peccatis, vnctioni sanatio-

nationem mentis, sed hi effectus differunt; ergo &c. Contra hanc sententiam. Primo scriptura absolutè accipit peccatum. analogum verò nomen stat pro principali significato; ergo pro mortali. Secundo, si de venialibus intelligeretur, non opus fuisset dicere: si in peccatis sit, quia *septies in die cadit iustus*. Tertio, ex d. Tho. 3. p. q. 65. art. 1. ad 8. nullum sacramentum potuit institui ad remissionem venialium, quia sufficit vel nouus feruor charitatis, vel aliquod sacramentale. Cõfirmatur: quia ideo theologi dicunt venialia non esse materiam pœnitentiæ, quia possunt remitti sine infusione gratiæ. Quarto, deberet dari magis sanis qui plura peccata venialia faciunt, quàm infirmis. Resp. Bonau. ideo non dari sanis, quia non possunt abstinere à venialibus sicut infirmi qui sunt propè mortem. sed hæc responsio nulla est. Quinto, ait ecclesia; *per hanc vnctionem indulgeat tibi Deus quicquid peccasti, &c.* ergo &c. Sexto, potius oneri, quàm auxilio fuisset hoc sacramentum; quia venialia possunt remitti quolibet leui motu animi, vel tunsione pectoris; quare esset onus vngere. Septimo, Ambros. allegat locum Iacobi. & ex hac remissione per vnctionem exaltat potestatem sacerdotis, quæ est remittere mortale.

Secunda opinio est D. Tho. & Soti, effectum esse reliquias peccatorum auferre, idest pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum: quæ sunt reliquiæ ex mortali, & originali peccato. Probatur primo, quia scriptura dicit per hoc sacramentum remitti peccata, sed non culpam; quia culpa originalis remittitur in baptismo, mortalis in pœnitentia, venialis varijs modis. non pœna, quia partim remittitur in sacramentis, partim per opera satisfactoria, partim in purgatorio; ergo fomes, siue reliquiæ remittuntur. Secundo, elementum ex quo conficitur debet habere analogiam cum effectu sacramenti, sed oleum habet vim naturalem corroborandi corpora infirma; sic hoc sacramentum corroborat nos vt resistamus malo, & faciamus bonum. Contra hanc opinionem, primo, quia Iacobus loquitur conditionaliter, *si in peccatis fuerit*; at verò istæ reliquiæ semper sunt in homine: ergo &c. Secundo, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum non dicuntur ignosci, vel remitti; quia remissio præsupponit culpam, dicerentur potius minui: vt Iacobus ait, *remittuntur ei peccata*. Tertio, pericli-

rielitabitur substantia sacramenti; nam ex nullo effectu possumus probare vnctionem extremã esse sacramentum; nisi quia remittit peccata mortalia per gratiam iustificantem; sola enim remissio mortalium eget gratia iustificante. Confirmatur, quia pronitas ad malum, & difficultas ad bonum tolluntur habitibus bonis. Quarto, quia in forma dicitur, *indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per sensum oculorum, &c.* Quinto, quia in græco dicitur, *& si peccata operatus sis, &c.* quare loquitur de peccatis actualibus; at ille fomes est potius effectus peccati originalis, quàm actualis. Sexto, Trid. sess. 14. cap. 2. ait, delicta (siqua sunt expianda) tollit, & reliquias peccatorum abstergit. Septimo, esto hoc, tamen id non esset proprium huius sacramenti, sed commune cum reliquis. gratia enim quæ datur in omnibus, minuit fomitem, cum sanet naturam, præcipuè verò baptismus, & eucharistia. Octauo, opus est vt qui conualuit post vnctionem, sentiat diminutum fomitem. Resp. Sotus; diminuit tantum actus, idest facit ne habitus in actum exeat. contra; quia infirmus vbi conualuit sæpe exit in actum, sed non deberet. Quare

Dico primo, effectus communis huius sacramenti cum reliquis est remissio omnium peccatorum, siue mortalium, siue venialium, si tamen sint peccata expianda; vt patet ex Iacobo, *& si in peccatis fuerit, &c.* & sic confert gratiam. Nauar. cap. 22. num. 15. Palud. in 4. d. 23. art. 3. est quidem effectus communis, quia omnia sacramenta ex se dant gratiam, nisi recipiens ponat obicem. Obijcies; ergo non semper est sacramentum; quia sacramenti est remittere peccata; at non semper qui vngitur habet peccata; ergo &c. Resp. aliud est quærere, vnde colligitur esse sacramentum, aliud id per quod est sacramentum; est enim sacramentum quatenus confert gratiam iustificantem, & habet effectum proprium. Colligimus autem ex remissione mortalium, *& si in peccatis fuerit, &c.*

Dico secundo. Hoc sacramentum habet duos effectus proprios. Primus, est exhilaratio, & corroboratio contra molestias proprias grauiter ægrotantium. præbet enim fiduciam, & robur contra morbi vim, quod est tollere reliquias peccati. Secundus, est sanitas corporis quando expedit saluti animæ. Probatur primo, quia omne sacramentum est institutum in remedium imbecillitatis; sed nulla est alia imbecillitas cui

com-

commodè mederi poteſt; omnis enim miſeria animæ vel eſt culpa, & eius remiſſio non pertinet per ſe primò ad hoc ſacramentum, quia eſt effectus communis; vel eſt pœna, de qua diximus non remitti per hoc ſacramentum, vel ſunt miſeriæ communes bonis, & malis, vt pronitas ad malum, &c. & neque his medetur, vt dictum eſt; ergo medetur languoribus proprijs morientium. Secundo, patet ex concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. & can. 2. de extrem. Vnct. vbi id videtur definire. tres enim effectus diſtinguit; vnus eſt conditionatus, ſcilicet remiſſio peccatorum ſi ſint. Secundus abſolutus, ideſt corroboratio contra moleſtias ægrotantium. Tertius, eſt ſanitas corporis, quatenus ſaluti animæ expedit. Tertio, idem ferè ait Iacobus. Primo, *oratio ſaluabit infirmum.* Secundo, *& alleuiabit eum Dominus.* Tertio, *& ſi in peccatis fuerit, &c.* Quarto, patet ex analogia elementi quod adhibetur in ſacramento; oleum enim ex patribus exhilarat animam. Greg. in 1. Reg. 3 propter lumen. & ſanat, atque corroborat ex Diony. eccleſ. Hier. cap. 2. & vlt. Quinto, ex ordinario antiquo Romano, in quo allegantur verba eccleſiæ Ambroſianæ; *Benedicitur hoc oleum, vt fugatis Diaboli inſidijs, ſpiritus gratiæ ſalutaris debilitatem expellat.* Sed eſt Dubium; An ſanitas corporis ſit effectus abſolutus, an conditionatus, ſi animæ expediat? Sotus ait eſſe abſolutum. Primo, quia effectus ſacramenti debent eſſe certi, & ſtabiles; ergo ſemper conferret aliquem gradum ſanitatis, quod tamen non videmus. Secundo, quia frequenter experimur contrarium, per hoc ſacramentum conferri ſanitatem alicui, qui ſi mortuus eſſet, fuiſſet ſaluus, eoquòd poſtea commiſit multa peccata. & contra; aliquando moritur quis qui emendaſſet vitam. Tertio, aliquando confertur penè animam agentibus, qui ſine miraculo conualeſcere non poſſunt. concedit tamen Sotus per hoc ſacramentum aliquando facta eſſe miracula. Quarto, quia nunquam ſanitas corporis neceſſaria eſt pro ſalute animæ, quia poteſt, quis etiam infirmus conteri. Sed hæc opinio Soti eſt temeraria. Primo; quia eſt contra omnes doctores. Secundo, eſt contra concil. Trid. ſupracit. & Flor. dicentia conferre ſalutem corpori, ſi expedit animæ. Tertio, ſi contrarium fieret, eſſet contra rectum ordinem; quia ſanitas corporis expetitur ob ſalutem animæ. Quarto, effectus

ctus huius sacramenti promittitur ecclesiæ vt oranti; bona autem temporalia in oratione conditionatè petenda sunt, ex August. epist. 125. & de ser. dom. in mon. cap. 21.

Ad 1. Resp. esse verum de effectu proprio, at non de secundario; repugnat enim naturæ talis effectus, quia cùm sit bonum corporale, esse per animam debet. Confirmatur, quia (vt aiunt theologi) ideo ecclesia vtitur in hoc sacramento forma deprecatoria, vt ostendat non semper per illud omnem effectum obtineri. Ad 2. Resp. tunc confert salutem corpori, cum expedit animæ stanti sub diuina prædestinatione. Ad 3. retorqueo, nam ille gradus sanitatis etiam requirit virtutem supernaturalem; ergo est miraculum. Secundo, licèt esset magna virtus, non tamen esset miraculum; quia fit secundum legem ordinariam sacramenti. Tertio, posset etiam fieri citra miraculi animaduersionem; quia paulatim reddit sanitatem. Ad 4. Resp. salus corporis simpliciter non est necessaria, tamen potest esse necessaria vt substat diuinæ prædestinationi. d. Tho. in addit. q. 30. Sot. d. 23. q. 1. art. 2. Petrus Sot. lect. 1. in fine. Vict. q. 214.

De necessitate huius sacramenti. Caput VII.



Ico primo, hoc sacramentum non est necessarium ad salutem sicut baptismus, & pœnitentia; nam potest homo sine illo saluari, cùm hoc supponat hominem iustum. Secundo dico, non potest contemni sine peccato grauissimo, vt ait Martinus V. in sua bulla. & concil. Trid. sess. 14. cap. 3. de extrema Vnctio. Tertio, hoc sacramentum non est de necessitate præcepti. D. Tho. in addit. quæst. 29. art. 3. Sylu. verb. vnctio. q. vlt. Caiet. verb. vnctio. & alij dicentes, quòd ex negligentia illud omittere, non est peccatum mortale. Vict. supra, & alij. quamuis oppositum videatur sentire Magistr. in 4. d. 23. & Petrus sot. lect. 2 de exstrema vnctione.

TRACTATVS VNDECIMVS.

De Ordine Sacro.

Agit de hac re d. Tho. in 3. p. & Doctores in 4. sent. dist. 24. et 25. Agemus nos de hoc sacramento. Primo, de numero. Secundo, de his quæ spectant ad substantiam eius. Tertio, de materia, et forma. Quarto, de ministro. Quinto, de suscipientibus. Sexto, de effectibus.

Quot sint ordines ecclesiastici? *Caput I.*



RIMVM dubium. Quot sunt ordines ecclesiastici?

Resp. In ecclesia esse ordinem, est de fide; contra Caluinum qui hoc negat. & contra Lutherum qui censet omnes in baptismo accipere potestatem sacerdotalem, sed pro vsu huius potestatis necessariam esse electionem populi. probatur esse de fide, ex concilio Flor. & Trid. sess. 23. can. 2. de sacram. ordin. videndus est Sot. in 4. d. 24. q. 1. art. 3. Castr. verb. ordo. D. Tho. in addit. q. 34. art. 1. Victor. q. 225. Notandum est autem ordinem

sumi

sumi quatuor modis. Primo largissimè, pro omni deputatione ad aliquod particulare ministerium ecclesiasticum; & sic sunt quindecim ordines: videlicet, septem ordinarij qui ponuntur, quatuor minores, & tres maiores, vt dicemus. & præter hos, duo alij qui ponuntur à canonistis d.23.& 15. cantoratus seu psalmista, & Episcopatus. præter hos nouem, decimum locum obtinent religiosi; vnde ecclesf.hierar.cap.6. Vocatur consecratio religiosorum. Vndecimus diaconissæ, quæ erant mulieres deputatæ ad ostium templorum, vt mulieres honestæ ingrederentur. harum meminit Clem. l. 2. de instit. cler.cap.61.& l.4.cap.34.Ignat. In epist. ad Antioch. Duodecimus Vespillones, sic dicti, quia Vespertino tempore mortuos efferre solerent, qui funebri pompa propter inopiam non poterant efferre. Epiphan.in Epit.panariorum. Decimumtertius æditui, quorum officium præcipuum erat verrere templum; Nazianz.in orat.pro Cypriano. Decimumquartus confessores, qui confessi sunt fidem publicè; quos Ignatius numerat inter clericos.& Clem.l.8.const.cap.29.30.31. Decimumquintus, est prima tonsura; nam Innoc.III. tit.de qual.& ætate ordinand.C. cum contingat, ait; primam tonsuram esse ordinem clericalem: hæc autem prima tonsura secundum Isidor. l. 2.offic.ecclesf.cap.4.& Raban l.1.Inst.cler.cap.3.& concil. Aquisgran. cap. 1. manauit ab Apostolis; & fuit introducta ad exemplum Nazaræorum, qui nutriebant comam, & Cæsariem capitis, & postea deponebant, ac radebant caput cum Domino consecrarent. Nau.cap.6.ratio est; Primo, vt initiatus deponat superflua. Secundo, vt significetur sacerdotium nostrum esse regale; Vnde fit corona. Beda. l.5.de instit.Angl.cap.22. ait, hanc coronam esse monimentum coronæ quam tulit Christus. huius tonsuræ meminit Dionys.ecclesf.Hier.cap.6.Hierony.epist.ad fabiniam. Secundo, sumitur strictissimè.& sic ordo est potestas exercendi actum aliquem immediatum super corpus Christi verum, vel mysticum; & sic sunt duo tantum ordines, Episcopatus, & presbyteratus; qui duo ordines dicuntur sacerdotales, sic exponitur Damascen. ad coepiscopos, qui anathematizat eos, qui præter Episcopatum, & presbyteratum, alios ordines introducunt; quia Christus duos tantum ordines ordinauit, scilicet duodecim Apostolos, & septuaginta duos discipulos. Tertio modo sumitur pro deputatione ad om-

nem actum hierarchicum, & non ordinatum ad sacrificium missæ; & hoc modo sunt nouem ordines, vt dicunt canonistæ supracitati. probatur; præcipuus effectus sacramentorum est gratia Spiritus sancti, circa quam possunt distingui tres actus hierarchici. Primus, collatio gratię, quæ vocatur illuminatio; quia gratia illuminat. Secundus, perfectio gratiæ, & est actus qui dicitur perficere; & fit in eucharistia, ordine, & chrismate. Tertius, est præparatio quædam ad sacramenta: & harum vna immediatè cadit super populum, alia super vasa, & loca, in quibus fiunt sacramenta: quare debet addi Episcopatus, cuius proprium est purgare. & psalmistatus; quia ex Isidoro psalmista erat deputatus ecclesiæ Dei vt caneret ad excitandam deuotionem populi. hoc autem munus potest referri ad purgationem primi modi, & est vetus traditio patrum cantorem esse ordinem nouum. Sexta Synod. generalis. cap. 3. 4. & 6. decernit cantores esse clericos, & Clem. l. 8. cap. 64. & l. 2. cap. 61. Sed ait Sot. non esse ordinem, quia psalmista canit psalmos, lector testamentum vetus; ergo differunt tantum in modo. Resp. id sufficere; quia Diaconus, & subdiaconus eandem rem ministrant, sed vario modo. præterea psalmi erant propria materia cantoris, non lectoris. Dicit secundo Sot. si cantor esset ordo, oporteret hunc connumerare ad sacrificium missæ, quia requiritur non minùs, quàm ostiarius. Resp. ostiarius, & cantor erant differentes, tum ad ministrandum missæ, tum ad horas canonicas. sed ostiarij erat propriè excommunicatos à missa expellere, non autem ab officio. Lectoris erat canere psalmos. quare ille propriè deseruiebat missæ, hic horis canonicis. Quarto modo sumitur pro deputatione in aliquem actum peculiarem in ordine ad celebrandum sacrificium missæ, & hoc modo loquuntur doctores cum dicunt esse septem ordines, quatuor minores, & tres maiores, qui dicuntur sacri. cuius rationem affert Nauar. cap. 22. num. 18. Officia singulorum in catechismo Romano exponuntur. & apud Sot. in 4. d. 24. q. 1. art. 3. Prima verò tonsura non numeratur propriè inter ordines, sed longè dicitur ordo, vt supra dictum est; est enim dispositio ad ordines, non de necessitate sacramenti, sed de congruentia. est tamen de necessitate præcepti, vt cum Riccardo docet Sot. in 4. d. 24. q. 1. art. 1. D. Tho. in addit. q. 40. art. 1. Durand. d. 24. q. 4. Victor. q. 240. & alij. Hos autem septem

ptem ordines fuisse antiquos, patet de presbyteris, & diaconis ex scriptura. De subdiaconis in concilio Rom.cap.3. Sexta Synod.can.6.Laodic.4.C.cum oportet.d.23. concil. Bracar. can.1. non liceat. Clem.l.8.const.cap.8. Cyprian. l.1.ep. 25.& l.2.epist.1.Euseb.l. 6. cap. 83. concilium Carthag. 4. & Aquisgr. l. 1. & 6. Ignat. epist. ad Antiochen. De Acolytis est concilium Rom.cap.3.can.nullius.d.24. concilium Carthag. & Aquisgr. supra cit. Hierony. in proœm. in 1. & 2. epist. ad Thessal. ait, paulum misisse epistolam illam per Onesimum acolytum. De exorcistis fit mentio in ijsdem locis.& Tertull. & Cyprian. l. 2. epist. 25. & clem.l.2.const.cap.27.&l 8.cap. 34.& concil.3. Cartha. De ostiarijs, plerique ibid. meminerunt. Aliqui autem dicunt esse septem ordines, propter septem dona Spiritus sancti. Alij propter quatuor virtutes Cardinales, & tres theologales. Alij, quia muniunt hominem contra septem peccata mortalia. Dionysius verò eccles. hier. cap.3.& 5.ait, sumi propter varia ministeria quę requiruntur propter celebrationem missæ, quæ ministeria explicantur ab Isidoro l.7.etymol.cap.12.& l.2.de offic.eccles. concil. 4. Carthag. cap.12.Concil. Aquigr.l.1.Hugo l.2.de sacram.p.3.Magist.in 4. d. 24. Hugo autem,& Isidor.dicunt Christum Dominum exercuisse omnes hos ordines. Sed est

Secundum dubium. An Cardinalatus sit ordo? Resp.sunt duæ opiniones. Turrecrem. l. 1. summ. cap.80. & Cardinalis Alban.tract. de Cardinalatu, dicunt, Cardinalatum esse institutum à Christo; dicunt enim, Apostolos fuisse consiliarios Christi, & eatenus Cardinales fuisse præterea Episcopos. Illam autem dignitatem esse primò institutam,ac ideo esse præstantiorem Episcopatu. Secunda opinio est vera; Cardinalatum non esse ordinem,nam ex sententia patrum (vt dictum est supra) septem tantum sunt ordines, quia Cardinalatus non est dignitas instituta à Christo sicut Papatus; licèt nec iste sit ordo. probatur;quia Cardinalatus non habet consecrationem, nec characterem; quare est sicut vna ex alijs dignitatibus. vt metropolita,Archiepiscopus,&c.Verum autem officium Cardinalium est,assistere summo Pontifici in regimine ecclesiæ, figurati sunt per septuaginta qui Moysi dati sunt in adiutoriū. Probabile est Cardinales semper fuisse,licèt non sub isto nomine;nam sanctus Petrus habuit Linum, & Cletum in coadiutores,

res;ex Ioan. I. in sua epist. Quando verò cœpit hoc nomen? quidam dicunt tempore Syluestri; nam in concilio sub ipso celebrato, sic nominantur. alij sub pontiano; alij sub Marcello, alij sub Iginio, sic Vigilius, Enaristus, &c. qui fuit tertius à sancto Petro diuisit ecclesias, & constituit singulis presbyterium. postea additi sunt plures in vna parœcia; & hoc factum est sub iginio. Primus autem ex illis dictus est Cardinalis anno 260. Multiplicati sunt tituli sub Marcello. etiam postea aucti sunt. Denique post sextam synodum ad eos pertinet creare Pontificem. cap. vbi periculum. de electione.

Tertium dubium. An Episcopatus sit ordo, & sacramentum? Resp. & dico primo, de fide est Episcopatum de iure diuino esse ordinem supra presbyterium, vt ordo dicit tum iurisditionem, tum ampliorem potestatem ordinis. probatur primo, ex decreto ecclesiæ quæ damnauit Arrium presbyterum hoc negantem, ex August. de hæres. ad Quoduuldeum, cap. 23. & Epiphan. hæres. 75. Secundo, in scripturis insinuatur superior potestas in Episcopis, 1. Tim. 5. *seniorem* (idest prebyterum) *ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. Aduersus presbyterum accusationem noli recipere*. & Tit. 1. *reliqui te vt constituas presbyteros*. Tertio, sunt duo sacramenta quæ non possunt confici à presbytero, sed ab Episcopo, vt Chrisma, & ordo; ergo Episcopatus est supra presbyterium. Episcopi enim est consecrare sacerdotem, & non è conuerso. Vnde ait Epiphanius, *presbyter est genitor filiorum ecclesiæ, Episcopus genitor patrum*. Quarto, Apostoli erant typus Episcoporum, discipuli verò domini presbyterorum; at Apostoli sunt supra discipulos; ergo &c. Quinto, *Dedit quosdam pastores*, (ait Paulus) ergo sunt de iure diuino. Confirmatur; *in quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos*. Dico secundo, Episcopatus non tantum est ordo, sed est etiam sacramentum, & idem quodammodo cum sacerdotio. Vnde Chrysost. & August. dicunt, Episcopatum esse summum sacerdotium, ordinatum autem ad Eucharistiam; quia Episcopus ordinat consecrantes illam; quare Episcopatus est ordo, & sacramentum; non quidem præcisè distinctum à sacerdotio simplici, sed est vnum cum ipso; sicut perfectum, & imperfectum. sicut igitur consecratio panis & vini constituunt vnum sacramentum tanquam partes eius integrales; sic ordinatio sacerdotis simplicis, & sacerdotis

dotis summi, ideſt Episcopi, constituunt vnum completum sacramentum, sicut perfectum, & imperfectum. Cùm enim perfectum sit quod potest facere sibi simile, illud sacerdotium non est completum, per quod sacerdos non recipit potestatem ordinandi alium in sacerdotium simplex. Sacerdotium autem summum, ideſt Episcopatus, est perfectum sacerdotium, quia per ipsum recipitur potestas ordinandi alium in summum sacerdotium, vel simplicem sacerdotem; & sic vterque ordo constituit vnum sacramentum. Imprimit autem Episcopatus characterem, quia per ordinationem Episcopalem confertur potestas per quam ordinatus potest exercere actus spirituales, quos autem non poterat. Eget autem Episcopus nouo charactere, & noua gratia iustificante, quia si in extensione potestatis accipitur noua entitas, non potest esse idem character qui priùs erat, ideſt eiusdem speciei; cùm potestas Episcopi sit distincta specie à potestate presbyteri; & sit ad distincta obiecta, nam quæ sunt huiusmodi, non fiunt vna qualitas, licèt se penetrent. Si non est noua entitas, ergo non est noua potestas. nam si dicas esse nouum pactum diuinum, non valet; quia ego eadem ratione characterem omnem negarem: ergo est nouus character. Gratia verò noua indiget non propter nouam, & ampliorem iurisditionem, quia sic etiam Archiepiscopi, & Pontifex acciperent; sed ratione sui status, qui habet annexa quædam ministeria maximè indigentia gratia Dei, scilicet vt possit conficere alia duo sacramenta, ordinem scilicet, & Chrisma; vt possit concionari, definire res in concilijs, vt possit esse irreprehensibilis, vt ait Paulus. &c. Confirmatur, quia ecclesia in forma Episcopi ait; *accipe Spiritum sanctum*; ergo datur noua gratia. Neque obstat quòd communiter dicunt esse septem ordines; nam Episcopatus includitur sub sacerdotio: eo quòd est sacerdotium perfectum; vnde dicitur summus sacerdos Papa secundum communem loquendi modum, & non numeratur distinctum. Neque obstat, quòd Episcopatus dependeat à sacerdotio; vnus autem non dependet ad alio, hoc enim prouenit, quia cùm actus illorum non habeant inter se dependentiam necessariam, non habent inter se necessariam colligantiam; at Episcopatus, & sacerdotium se se habent, quia cùm Episcopi sit consecrare sacerdotem, & non è conuerso, oportet Episcopalem potestatem esse maiorem

rem; quod non esset; nisi includeret sacerdotalem; ideo &c. Hæc omnia teneo contra doctores antiquos, & D. Tho. in addit. q. 40. art. 5. Sot. d. 24. q. 2. art. 3. qui aiunt extendi solum characterem presbyteralem ad confirmationem, & ordinem, non autem esse nouum characterem, nec dari nouam gratiam iustificantem. Oppositum autem quod nos dicimus, teneo cum Durando d. 24. q. 6. Maior. in 4. d. 24. q. 1. Caiet. tom. 2. opus. 11. Petro Soto de instit. sacerdotali. q. 4. Echio hom. 66. & ex antiquioribus, cum Altisiod. 4. p. de sacram. ord. cap. 1. Scot. & Palud. & hæc opinio est probabilior, & tenenda; quòd Episcopatus sit ordo, & sacramentum; vt dictum est.

Quartum dubium. de coepiscopis, (lege corepiscopis, vbicũque hęc vox occurrerit) corepiscopus, enim est coadiutor Episcopi. nam Damascen. in epist. de coep. ait, hos fuisse presbyteros. Isidor. verò ait, hos ex mandato Episcopi ordinare presbyteros. Resp. tempore Isidori fuisse sicut nunc sunt Episcopi suffraganei.

Quintum dubium. de diaconatu, & subdiaconatu. an sint sacramentum? Resp. probabile est Diaconatum, & subdiaconatum esse sacramentum. Licèt non constet contrariam sententiam esse hæreticam. Prima pars probatur ex communi sententia doctorum in 4. d. 24. Secundo, quia statui diaconorum, & subdiaconorum est necessaria gratia iustificans noua; tum quia astant summo sacrificio; tum quia emittunt solenne votum cœlibatus; tũ quia digni sunt vt contrectent sacra vasa; tum quia diaconi possunt absente presbytero prædicare, conferre aliqua sacramenta, vt baptismum. Tertio, subdiacono dicitur, *Accipe potestatem*; ergo recipit characterem, ne forma sit mendax. Diaconis verò dicitur, *accipe Spiritum sanctum*; ergo &c. Quarto, ex sanctis cæremonijs; quia imponuntur illis manus, & ante ipsorum ordinem fit oratio. & 1. Tim. 3. in Diaconis requiritur magna morum sanctitas, *vt sint pudici, non bilingues, &c.* Quinto, ecclesia iamdiù definiuit subdiaconatum, & diaconatum esse ordines sacros peculiari modo; at hoc cur, nisi quia sunt sacramenta? Sexto, concilium Trid. sess. 23. can. 6. definit in ecclesia esse hierarchiam de iure diuino, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris; ergo diaconi; & subdiaconi sunt de iure diuino. Confirmatur ex Dionys. eccles. hier. cap. 9. Hierarchia est potestas suprema, media, & infi-

& infima. aliàs sequeretur ecclesiam posse tollere hos ordines, & committere laico vt ordinet. Septimo, character non solum datur ad simpliciter operandum, sed etiam ad operandum dignè, & ex officio, vt patet ex Chrismate, ergo etiam si diaconi, & subdiaconi sine ordinatione possent fungi suis munijs, tamen vt faciant ex officio, indigent ordinatione. Confirmatur, quia diaconi & subdiaconi distinguūtur à laicis, character verò est signum distinctiuum.

Secunda pars conclusionis est Dominici Soti, Ledesm. Vict. qui dicunt contrariam sententiam esse probabilissimam. Caiet. tom. 2. opus. 11. & Dur. dicunt non esse sacramenta. Probatur primo de subdiaconis. Magist. ait, subdiaconatum, & minores ordines fuisse ab Apostolis introductos; ergo non sunt sacramenta. Secundo, Vrbanus d. 60. C. nullus ait, Diaconatum esse ordinem sacrum, non autem subdiaconatum. & Innoc. tit. de qualit. & ætate ordinand. C. à multis. ait, in primitiua ecclesia subdiaconatum non fuisse ordinem sacrum, sed nunc factum esse autoritate Vrbani II. 6. Synodo. & Greg. at hi non possunt facere sacramentum; ergo &c. & Almainus l. 2. de offic. eccles. cap. 6. docet, sacrificio missæ sufficere sacerdotem, & Diaconum. subdiaconum verò, & reliquos ordines fuisse introductos ab ecclesia. Item prohibitum fuit subdiaconis tangere sacra vasa; d. 23. C. non potest. & à Sylu. d. 24. can. nullius. fuit autem concessum d. 23. can. non liceat.

De diaconatu etiam probatur ex Hierony. ad Euagrium, qui reprehendit diaconos, qui superbiebant, cùm electi essent ab Apostolis ad ministrandum mensis, non à Christo. & idem habet in Ezechiel. 48. & Damascen. ad coepiscopis, definit in ecclesia duos tantum esse ordines constitutos à Christo, Episcopum, & presbyterum, nec posse alium induci. Anaclet. idem ait. & Gratian. d. 21. can. 1. ait, Diaconos ab Apostolis institutos. idem Occum. in act. 6. Orig. hom. 25. in Matth. Cypriā. l. 3. epist. 9. mementote Episcopatum esse iuris diuini, non diaconatum. Probatur ratione, ex Durando; primo, cum multæ functiones pertinent ad eundem effectum, illa sola est sacramentum, quæ illum effectum introducit; patet in baptismo; nam exorcismi, & catechismi, &c. sunt sacramentalia; sed omnes ordines sunt diuersæ functiones ordinatæ ad eucharistiam consecrandam, ad quam solus presbyter confert, ergo &c. Secundo,

cundo, character sacramentalis vel ordinatur ad operandum simpliciter, vt in baptismo, & eucharistia: vel in arduis vt excellentiùs operetur, vt in chrismate; Sed in diaconatu, & subdiaconatu nec est opus nouo charactere gratiæ ad operandum simpliciter, nec in arduis; quia functiones illæ non sunt supernaturales, nec arduæ, ergo &c. Tertio, diaconi non à Christo, sed ab Apostolis leguntur ordinati. Dices, fecisse ex Christi præcepto. Contra; quia Apostoli non constituissent illos, nisi ex furtuito murmure græcorum vt patet act. 6. *in diebus illis crescente numero discipulorum, factum est murmur græcorum aduersus hebræos, eoquòd despicerētur in ministerio quotidiano viduæ eorum*: neque vt esset potestas perpetua. Quarto, multi doctores dicunt, diaconum, & subdiaconum in peccato mortali posse fungi suis munijs sine nouo peccato mortali; & tamen est regula, quòd qui acceperunt gratiam, in sui ordinatione, & postea non exercent cum eadem gratia, peccant mortaliter; ergo non acceperunt gratiam; ergo non sunt sacramenta.

Ad primum patet ex dictis. Ad secundum, Resp. necessariam etiam esse sanctitatem religiosis, non tamen est sacramentum. Cœlibatus etiam communis est religiosis, & illa munia concionandi, &c. ex accidenti sunt annexa diaconis. Ad tertium, Resp. in bulla vnion. Armen. forma etiā diaconi est: *accipe potestatem*; quæ est potestas officij. Ad quartum, etiam huiusmodi Ceremoniæ fiunt in ordinatione Abbatum, Archiepiscoporum, Pontificum; qui non sunt ordines. Ad quintum, d. Tho. ideo ait Vocari ordines sacros, quia sacra vasa contrectare possunt. Alij dicunt, ex eoquòd Cælibatus consecrantur. Ad sextum, de ratione hierarchiæ est, vt habeant tres sacras functiones; sacras inquam, saltem ex modo officij, licèt non sacramenti; quod ex ipsis functionibus iudicandum est. Ad concil. Resp. Christum tradidisse potestatem ecclesiæ vt posset eligere officia de iure diuino. & secundum Ledesm. potest ecclesia committere, vt commisit aliquando. quòd si nunc non facit, est, quia sequitur opinionem probabiliorem. Ad septimum, patet ex dictis. ad confirmationem; etiam per officium distinguuntur.

Sextum dubium. Quæ sunt officia Diaconi, & subdiaconi? Resp. primum diaconorum munus, est ministrare mensis, & habere

habere curam redituum ecclesiasticorum. act. 6. & in histor. B. Laurentij. Imo per hanc curam cœperunt Diaconi insolescere contra presbyteros, & Episcopos. & coercetur eorum insolentia in concilio Nicæn. cap. 14. Laodicens. cap. 20. Agathens. cap. 26. Hierony. epist. ad Euagrium. & in Ezechiel. 48. ait, quia presbyteri erant multi, & Diaconi septem in memoriam primorum, ideo magis fiebant, quàm presbyteri. Secundum munus, est legere Euangelium, de quo Hierony. in epist. ad Sabell. diaconum. Gregor. l. 4. epist. 88. Sciendum autem est, ex lectione simplici euangelij cœpisse Diaconos absente Episcopo, & presbytero explicare euangelium populo. Gregor. l. 4. epist. 88. & Hierony. in Ezechiel. 48. primus diaconorum per singulos concionatur. Secundo sciendum est, consuetudinem hanc, vt diaconi concionentur, videri fundatam in scriptura. Primo, quia quando Apostoli voluerunt constituere diaconos, (act. 6.) *elegerunt viros plenos Spiritu sancto, & sapientia*, neque ob aliud, nisi vt concionentur. & Timot. 3. exiguntur mores sanctissimi in diacono; & inter alios, *ne sint bilingues*, idest, ex Athan. vt habeant linguam conformem patribus. Item, Diaconi fuerunt electi magna celebritate. Item, duo ex illis septem diaconis fuerunt celebres concionatores. Item, postquam Lucas descripsit diaconorum ordines, ait, *orantes imposuerunt illis manus, & verbum Dei crescebat*; videlicet ex nouis diaconis. Item, Dionys. eccles. hierar. cap. 5. & 6. ait, Diaconi est purgare populum leui doctrina, videlicet concionibus. Tertio sciendum est, Diaconos non concionatos ex officio, sed ex necessitate; quia patres id dicunt esse proprium Episcopi. refertur Leo 16. q. 1. & Clem. l. 3. const. cap. 2. ait, ad summum presbyteri esse concionari. Item, scriptura ait, Diaconos electos ab Apostolis, vt ipsi Apostoli possint instare verbo Dei. Item, Ambr. ad ephes. 4. dicit, initio ecclesiæ prædicasse diaconos ex mera necessitate. Tertium munus, Diaconus absente Episcopo, & presbytero, ministrabat Eucharistiam. in concil. Nicæn. cap. 14. in Carthag. 1. cap. 18. Leo serm. de sancto Laurentio. Hierony. epist. ad Rusticum. Iustinus Apol. 2. pro Christianis. Ignat. epist. ad Trallianos. Cyprian. & alij. verum est tamen frequentius diaconum sanguinem ministrasse, quàm corpus. Quartum munus, est assistere Episcopo ministranti. Hierony. in Ezechiel.

48. Ambr. in 1. ad Tim. 3. Ignat. ad Trall. Quintum, munus Diaconi nomine Episcoporum visitabant Xenodochia, carceres & similia. 1. 3. & cap. 15. Sextum munus, absente Episcopo, & presbytero, exercebat omnia munera quæ non exigebant characterem. Vnde dicitur manus Episcopi, Clem. 2. const. 23. 24. & 25. dicit diaconum esse Episcopo nuncium, & prophetam in omnibus. Vnde etiam illis absentibus baptizabant; Tertull. l. de baptis. & reconciliabant hæreticos per modum orationis, imponendo illis manus. quæ manuum impositio non erat sacramentum.

Subdiaconorum autem munus, primum est ministrare diacono sacra vasa, & materiam consecrandam. clem. l. 3. const. cap. 11. & l. 8. cap. 34. Secundum, subdiaconus nunc legit tanquam ex officio epistolam, tunc autem non ex Greg. l. 4. Reg. cap. 88. qui ait, psalmi etiam leguntur per subdiaconos, reliquæ lectiones vel per minores si necessitas exigit. Tertium, votum Cœlibatus non fuit semper annexum subdiacono; nam tempore quarti concilij Toletani cap. 26. & Innoc. III. tit. de qualit. ordinand. C. adultis. refertur etiam tempore Vrbani primi non fuisse, cœpit tempore Vrbani secundi.

Septimum dubium de exorcistis, an sit ordo, Clem. l. 8. cōst. negat esse ordinem, sed esse gratiam gratis datam ad expellendos Dœmones, qui fuerunt etiam apud Iudæos. act. 19. quæ potestas fuit communicata discipulis, & Apostolis, Luc. 10. & omnibus, Marc. vlt. *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones*. & iustin. dialog. cum Triphon. & Apol. 1. pro Christian. Tertull. l. de corona milit. & apolog. 23. aduersus gent. Lact. l. 2. cap. 19. & l. 4. cap. 27. & l. 5. cap. 22. qui dicunt fuisse id commune omnibus Christianis. & de hoc tempore intelligendus est Clemens cum negat esse ordinem. postea enim deferuescente charitate, Deus subtraxit manum, & Apostoli instituerunt, vt quidam per exorcismos ejicerent Dœmones. Apostolis successere Episcopi, qui exorcistis dant potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue catechumenos.

Octauum dubium De lectoribus. Sciendum lectores olim ex Clem. l. 2. const. cap. 6. ex suggesto legisse solitos aliqua, ex veteri testamento, vel nouo, videlicet epistolas Pauli: tempore Cypriani & euangelium legebant, l. 2. ep. 5.

Nonum

Nonum dubium. Quomodo omnes ordines sint vnum sacramentum? Resp. quòd non sunt vnum indiuisibilitate, vt punctus, nec continuatione, vt linea; nec integrale, vt animal; sed dant vnum sacramentum perfectione; quia omnes ordinantur ad eucharistiam. Durand. dist. 24. quæst. 1. ad secundum. Vel sunt vnum potentiale; quia tota plenitudo huius sacramenti est in vno, scilicet in sacerdote; sed in alijs est quędam participatio ordinis. D. Tho. quæst. 37. art. 1. ad 2. ex his igitur patet, quo modo omnes ordines sint vnus ordo; nēpe vnitate attributionis; quia omnes ordinantur ad sacerdotium Durand. supra citatus.

De his quæ spectant ad substantiam huius sacramenti. Caput II.



Ordinem esse sacramentum, est de fide. ita definitur à concilio Flor. & Trid. sess. 7. de sacram. cap. 9. & sess. 23. vbi definit esse verè, & propriè sacramentum à Christo domino institutum. Sot. d. 24. q. 1. art. 4. Quamuis autem dicamus multos ex his ordinibus esse sacramenta, non ideo est contra definitionem ecclesiæ, qua dicitur esse septem sacramenta; quia licèt hi ordines seorsum essent multa sacramenta, tamen computantur vt vnum. Primo, quia referuntur ad vnum finem scilicet ad corpus Christi vel efficiendum & cõsecrandum, vel purgandum, & illuminandum. Secundo, ex d. Tho. omnis ordo sacer est vnum sacramentum potestatiuum; quod scilicet habet eminenter, vel formaliter omnem potestatem, vel perfectionem; reliqua verò sub ipso participant illam perfectionem, hoc autem totum potestatiuum residet in Episcopo; reliqui verò ordines participant aliquam partem. ex quo fit, licèt dicamus ordines seorsum esse sacramenta, non tamen septem sacramenta multiplicantur.

Dico secundo, licèt probabile sit ordines minores non esse sacramentum, sed esse merè officia ecclesiastica, vt ait Durand. & Caiet. tom. 2. opus. 11. Victor. l. de sacram. Primo, quia horum

horum nō fit mentio in scripturis, nec vllus pater dicit hos ordines esse à Christo. Secundo, quia hi ordines minores habent valde remotam functionem ab eucharistia; tamen quia est ferè communis sententia theologorum, D. Tho. in addit. quæst. 35. art. 2. Riccard. in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 3. Gabr. q. 1. art. 2. Ferrar. l. contra gent. cap. 35. Couar. l. 1. Variar. resol. cap. 10. num. 11. Petrus Sot. quæst. 4. de ordine. Nau. cap. 22. num. 17 & probatur ex concil. Trid. & Flor. quæ de omnibus nullo excluso dicunt esse sacramentum, Ideo quia hæc opinio magis consonat dictis sanctorum patrum, & videtur tutior, dicendum est omnes ordines etiam minores esse sacramenta. Opiniones apud Sotum supracitatum videndæ sunt.

De Materia, & forma huius sacramenti. Caput III.



PRimum dubium. Quæ materia, & forma huius sacramenti?

Resp. habere hoc sacramentum materiam, & formam, constat ex concil. Flor. vbi singulis ordinibus propria materia, & forma præscribitur; quare in singulis ordinibus confertur gratia sacramentalis, & character. Quæ verò sit materia huius sacramenti, an manuum impositio, an traditio instrumeotorum, sunt doctorum opiniones.

Prima opinio est ferè communis, materiam propriam non esse manuum impositionem, sed traditionem illorum instrumentorum, quibus exercetur illa potestas ordinis; vt Ostiarius fit per traditionem clauium sub præscripta forma verborum, quæ habetur in pontificali. Lector, per traditionem libri. Exorcista, per traditionem libri exorcistarum. Acholytus, per traditionem vrceolorum ad ministrandum vinum, & aquam. Subdiaconus, per traditionem libri epistolarum, vt ait Vigue-rius. l. de ordine. verb. 2. Diaconus, per traditionem libri euangeliorum. Presbyter denique, per traditionem calicis cum vino, & patena cum pane. Forma sacerdotij talis est: Acci-

pe po-

pe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro viuis, & mortuis, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. & sic de aliorum ordinum formis: vt habetur in concilio Florent. In bulla Armenorum. Notandum est autem quòd illa verba *pro viuis, & defunctis*: similiter inuocatio sanctissimæ Trinitatis, licèt non sint de essentia, tamen sunt de integritate formæ; & ideo ea omittere esset peccatum mortale. Manuum autem impositionem ait hæc opinio esse quandam cæremoniam accidentalem pertinentem ad solennitatem. Probatur primo ex pontificali Romano, in quo dum Episcopus tradit supradicta instrumenta, solet dicere; *Accipe potestatem;* ergò, sic accipit sacramentum. Secundo, in ordinatione presbyterorum ante manuum vnctionem Episcopus cum omnibus præsentibus sacerdotibus primò imponit manum ordinando, & nullam formam profert, sed tantum orationem. Secundo ordinatur, & Episcopus tradit instrumenta, & profert formam. Tertio, post missam Episcopus presbyteris ait; *Accipite Spiritum sanctum.* ex his tribus ritibus, primus non est essentialis; quia ibi nulla est forma verborum, neque tertius; quia iam ante tertium ritum ordinati sunt; & ideo consecrant cum Episcopo, & simul absoluunt; ergo secundus est essentialis. Tertio, Gregorius IX. C. presbyter. de sacram. non iter. dicit manuum impositionem esse ritum ab Apostolis introductum; & subdit de quodam ordinato sine manuum impositione: & decernit nihil esse iterandum, sed supplendum quod defuerat. quòd si esset essentialis, debuisset repetere formam ordinationis simul cum impositione manuum, vt ex materia & forma fiat sacramentum; at Gregorius præcipit nihil esse iterandum. Confirmatur; quia cum dicitur supplendum esse quod deerat, id quod suppletur est accidentale; nam Innoc. III. de sacram. Vnct. ait, si Episcopus sit consecratus sine vnctione, nihil esse iterandum, sed supplendum quod deerat. at vnctio balsami est accidentaria. Confirmatur; quia in can. post. de sacram. non iter. ait Innocent. III. siquis est chrismatus sine balsamo, non est iterandum sacramentum, sed supplendum quod est prætermissum. idem dicit de ordinatione Diaconi sine manuum impositione. Quarto, presbytero confertur in ordine potestas consecrandi eucharistiam, & remittendi peccata; ergo in ordinatione ipsorum vel opus est exprimere vnam potestatem tantum,

& sic

& sic magis debet exprimi potestas consecrandi, tum quia est finis alterius; at hæc potestas exprimitur cum traduntur instrumenta; ergo traditio instrumentorum facit sacramentum. Vel oportet vtranque potestatem exprimere, & tunc sequeretur quòd neutrobique daretur presbyteratus; quia in traditione instrumentorum exprimitur potestas consecrandi; in impositione vltima manuum, potestas remittendi peccata. quòd si sint duæ potestates, & duo characteres, tunc in impositione manuum in qua exprimitur potestas remittendi peccata, accipitur potestas absoluendi. in traditione autem instrumentorum potestas consecrandi, & hinc saltem habeo, argumentum partis contrariæ (quæ dicit, impositionem tantum manuum esse sacramentum) esse inualidum. Quinto, ritum ordinandi sacerdotes à Christo debemus accipere: at Christus ordinauit tradendo instrumenta; quia ex concilio Trid. sess. 22. cap. 1. & can. 2. Christus ordinauit sacerdotes tradendo panem, & calicem, & dixit, *hoc facite in meam commemorationem*; perinde est dicere, *hoc facite*, ac dicere; *Accipite potestatem*. Sexto, non valet ratio, quòd tantum in scripturis traditur manuum impositio, & non traditio instrumentorum; quia etiam Apostoli chrismabant per manuum impositionem, quæ ex concilio Flor. est relicta, & illi successit vnguentum. Septimo, materia sacramentorum debet esse propria sacramenti, vt determinatè significet effectum proprium sacramenti; sed impositio manuum est quędam Cæremonia communis multis sacramentis; baptismo, act. 9. Ananias Paulum baptizaturus, imposuit illi manus. Chrismati, act. 8. imponebant Apostoli manus super illos Samariæ qui receperunt verbum Dei, & accipiebant Spiritum sanctum. est etiam communis reconciliationi hæreticorum, & energumenis. Imo scripturæ significant impositionem esse quandam orationem deprecatoriam; quia Iacob Gen. 48. benedixit filijs suis, imponens illis manus. & Diony. l. 5. eccles. hierar. ait, quòd manuum impositio nihil aliud significat, quàm assumptionem illius in Dei protectionem per suum ministrum. Octauo, ex concilio Flor. in bulla vnion. definiente materiam esse traditionem instrumentorum formam verò esse verba quæ dicuntur.

Secunda, opinio est multorum recentiorum, qui dicunt, impositionem esse materiam essentialem, traditionem esse accidenta-

dentalem. pro quo suppono primo, sacramenta esse à Christo domino, ex Trid. sess. 7. cap. 1. suppono secundo, institutionem Christi non posse nobis constare rationibus naturalibus, sed scripturis, & traditione Apostolica retenta continuo vsu. His positis, probatur primo: scripturæ, & patres nunquam mentionem faciunt traditionis instrumentorũ, sed impositionis manuum; ergo hæc est materia; nam ante trecentos annos nulla erat mentio huius traditionis, at impositionis est mentio 2. Timot. 1. vbi ait Paulus ad Timotheum; *admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* & act. 13. dixit Spiritus sanctus ministrantibus Domino Antiochiæ, *segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos, tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Confirmatur; nam sacramentum est quædam cæremonia externa cui est adnexa promissio gratiæ, quæ fit non traditioni instrumentorum, sed impositioni manuum, sic enim faciebant Apostoli. Secundo, confirmatur ex patribus, quos diuidam in aliquot classes. Prima classis est illorum patrum, qui fusè explicant omnia quæ interueniunt in ordinatione; & præcipuam mentionem faciunt impositionis manuum; traditionis verò instrumentorum, nullam. Diony. eccles. hierar. cap. 5. Anacl. epist. ad Episcopos Italiæ, qui conficit totam ordinationem ex oratione, & impositione manuum. Concilium 4. Carthag. cap. 2. 3. 4. & 5. quod refert etiam can. presbyter. d. 23. vbi habetur presbyterum esse ordinandum per manuum impositionem, & propterea Capreol. in 4. d. 19. q. 1. Dur. d. 24. q. 3. Scot. q. 1. art. 3. Gabr. q. 1. tenent impositionem manuum esse materiam sacerdotij. illud autem concilium Cartha. fuit ab ecclesia Romana receptum, & relatum d. 23. eiusdem sententiæ est Isid. l. 2. de offic. eccles. cap. 10. Clem. l. 8. const. à cap. 2. ad 24. Hæc autem traditio instrumentorum cœpit in ordinatione antiqua Romæ, sub Stephano, nam primi qui cœperunt distinguere in qua cæremonia esset essentia sacraměti, fuerunt scholastici. Item Hugo de sancto Victore l. 2. de sacram. p. 3. cap. 12. explicat omnes ritus; & ait, sacramentum esse in manuum impositione. Secunda classis est illorum patrum, qui non explicant omnes cæremonias quæ fiunt in ordinatione, sed dicunt, in manuum impositione sacerdotum consistere. August. l. 2. contra

tra epist. Parm. cap. 13. l. 1. de bapt. contra Donatist. cap. 1. Ambr. l. 1. de dignitate sacerd. cap. 5. & in 1. ad Timot. cap. 4. concilium Nicæn. 1. can. 9. quod recitatur d. 81. can. quicunque. & cap. 19. concilium Antiochen. can. 10. & 17. refertur d. 92. can. siquis Episcopus. & can. 11. approbatur à Damaso epist. de coepis. vbi Damasus idem affirmat. & in concil. 6. Carthag. can. 4. & 9. Innocent. l. 5. epist. 22. ad Episcopos Maced. est etiam concilium Tolet. d. 23. can. quorundam. concilium Ancyr. can. 10. refertur d. 10. can. Diaconi. Tandem Simon metaphrastes in vita sancti Chrisostomi, narrat imponente Episcopo manum super Chrysostomum, lapsam esse columbam in signum aduentus Spiritus sancti. Tertia classis est illorum, qui non alio nomine appellant hoc sacramentum, quàm manuum impositione. Concilium Chalcedon. can. 6. approbatum à Trid. sess. 23. cap. 6. probatur etiā ratione. Primo, quia ecclesia Romana in suo Pontificali non ordinat Episcopum nisi per manuum impositionem. Secundo, conueniunt doctores ex illis instrumentis quæ traduntur Diacono, & subdiacono ea esse præcipua, quæ magis sunt proxima sacrificio missæ; & tamen Diacono traditur liber euangeliorum, qui est minus propinquus sacrificio, quàm sint vasa sacra quæ traduntur subdiacono. Tertio, tempore sancti Thomæ in 4. d. 23. & 25. Episcopus non dabat hæc instrumenta, sed Archidiaconus; at si essent de essentia, deberent dari ab Episcopo qui confert sacramentum. In hac re tam dubia, Dico primo, me non definire vtra opinio harum sit catholica, sed iudicio ecclesiæ relinquere propter grauitatem rei; nam si careamus vera materia ordinationis, caremus ferè omnibus sacramentis. Item, quia doctores variant, ita vt concilium Trid. propter varietatem opinionum nihil voluerit definire. Dico secundo, nihil esse tutius in hac re, quàm ritus Pontificalis Romani in quo vtraque cæremonia habetur; videlicet impositio manuum, & traditio instrumentorum. propterea Dico tertio, quòd sacerdos in ordinatione accipit duplicem potestatem, vna est consecrandi corpus Christi; altera est remittendi peccata; ideo assignari solet duplex materia, & duplex forma; vna tamen est principalis per quam imprimitur Caracter. & idem dicas de alijs ordinibus qui habent plures actus; vt rectè Dur. in 4. d. 24. q. 3. Quarto dico, quòd per materiam, & formam

mam dictam ex concilio Flor. ordinatur verus sacerdos, & recipit characterem sacerdotalem secundum quem est proprie sacerdos. est communis sententia theologorum, vt ait Sot. in 4.d.24.q.1 art.4. probatur; quia concilium Trid. sess. 22. cap. 1. & can. 2. decreuit Christum dominum consecrasse, & ordinasse in cœna sacerdotes ipsos Apostolos, cùm tamen formam aliam cum manus impositione non instituerit, nisi post resurrectionem, Ioan. 20. vt constat ex eodem concilio sess. 14. cap. 1. & ex euangelio; ergo &c. Quinto dico, quòd nihilominus in manuum impositione sacerdoti initio datur gratia, & potestas ad remittenda peccata; & talis impositio manuum non solum est de integritate; sed etiam de essentia sacramenti; est d. Tho. in addit. q. 37. art. 5. Riccard. d. 24. art. 4. q. 3. Scot. q. vnica. art. 3. & concili. Carthag. 4. can. 3. vbi huius materiæ tantum fit mentio, scilicet impositionis manuum. Item ex Palud. q. 2. art. 3. quia sic Apostoli ordinabant. & 1. Tim. 4. & 2. Tim. 1. vt supra dictum est in secunda opinione. Obijcies; si priore forma confertur sacerdotium, ita vt qui ordinatur recipiat gratiam, & characterem, quomodo manuum impositio potuit esse de essentia sacerdotis? Videtur ergo potius esse quid accidentale, vel sacramentale potiusquàm sacramentum, cum adiungatur sacramento iam perfecto. Resp. per priorem, idest per porrectionem calicis, &c. cum solita forma imprimitur character, & datur gratia sacramentalis, & potestas ad principalem actum sacerdotij scilicet consecrandi eucharistiam per posteriorem verò formam cum manuum impositione non solum datur gratia, sed etiam potestas sacerdotalis ad actum secundarium, scilicet remittendi peccata; per quam potestatem completur actio sacerdotij, scilicet habet sacerdos potestatem ad vtrunque actum. & sic conciliari potest vtraque opinio, 1. & 2. & loca concilij Florentini, & Carthaginensis. ex his patet primo, quòd siquis ordinatur solum per traditionem calicis, &c. talis cùm non habeat potestatem absoluendi, non potest absoluere; etiam si habeat iurisditionem. Secundo patet, quòd siquis ordinaretur solum per manuum impositionem, non esset verus sacerdos. Tertio patet, quòd character imprimitur in priori forma, & in traditione calicis. &c. quia tunc deputatur homo ad principalem actum sacerdotij. in posteriore actu, idest in impositione manuum non imprimitur

character, sed tamen datur potestas ad actum secundarium, idest ad absoluendum, & datur gratia ad id munus obeundum; vt docet d.Tho. in addit. q. 37. art. 5. quicquid dicat Sotus, neque ista absurda sunt; quia hæc omnia in ordinem habent ad vnum completum sacerdotium, quod constat duplici dicta potestate. quare secundaria ordinatur ad principalem.

Secundum dubium est de Diaconatu. nam concilium Carthag. 4. can. 4. habetur esse conferendum per manuum impositionem; ergo non per traditionem libri euangelij. Resp. eodem modo vt dixi de sacerdotio. cùm enim diaconatus habeat duplicem actum, vnum quod est legere euangelium; alterum quod est ministrare sacerdoti in altare, & ministrare sanguinem populo; ad priorem actum illi magis peculiarem ordinatur per traditionem libri, & tunc imprimitur Character. ad posteriorem verò actum deputatur per manuum impositionem sub forma illa, *recipe Spiritum sanctum*, *&c.* qua datur dicta potestas ministrandi in altare. d. Tho. in addit. q. 32. art. 3. Hinc patet Diaconatum non conferri per manuum impositionem, quicquid dicat Scot. & Dur. & probatur ex concilio Flor. & communi doctorum sententia. Neque obstat concilium Carthag. quia assignauit solum partem materiæ in qua datur particularis potestas. Nec etiam obstat quod legere euangelium sit actus minùs principalis; quia licèt nobilior actus sit ministrare sacerdoti celebranti, & dispensare sanguinem populo; tamen ipsi Diacono quatenus tale, magis peculiare est legere euangelium; quia id ei proprio officio competit, in quo ab alio non dependet; ideo imprimitur Character ipsius Diaconatus in traditione libri euangeliorum. Hinc etiam patet, cur character subdiaconatus imprimitur in traditione libri epistolarum, secundum Viguerium; cùm tamen duo sint eius actus, vnus ordinare materiam eucharistiæ, & ponere in locis sacris; alter epistolam legere, cùm enim hic secundus actus sit ei magis peculiaris, ideo per traditionem calicis, & patenæ cum particulari forma; nā cùm sit particularis materia, videtur tradi in ordine ad formam, quæ profertur cum traditur altera pars materiæ ob principalem actum. Nec obstat quod concilium Flor. dicit materiam esse traditionem calicis vacui cum patena; quia solum ibi insinuauit partem materiæ, in qua datur potestas ministrandi missæ in ordine ad

for-

formam, quæ profertur in altera particulari materia tradendo librum epistolarum. In traditione enim dicta calicis, nulla profertur forma. nec mirum; quia concilium Flor. non tractauit exactè de ordinatione, sed solum aliqua insinuauit. Vnde nec etiam omnia de sacerdotio dixit, cum de potestate absoluendi à peccatis tacuerit. similiter Acolyti duo sunt actus; portare cereum, & porrigere aquam, & vinum ad eucharistiam: & quia hic actus est principalior, ideo in traditione vrceoli confertur. vt Dur. q. 35. quamuis ab alio actu nomen acceperit, cùm sit magis frequens, & patens. Neque obstat quòd non ordinatus potest hos actus facere; quia talis non faceret ex officio, nec posset solenniter exercere; quia fieret irregularis, vt ait Dur. in 4. d. 24. q. 3. & alij.

Tertium dubium. An character huius ordinis supponat characterem alterius? Resp. non supponere ex necessitate. cap. literæ. de clericis per saltum promot. sed ex institutio ecclesiæ gradatim suscipi debent. ordines autem supponunt de necessitate baptismum. Sot. in 4. d. 24. q. 1. art. 4. & patet, quia baptismus est ianua sacramentorum; vt suo loco dictum est.

Quartum dubium. An contactus materiæ sit de necessitate sacramenti in collatione ordinis? Resp. Caiet. verb. ordinatio, non esse de essentia. Oppositum tamen est probabilius; quia contactus significatur per ipsam formam. est d. Tho. in addit. q. 34. art. 5. ad 3. Sot. d. 24. q. 1. art. 2. Sylu. verb. ordo 2. q. 5. Caiet. in opus. tract. 26. q. vnica. Dices, an sit necesse vt suscipiens sacerdotium tangat hostiam. Resp. non esse de necessitate sacramenti, tamen esse seruandum ritum ecclesiæ. Sot. supra. Dices, an tangere oporteat materiam tunc temporis, cũ forma profertur? Resp. satis esse vt fiat simul more humano; vt dixi de forma baptismi. Sot. supra. art. 2. Victor. q. 230. quicquid dicat Caietanus.

De

De Ministro ordinis. Caput IIII.



Primum dubium. Qui minister ordinis?
Resp. Ordinarius minister ordinis est Episcopus; ex concilio Flor. & Trid. sess. 23. cap. 4. & can. 7. de sacram. ordin. d. Tho. in addit. q. 38. art. 1. Palud. in 4. d. 25. q. 1. art. 2. q. 1. art. 1. & est communis. Vnde errat Dur. q. 4. cum dicit, ordinarium ministrum minorum ordinum esse sacerdotem. Sed est hi:

Secundum dubium. An ex commissione Papæ posset quis ordines conferre? Resp. Primo, Papa non potest committere potestatem conferendi ordines etiam minores ei qui non est sacerdos. d. Tho. in addit. q. 38. art. 1. ad 3. Secundo, quòd ex commissione Papæ sacerdos potest omnes ordines minores conferre. d. Tho. supra art. 1. Victor. de potest. eccles. q. 2. num. 16. Sot. in 4. d. 25. q. 1. art. 1. & est communis omnium theologorum. licèt dubitet de eo Couar. l. 1. variarum resolutionum. cap. 10. num. 10. Vnde Abbates conferunt minores ordines. cap. quoniam. d. 29. & cap. cùm contingat. de ætate, & qualit. ordinandor. Sot. supra. art. 1. non possunt tamen conferre nisi subditis; ex concilio Trid. sess. 23. cap. 10. de reform. Tertio dico; quòd ordo presbyteratus, & Diaconatus non potest ex simplici sacerdote ex Papæ commissione conferri. est communis sententia, quam sequitur Couar. supra. quia nondum legitur talis facultas concessa. Quarto dico; quòd simplex sacerdos potest conferre subdiaconatum ex commissione Papæ. Ita Victor. q. 24. qui dicit se vidisse bullam, in qua Cisterciësibus hoc concessum esset; quam quia d. Tho. non vidit, ideo oppositum supra tenet. Probatur etiam nostra sententia ex epist. Gelasij Papæ ad Episcopos Vngariæ, & Siciliæ, & ex Leone epist. 36. Quinto dico; quòd prima tonsura non potest conferri à presbytero parochiano sine commissione Papæ. probatur ex vsu ecclesiæ. Ita Sot. supra. art. 1.

Tertium dubium. An ex commissione Episcopi possit simplex sacerdos aliquem ordinem conferre? Resp. negatiuè; quia hoc

hoc spectat ad plenitudinem potestatis, quæ in Papa residet. Item ex cap. aqua. de consecr. ecclesiæ. vbi dicitur quòd Episcopus quæ ordinis sunt, non potest clericis ordinis inferioris demandare.

Quartum dubium. An Episcopus si non sit sacerdos, possit ordines conferre? Resp. negatiuè.

Quintum dubium. An ordo collatus ab Episcopo excommunicato, vel præciso, interdicto, suspenso, vel simoniaco, sit validus? Resp. affirmatiuè, si debitam formam, & intentionem seruauit. quia talis potestatem ordinis non amisit. cap. non nocet. 1. q. 1. & can. baptizatus. de consecr. d. 6. & d. Tho. in addit. q. 38. art. 2. Sot. in 4. d. 25. q. 1. art. 1. Palud. q. 2. Dur. q. 1. & alij communiter. Nota tamen quòd si Episcopus sit denunciatus nominatim, ille qui ordinaretur ab eo, esset irregularis; Nau. cap. 27. num. 241.

Sextum dubium. An Episcopus possit ordinare non subditos, vel in diœcesi alterius; præsertim personas non subditas illi ordinario? Resp. & dico primo, quòd Episcopus qui ordinat alios quàm sibi subditos sine licentia, & testimonio, seu dimissorijs proprij illorum ordinarij, suspenditur à collatione ordinum, & ordinati ab exequutione ordinum susceptorum arbitrio proprij ordinarij; ex concilio Trid. sess. 23. de reform. cap. 8. & extendit ad Episcopos etiam titulares. sess. 14. cap. 2. de reform. Secundo dico; quòd Episcopus in alterius diœcesi de licentia ordinarij loci non potest ordinare personas quæ non sunt subiectæ illi ordinario, nisi habeant dimissorias generales à suis ordinarijs; vt declarauit congregatio concilij. & sic statuit intelligendum decretum concilij Trid. sess. 6. cap. 11. de reform. & sess. 14. cap. 2. cum statuit nulli Episcopo licere alterius diœcesi exercere pontificalia, nisi de ornarij loci expressa licentia, & in personas eidem ordinario subiectas. intelligitur enim (vt dixi) nisi habeant dimissorias à suis ordinarijs. Tertio dico, quòd sede vacante capitulum non potest concedere literas dimissorias infra annum. nec etiam tunc succedens loco Episcopi in iurisditionem, aliter interdicitur capitulum, & suspenditur succedens. ipse verò ordinatus suspenditur ad beneplacitum futuri prælati. excipiuntur tamen hi, qui beneficij ecclesiastici recepti, siue recipiendi occasione hortati fuerint. concil. Trid. sess. 7. de reform. cap. 10. &

sess.

sess.23.cap.10.de reform.vbi similiter sub eisdem pœnis prohibetur.& alijs existentibus de collegijs,& capitulis, ne secularibus clericis literas dimissorias vt ab alijs ordinentur concedant.

De suscipientibus ordinem. Caput V.



On quiuis est capax ordinis. nam fœmina & si de facto ordinetur,nihil recipit.d. Tho. in addit.q.31.art.1.Riccar.in 4.d.25.q.2.Dur. Scot.& Palud.ibidem.Sot.in 4.d.25.q.1.art. 2.Victor.in relect.de potest.ecclesiæ.q.2.nu. 3.& est communis sententia theologorum. cap.mulier. d. 25. & can. mulierem.23.q.5. quia non possunt docere, nec præesse viris. Secundo, nec masculus est capax ordinis nisi prius fuerit baptizatus;quia character ordinis necessariò præsupponit characterem baptismi. cap.veniens.de presbyteris non bapt. D. Tho. in addit. q.35. art.4.concilium Trid.sess.23.cap.4.Tertio, præsupponit characterem confirmationis de necessitate non quidem sacramenti,sed præcepti. concil. Trid. sess. 23.cap.4.& debent ordines gradatim suscipi,quod tamen est de necessitate præcepti, non sacramenti.Debet habere legitimam ętatem,ita vt Subdiaconus non ordinetur ante vigesimumsecundum annum. Diaconus ante vigesimumtertium.Sacerdos ante vigesimumquintum;ex concilio Trid.sess.23.cap.12. de reform. ad primam tonsuram,& ad ostiarium requiritur septennium. ad reliquos minores requiritur ætas duodecim annorum.glos.in Clement. de ætate,& qualit.ordin.& cap.in singulis. d.76. non requiritur tamen completus annus,sed inceptus dictæ ætatis, vt probat Nau.cap.25.num.116. ad Episcopatum autem requiritur trigesimus annus completus. cap.cum in cunctis.de elect.Debent præterea esse probatę vitæ,& in literis sufficienter instructi.concil.Trid.cap.4.& 13.de reform.Item,nemo potest ordinari sine titulo,neque extra tempus,neque ab Episcopo non suo sine licentia sui ordinarij. de quo videndæ sunt constitutiones Xisti V.& Nau.cap.25.num.135. Nota tamen quòd beneficium ecclesiasticum nemo potest habere ante decimumquar-

quartum annum, ex concilio Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. de reform. Vltimo, ordinandus debet eſſe immunis à peccato mortali; qui enim cum eo ordinem ſuſcipit, peccat mortaliter. d. Tho. in addit. q. 36. art. 1.

De effectibus huius ſacramenti. Cap. VI.



PRimus effectus eſt gratia, quam hoc ſacramentum confert, ſicut & cætera alia ſacramenta: ex concilio Trid. ſeſſ. 7. can. 7. Secundus effectus eſt character quem imprimit. concil. Trid. & Flor. ſeſſ. 3. can. 9. de ſacramentis. Tertius effectus, in ſingulis ordinibus imprimitur character diſtinctus; nã cùm vnius ſacramenti ſit vnus effectus principalis, character ſacerdotis eſt principalis effectus ſacramenti ordinis; poſſunt eſſe multi effectus minùs principales ordinati ad principalem actum; & ſic ſunt multi characteres multorum ordinum, omnes ordinati ad characterem ſacerdotij, & eius actus. Dur. in 4. d. 24. q. 3. & alij.



 De

TRACTATVS DVODECIMVS.

De Sacramento Matrimonij.

MATRIMONIVM institutum est ad commune bonum, ad carnalem propagationem, & filiorum educationem; ideo postremum locum obtinet inter sacramenta. agit de illo Magister in 4. à dist. 26. ad 42. cum omnibus scholasticis. d. Tho. in addit. à quæst. 43. ad 70. Canonistæ in 4. decretalium, qui liber totus est de hac materia. ex patribus egerunt de hac re Clemens Alex. l. 2. & 3. strogm. August. l. de bono coniug. de bono viduit. de nupt. & & concup. d. Hierony. aliqua scribit contra Iouinian. Epiphan. contra hæres. Vgo l. 2. de sacram. p. 11. summistæ omnes in suis titulis de matrim. Sot. à d. 26. ad 42. Couar. in epit. de sponsal. & matrim. Anton. 3. p. t. 1. Nos verò de illo nonnulla tractabimus. Primo, de matrimonio secundum se quoad substantiam eius; & habebit duas partes. Prima erit, vt contractus est naturalis. Secunda, vt sacramentum est. Secundo, de præcedentibus matrimonium, idest de sponsalibus. Tertio, de causa efficiente matrimonium, idest de consensu. Quarto, de bonis matrimonij, idest fidei, & redditione debiti, prole, & sacramenti indissolubilitate. Quinto, de impedimentis matrimonij. Sexto, de benedictione nuptiarum. Septimo, de diuortio. Octauo, de pluralitate vxorum, & de secundis nuptijs, seu de bigamia.

De Matrimonio secundum se, & de his quæ spectant ad substantiam eius. Caput I.



De matrimonio primò quærendum est quid nominis: deinde quid rei: quo ad primum, fit

Primum dubium. Quare dicitur matrimonium. Resp. primò, dicitur à matre, teste August. l. 19. cōtra Manichæos cap. 26. eo quòd mulier ideo nubere debet, vt mater fiat. Vel teste Aulogelio l. 38. cap. 6. dicitur à nomine matris, non quidem adhuc obtento, sed cum spe statim adipiscendi. Vel dicitur sic; quia prolem concipere, parere, & educare, potius matris munus est, quàm patris. Denique matrimonium dicitur, eo quòd mater certior sit, quàm pater. Vnde Odissee 1. de Telemacho, dicitur à matre fuisse certum, &c. & dicitur matrimonium, quasi munimen matris, quia ipsa primò munit, ac fouet prolem. mater enim in vtero gestando, lac præbendo, & alia infantilia ministrando, primò munit filium. Pater verò necessaria adulto filio præbet magis quàm mater, & ideo dicitur patrimonium. cap. ex literis. de conuers. infidelium. Secundo, dicitur coniugium à coniungendo; quia mulier cum viro quasi vno iugo coniungitur. Tertio, dicuntur Nuptiæ à nubendo, idest velando caput; quia obnubebant se puellæ pudoris gratia (secundum Ambros.) antequam viro traderentur, & velabant caput in signum pudoris exemplo Rebeccæ quæ velauit caput. habetur 30. q. 5. idem significat Paulus 1. Cor. 11. quamuis hoc etiam fieret in signum obedientiæ, & subiectionis ad virum, sicut contra, vir debet sustentare mulierem. Vnde vsus erat vt Velamen tegens caput mulieris, in humeris viri deponeretur. Catechis. Rom. Sot. in 4. d. 27. art. Candelabr. aureum de matrim. num. 2.

Secundum dubium. Quid est matrimonium? Resp. Matrimonium

monium dupliciter considerari potest. Vno modo vt est officium quodam naturæ, altero modo vt est sacramentum ecclesiæ. de vtroque agemus. Definitur autem à Magistro in 4. d. 27. & habetur l. 1. ff. de ritu nuptiarum §. 1. & Alexander III. in cap. illud. de præsumpt. & Grat. 27. q. 2. & habetur in Catechis. tit. de matrim. *Matrimonium est coniunctio maritalis Viri, & mulieris inter legitimas personas perpetuam vitæ consuetudinem retinens.* In cuius explicatione oportet notare, quòd sicut in sacramento ordinis aliud est ipsa ordinatio sacramentalis, aliud est potestas, & character ordinis, (istud enim ex illo est) ita in matrimonio tria distinguenda sunt. Primum, est contractus naturalis quo vir, & mulier mutuò se tradunt quoad corporis potestatem. Secundum, est Cæremonia, & quodam signum sensibile externum sacramentale. Tertium, est ipsum vinculum quod oritur inter vtrunque coniugem tam ex contractu naturali, quàm ex cæremonia sacramentali: & ho: tertio modo definitur matrimonium. Dicitur in definitione loco generis, *coniunctio*; per quod non intelligo copulam, & consumationem matrimonialem; quia hæc non est de essentia; sed intelligo nomine coniunctionis vinculum, idest habitudinem quandam, quæ est relatio quædam inter vtrunque. dicitur *maritalis* in locum differentiæ, ad excludendas omnes alias obligationes contractus inter marem, & fœminam, quæ non sunt matrimonium, & ista duo explicant essentiam matrimonij. Sed dicitur etiam *Viri, & mulieris*, ad innuendum non solum vtrunque sexum, sed quòd matrimonium vnius viri, & vnius mulieris est. Vnde si patribus antiquis plures licuit habere vxores, plura erant matrimonia. additur *inter legitimas personas*, contra hæreticos id negantes, & dicentes, omnes posse contrahere. per aliam differentiam intelligitur mutuum obsequium inter vtrunque, quod est secundarium in matrimonio. Potest etiam sic definiri: Matrimonium est vinculum indissolubile inter marem, & fœminam ex mutuo contractu facto inter illos in traslationem corporum ad sobolem procreandam, & debitè educandam. siquis velit definire primo modo, dicet: Matrimonium est contractus inter virum, & vxorem, verbis vel signo confectus, exprimens consensum traditionis corporum ad filiorum propagationem. hac definitione definitur matrimonium vt est contractus quidam, & officium

natu-

naturæ: vt autem est sacramentum, definitur sic à Maiore in 4.d.26.q.1.est signum sensibile, quo vir & mulier legitimo consensu præuio inuicem coniunguntur. Vel sic: est sacramentum indissolubilis coniunctionis viri, & vxoris. Sot. in 4.d.27.q.1. art.1. Candelabr. de matrim. num.4.

Tertium dubium. quomodo inter se differunt matrimonia. Resp. Matrimonium validum, & legitimum, est duplex: quoddam non ratum, & est matrimonium inter infideles, inter quos verum est matrimonium; sed non ratum, quod tantum est inter infideles; quia præter firmitatem quam habet ex contractu naturali, habet etiam aliam firmitatem quatenus est sacramentum; *quos enim Deus coniunxit, homo non separet* hoc docet Innoc. III. in cap. quanto. de diuort. Rursum, vtrunque matrimonium est duplex; idest consumatum, & non consumatum, nec dicitur consumatum quia ad rationem sacramenti faciat consumatio, sed quia est duplex actus matrimonij, & illud quod non est consumatum solet aliquando vocari sponsalia, quamuis communis sit vt sponsalia dicantur promissa de futuro matrimonio. Sed benè aduertit Panorm. cap. penult. de sponsal. ad tollendam istam ambiguitatem vnum vocari sponsalia de præsenti, aliud de futuro. aliud est inter non baptizatos, & dicitur coniugium naturæ, & contractus naturalis, aliud est inter baptizatos, & est sacramentum. Item, aliud est fictum, aliud verum, veri, aliud validum, aliud inualidum, validi, aliud legitimum, aliud illegitimum, aliud absolutum, aliud conditionatum. Sylu. verb. matrimonium. Agamus nunc pro prima parte huius capitis de matrimonio vt est in officio naturæ, de quo Sot. in 4.d.26.q.1.& 2.d. Tho. Viguerius. Candelabr. num. 6. & alij. vt officium naturæ fuit institutum à Deo Gen. 2. *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ.* Indissolubilitas autem matrimonij instituta fuit cum Adam diuina inspiratione dixit, *erunt duo in carne vna, &c.* concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de sacram. matrim. & significatur etiam Matth. 19. quare autem fuerit institutum, vide concil. Colon. cap. 2. Catechis. Rom. de matrim. Candelabr. de matrim. nu. 10. Vnde de hoc matrimonio vt est officium naturæ, sit

Quartum dubium. An matrimonium secundum ius naturæ sit licitum. Resp. Aliqui hæretici dixerunt nuptias esse illici-

licitas. tribuitur hic error Tatiano discipulo Iustini martyris, & fuit auctor hæreticorum qui dicti sunt Encratitæ, quamuis Hierony. l. 1. contra Iouin. tribuat Marcioni. fuerunt etiam quidam dicti Adamiani, qui dixerunt, quod si Adam non peccasset, non fuisset matrimonium, sed alia via fuisset propagata soboles humana. Alij contra dixerunt, matrimonia esse tollenda. tribuitur id Socrati, & Platoni in l. de republica. idem tribuit Nicolaitis, dicti à Nicolao; occasione sumpta; quam vide apud Euseb. l. 3. cap. 9. taceo impudicos Adamitas sub suo duce Piccardo. & impudentissimos Vualdenses. Contraria tamen sententia est omnium catholicorum. Ideo Dico, Matrimonium est de iure naturæ, & consequēter eius vsus licitus est. & bonus, explicatur prima pars. & Nota quod loquor de matrimonio quoad substantiam; nam quoad multos ritus est de iure ecclesiastico. Secundo nota, dupliciter aliquid esse de iure naturæ, vel dici naturale: aliquid quod est necessarium, & de necessitate naturæ, vt est naturale elementis ferri sursum, vel deorsum, aliud est ad quos natura inclinat. Matrimonium non dicitur iuris naturæ primo modo, sed secundo. Tertio nota, quod dupliciter etiam aliquid est de iure naturæ, vel vt principium per se notum, aut euidenter deductum. aliquid verò quod licet non tam euidenti illatione infertur, probabili tamen, & certa apud sapientes; & hoc secundo modo matrimonium est iuris naturæ. nunc probatur prima pars. Primo, quia natura dictat homini vt mas, & fęmina simul cohabitent, non solū ad procreandam prolem, sed etiam nutriendā. ad hoc etiam est necessarium vinculum matrimoniale. Secundo, inclinatur homo naturaliter ad mutua obsequia in re domestica, & œconomica, quæ mas & fęmina pręstent. Tertio, si nō essent certa matrimonia, non esset certitudo filiorum, vnde esset maxima confusio, & præiudicium toti mundo. Quarto, probatur ex 8. Ethic. cap. 11. & 1. polit. vbi ait philosophus matrimonium competere homini non ex electione, sed ex natura. non vult autem negare electionem in matrimonio, & 1. œconom. cap. 3. idem legitur. Plato l. 5. de legib. non probat communitatem vxorum. & l. 6. docet leges matrimonij, & l. 8. tradit adulterium esse contra ius naturæ. ex his infero fornicationem simplicem, & concubinatum non solum esse contra ius diuinum, sed etiam contra ius naturæ; quia impeditur finis matrimonij,

monij, vt patet in meretricibus. Nec obstat, quòd aliquæ barbaræ gentes videantur ignorasse; quia cùm sit iuris naturæ secundo modo, nihil mirum est si vitijs multis iudicij lumen obscurauerint: atque hac de causa Apostoli prohibuerunt fornicationem, non quasi non sit contra ius naturæ, sed quia multis vitijs obscurati, declarare id opus erat. Secunda pars probatur; quia sequitur ex prima. Secundo, quia in statu innocentiæ Deus creauit vtrunque sexum. & Christus interfuit nuptijs. Idem habetur 1. Tim. 4. & 1. Cor. 2. & hebr. 12. Tertio, stultissima est illa hæresis; quia totus mundus est ex matrimonio. & euangelium quod maximè commendat virginitatem, dicit hoc non esse omnium, sed quibus datum est à patre. d. Tho. q. 41. in addit. art. 1. Sot. in 4. d. 26. q. 1. art. 1.

Quintum dubium. An aliquo modo matrimonium sit in præcepto vel nunc, vel alio tempore. Resp. conueniunt communiter doctores in principio mundi, & post diluuium fuisse matrimonium sub præcepto aliquando. sed dubium est, an illud præceptum fuerit reuocatum, quando, & quomodo. Riccardus in 4. d. 26. circa tertium principale. q. 3. dicit fuisse reuocatum in lege nostra, consentit Castro. l. 14. contra hæres. tit. Virginitas. Alij tenent non fuisse reuocatum, sed manere etiam nunc; non tamen obligare cessante necessitate. d. Tho. in addit. q. 43. art. 2. ad 1. Ledes. ibid. Sot. in 4. dist. 26. quæst. 1. art. 2.

Sextum dubiũ. An iure diuino positiuo Deus instituerit matrimonium. Resp. cõueniunt omnes vt est in officiũ naturæ esse institutum à Deo. Sed dubitant, an etiam sit à Deo institutum in remedium concupiscentiæ, negat Scot. in 4. d. 26. q. vnica. Alij concedunt & Sot. supra tenet fuisse institutum ibi, *crescite, & multiplicamini*. Palud. in 4. d. 26. q. 1. ibi, *hoc nunc os de ossibus meis, &c.* Dico, Matrimonium etiam ex iure diuino à Deo institutum est, non solum in officium naturæ, sed etiam in remedium concupiscentiæ. probatur prima pars: Primo, quia totum ius naturę in homine est à Deo auctore, sed matrimonium est iuris naturæ, ergo &c. Secundo, quia Deus creator vtriusque sexus inspirauit Adæ. *nunc os de ossibus meis, &c.* Vbi tria bona matrimonij tanguntur: eius indissolubilitas, fides, & proles. Confirmatur ex Matth. 19. *non legistis quia Deus à principio fecit masculum, & fœminam?* & conclu-

dit,

dit, *quos Deus coniunxit, homo non separet.* ex his inferuntur duo: Primum est, errorem esse & hæresim dicentium in statu innocentiæ non futurum matrimonium. Secundum, hanc institutionem quoad substantiam matrimonij fuisse per internum dictamen naturæ, cognouit enim hoc Adam inspirante Deo; sicut cognouit etiam singulas naturas animalium. fuit autem expressa illa institutio quantum ad naturam per illa verba; *propter quod relinquet homo, &c.* quoad præceptum autem & obligationem, per illa verba; *crescite, & multiplicamini.* Secunda pars probatur ex 1. Cor. 7. *propter fornicationem autem, &c.* Confirmatur; quia hoc quod concedit Paulus ex institutione naturali, vel diuina positiua, vel humana. si primum, vel secundum, habeo intentum. si tertium, ergo vbi esset talis lex, non liceret; quod est falsum. Secundo, probatur ex August. l. 9. in Genes. ad liter. cap. 7. *quod sanis est in officium, ægrotis est medela.* Petes. vbi, aut quando fuit institutum matrimonium in remedium concupiscentiæ. Resp. etiam in paradiso terrestri, per internum instinctum, quando Adam, & Eua peccauerunt, & erubuerunt; & sicubi doctores dicunt nuptias extra paradisum institutas, intelligunt quoad consumationem. sic intelligit Hierony. l. 1. contra Iouinian. & August. l. hypo nost. cap. 4.

Septimum dubium. An pluralitas vxorum sit contra ius naturæ. Resp. prima opinio dicit esse omnino contra ius naturæ. ita Aureol. apud Capreol. d. 33. Secunda opinio ait, non esse contra ius naturæ primarium, sed secundarium. d. Tho. in addit. q. 67. Riccar. Palud. Capreol. & maior in 4. d. 33. Tertia, est hæresis quam habent Anabatistæ dicentes, etiam nunc licere habere plures vxores. Caiet. verò licèt longè distet ab his, tamen cautiùs debuisset loqui in Marc. cap. 10. & Matth. cap. 19. dicens, legem de vnitate vxoris non inueniri in canonicis scripturis. Quare dico, non solum vnam mulierem habere plures viros, est contra ius naturæ; sed etiam pluralitas vxorum, licèt diuersimodè. Imo est contra ius diuinum, & humanum, presertim in lege noua. explico, & Nota primo quid sit ius naturæ; quòd Deus & natura in necessarijs non deficiunt, Vnde omnibus rebus indiderunt aliquas formas naturales quibus commodè suos fines assequerentur. & omissis alijs rebus sensibilibus, dederunt potentias apprehensiuas, & appetitiuas

titiuas,& in his quasdam congenitas, & innatas apprehensiones,& appetitiones,quibus mediantibus suos fines consequerentur. est ergo ius naturæ quædam apprehensio, vel conceptio naturalis in homine in parte apprehensiua;dico *in homine*;quia licèt in potentia apprehensiua cæterorum animalium sint apprehensiones, illæ non dicuntur ius naturæ; quia illa animalia non ducuntur ratione, vel electione, sed tantum instinctu naturæ. Dico *conceptionem, vel apprehensionem*;quia ius naturæ propriè loquendo non significat appetionem, nec est in parte appetitiua, & affectiua, sed in apprehensiua. ius enim significat regulam, & legem quæ pertinent ad partem apprehensiuam,& cognoscitiuam. Dixi *naturalem*,quia in homine possunt esse multæ apprehensiones quæ sunt iuris positiui,vel alterius generis. est autem hoc ius naturæ duplex, quodam primarium,& strictius;quodam secundarium, & largius. discrimen autem magnum est inter vtrunque; nam primum continet quædam principia per se nota, vel conclusiones euidentes ab illis deductas,vel deducibiles. secundum verò continet alia non ita euidenter deducibilia. primum statim apparet habere vim obligandi. secũdum non ita. primum vbique & semper immutabile est;& secundum aliquos etiam indispensabile secundum Dei potẽtiã absolutam;secundũ verò potest mutari,& dispensari. In primo,nulla consuetudo excusat. in secũdo verò lex humana, & consuetudo excusat. Dices; ergo vnam mulierem habere plures viros,est contra ius naturæ; sed pluralitas vxorum non est contra primarium, sed contra secundarium. probatur primum de pluribus viris;quia pugnat cum prole omnino,& pugnat cum pace,& œconomia domestica, & tollit certitudinem filiorum, quæ est ruina totius mundi. probatur secundum de pluralitate vxorum;quia non est per se notum,& euidens;alioqui & iudæi, & multi gentiles id aduertissent. nec pugnat directè cum finibus matrimonij, & est aliquando dispensatum,quod non accidit in primario iure naturæ. Tertio,probatur quòd hæc pluralitas sit contra ius naturæ secundarium; quia non conuenienter generatur, & educatur proles tàm circa corpus,quàm circa animam. nec benè educantur tot filij,nec benè potest illis prouideri,& œconomia non tàm benè se habet. Quarto, probatur quòd sit contra ius diuinum.& dixi *saltem in noua lege*, quia aliqui tenent etiam

id veteri fuisse contra ius diuinum dispensatum in aliquibus; quod ego non credo, vt inferius dicam. probo ergo primo, in statu innocentiæ ex pacto Dei, quia tunc Deus non dedit Adæ plures vxores, sed vnam; dicente scriptura, *adhærebit vxori suæ*, in singulari. Confirmatur ex Hierony. in Matth. 19. & Chrysost. hom. 63. in Matth. & Theophyl. ibid. & Innoc. III. in cap. gaudemus. de diuor. Item probatur ex Matth. 19. vbi Christus reuocat matrimonium nouæ legis ad statum innocentiæ. ibid. dicit Christus, *ego autem dico vobis, quicunque vnam dimiserit vxorem, & ducit aliam, mœchatur.* & ibid. ait, quòd vna dimissa, non licet aliam ducere; ergo tanto magis retenta, & ad Rom. 7. relicto viro, non potest cum alio contrahere. 1. Cor. 7. *Vnusquisque propriam vxorem habeat, &c.* & addit; *his qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, &c.* & ibid. *solutus es vxore, noli quærere vxorem, &c.* Hæc dixi propter Caietanum, qui negabat in canonicis scripturis non inueniri hoc præceptum. Quinto probatur esse contra ius canonicum, & humanum, ex Nicolao primo ad Regem Lotarium. habetur cap. an non. 24. q. 3. Innoc. III. ad Philippum Regem Galliæ. & in epist. ad Tiberiadem Episcopum. & habetur cap. gaudemus. de diuort. & cap. siquis 31. q. 7. ex his infero primo, Papam nullo modo posse in hoc dispensare; quia non habet potestatem supra ius diuinum. Secundo, non posse coniugem transire ad secundas nuptias quando non est certa de morte prioris. vt habetur cap. in præsentia. de sponsalibus. & est Clementis III. quòd siquis dubitans contraxit credens probabiliter esse mortuam, debet deponere dubium quantum ad reddendum debitum, non autem potest nec debet petere. Petes, quid dicendum de matrimonijs infidelium post aduentum Christi. Resp. primo, alia matrimonia præter primum non sunt valida; quamuis aliqui teneant esse valida, ex eo quòd pluralitas non sic contra ius naturæ primarium, & ipsi non obligantur lege euangelica. tamen dico primo, matrimonia alia etiam in gentilibus non esse valida, vt diximus. probatur; quia licèt ipsi gẽtiles non teneantur ad præcepta euangelica, quæ sunt omnino supernaturalia, tenentur tamen ad ea quæ sunt determinationes iuris naturalis, vt est hoc præceptum. Dico secundo, excusari vt plurimum gentiles à peccato. tum quòd non norint legem euangelicam; tum etiam consuetudine apud eos vigente

in-

in contrarium. & hæc sententia videtur esse Innocentij cap. gaudemus de Diuort.

Octauum dubium. An secundæ, ac tertiæ nuptiæ, & deinceps, sint conformes iuri naturæ, vel sint prohibitæ. Resp. fuit hæresis Montani negantis secundas nuptias; quam tenuerunt Cataphryges, & Nouatiani, & eandem habuit Tertull. cuius liber adhuc extat de monogamia. ego dico, quòd secundæ, ac tertiæ nuptiæ, & deinceps, sunt legitimæ, ac verè matrimoniū. probatur primo ex Deuter. 25. confirmatur exemplo Ruth quæ fuit sanctissima. & Saræ. Secundo, ex Paulo ad Rom. 7. & 1. Cor. 7. Tertio, eisdem rationibus probantur secundæ nuptiæ, quibus & primæ. ex his inferes, leges illas ciuiles quæ prohibent cum pœnis secundas nuptias, esse abrogatas per cap. cum secundæ. de secundis nupt. Intellige autem illas leges, & pœnas esse abrogatas, quæ ideo dantur eo quòd mulier festinet ad secundas nuptias. nam aliæ leges, & pœnæ quæ in præcedentis viri fauorem sunt statutæ, non sunt abrogatæ.

Nunc pro secunda parte huius capitis agamus de Matrimonio vt sacramentum est. ideirco fit

Nonum dubium. An matrimonium sit sacramentum. Resp. affirmãt, & côueniunt omnes catholici. negant Lutherus, & calninus. Dur. verò in 4. d. 26. q. 3. licèt non côueniat cũ hæreticis, tamē liberius loquitur; dicens nõ conuenire vniuocè cum alijs sacramentis. Quare dico, Matrimoniū esse verè, ac propriè vnū de sacramentis nouæ legis. est de fide, & probatur primo, ex scripturis. 1. Tim. 2. *Saluatur mulier per filiorū generationem, quia ante filiorum generationem verè est matrimonium.* & nihil aliud vult dicere Paulus, nisi quòd debitè exercendo matrimonium, saluantur. & ad ephes. 5. *sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & ecclesia.* qui locus habet hunc sensum; *ego dico*, idest significat vnionem Christi, & ecclesiæ; ideo hoc sacramentum magnum est. & quia Christus cum ecclesia vnitur per gratiam, ideo significando Christi, & ecclesiæ vnionem, significat etiam gratiæ sanctificationem. & quia hæretici hoc negant; standum est expositioni patrum, sic enim exponunt locum illum Hieron. Ambr. Theophyl. Echumen. & alij. Secundo, probatur ex patribus. & præter citatos, est Tertull. l. 2. ad vxorem. Siricius epist. 1. Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum. August. l. de fide & oper. cap. 7. dicit, *in ciui-*

tate Dei, & in monte sancto eius, ideſt in eccleſia non ſolum matrimonij vinculum commendari, ſed etiam ſacramentum. & l. de nupt. & concup. cap. 19. dicit non ſolum fœcunditatem, nec tantum pudicitiam, ſed etiam ſacramentum nuptiarum commendari fidelibus coniugatis. & l. de bono coniug. cap. 18. in nuptijs plus valet ſanctitas ſacramenti, quàm fœcunditas prolis. Athan. l. 1. de Virg. Methodius in ſympoſio Virginum, Bern. ſer. 66. in cant. Tertio, probatur ex concilijs; ex Carthag. IIII cap. 13. ex Conſtanſ. contra Ioannem Hus. ex Flor. in vnione Armen. & Trid. ſeſſ. 24. can. 1. de ſacram. matrim. d. Tho. in addit. q. 42. art. 1. Sot. in 4. d. 26. q. 2. art. 1. Victor. q. 241. de matrim. candelabr. num. 4.

Decimum dubium. An matrimonia quæ erant ante Chriſti aduentum ſiue in ſtatu innocentiæ, ſiue in lege veteri, & etiam nunc inter infideles ſint ſacramenta, nec nè. Reſp. Decanus Louan art. 18. dicit, pluri nos ſentire, matrimonium ab ipſa mundi conſtitutione fuiſſe ſacramentum & etiam gratiam contuliſſe. Caſtr. de hæret. verb. Nuptiæ. tenet in lege veteri fuiſſe ſacramentum, non tamen contuliſſe gratiam. Adrian. in tract. de matrim. dicit matrimonium etiam inter infideles eſſe ſacramentum. Communis opinio eſt ſolum eſſe ſacramentum in lege noua inter Chriſtianos tantum. Sot. in 4. d. 26. q. 2. art. 3. Quare dico, quòd neque in ſtatu naturæ, aut innocentiæ, neque in lege veteri, neque etiam nunc inter infideles matrimonium aut ſacramentum fuit, aut gratiam contulit. explico concluſionem: alibi ſacramentum largè ſumptum ſignificare omne ſignum rei ſacræ quocunque modo: at ſi propriè ſumatur, ſignificat aliquod ſignum ſacrum inſtitutione diuina inſtitutum, vt religionis ſymbolum ſignificans gratiam, ſiue illam conferat, ſiue non. & per hoc multa ſunt excludenda à propria ratione ſacramenti; vt ſerpens æneus, qui erat ſignum mortis Chriſti, &c. non tamen erat ſacramentum. Dico ergo, quòd matrimonium in ſtatu innocentiæ, & formatio Euæ à Coſta Adami ſigna erant rerum ſacrarum, ſed largo modo erant ſacramenta. non propriè. Probatur concluſio. primo de ſtatu innocentiæ; quia in illo ſtatu vniuerſaliter teneo non fuiſſe ſacramenta. nam ſacraměta ſunt ſigna imperfecti ſtatus. & quia tunc vna fuiſſet omnium religio. Secundo, probatur de lege veteri; quia non video in lege veteri illa matrimonia fuiſſe

inſtitu-

instituta tanquam aliquid pertinens ad cultum,& religionem, sed solum vt contractus quosdam naturales. Tertio,quòd non causarent gratiam,certius est; tum quia concilium Florentinum in hoc distinguit sacramenta nouæ legis à veteribus. & Trident.sess.24. dicit, per Christum in lege euangelica matrimonium præstare gratiam veteribus connubijs. Dices, An possint dici matrimonia antiqua contulisse gratiam? Resp.primo quòd Deus ex merito, & opere operantis daret gratiam iuxta dispositionem illorum,certum est quòd dabat; quia matrimonium etiam de lege veteri erat institutio diuina;ergo erat necessarium, & conueniens, vt Deus concurrerit cum illo actu.Secundo, quòd ex vi matrimonij aut sacramenti daretur gratia, hoc non credo posse dici propter dicta in concilio Trid. Tertio,si quis diceret,quòd matrimonium erat sicut circuncisio,idest,ad quorum præsentiam Deus gratiam dabat vt conditio, sine qua non non,quamuis non videam esse temerarium, tamen videtur mihi falsissimum. Quarto probatur,quòd licèt apud infideles sit verum matrimonium, vt patet ex cap. de infideli. de consangu. & affin. & cap. gaudemus. de diuort. non tamen est sacramentum nisi latissimè sumptum. quia Innoc.III.cap. quanto.de diuort. dicit matrimonia infidelium esse verè matrimonia, non tamen rata, idest non sunt sacramenta.nam principium omnium sacramentorum est baptismus. & licèt dicto cap. gaudemus. dicatur sacramentum coniugij esse commune inter fideles,& infideles, ibi tamen sacramentum largè sumitur, vt dictum est.

Vndecimum dubium. An omne matrimonium inter Christianos sit sacramentum. & potest dubitari de clandestinis, quæ fiunt sine sacerdote.& de illis quę fiunt per procuratorem. Resp.Canus l.4. de locis theologicis. cap. 5. tenet non esse sacramentum illud matrimonium quòd fit sine sacerdote. citat Guglielparis. tract.5.q.1.& d.Tho.l. 4. contra gent. cap.78. Caiet. q.1.de matrim.tomo 1. dicit matrimoniũ per procuratorem factum non esse sacramentum. & concordat cano in relect. de sacram. in communi in prima parte, post tertium fundamentum.& Viguerius in institutione theologica cap.16. §.7.& Victor.in summ.num.146.Communis opinio est,matrimonium inter Christianos esse sacramentum. Couar. in 2. p. epit. cap. 1. num. 5. Sylu. verb. matrimonium. 1. & alij.

Quare

Quare dico Omne matrimonium validum inter Christianos est sacramentum, ita vt non possit separari ratio sacramenti à vero matrimonio inter fideles. explico: ante concilium Trid. duo semper fuere certissima: Primum est, matrimonia clandestina (idest sine sacerdote) fuisse vera matrimonia. Trid. sess. 24. Secundum, matrimonia per procuratores facta, fuisse vera matrimonia. ex cap. finali. de procur. in 6. quæ etiam nunc valida sunt. Idergo quod est in controuersia solum est, an illa matrimonia quæ erant clandestina, & ista facta per procuratores, fuerint & sint sacramenta. probatur conclusio primo ex Trid. supra. vbi duo habet pro nostra sententia: primum est, quòd clandestina semper fuerunt valida, & rata. ratum autem est, quod est sacramentum. secundum est, quòd matrimonia in lege euangelica præstant gratiam veteribus connubijs. Confirmatur; quia concilium simpliciter definit matrimonium esse sacramentum; & certè clandestina sunt matrimonia. Secundo, si non erant sacramenta ecclesiæ, hæc matrimonia, ecclesia debuisset alicubi monere populum Christianum vt id intelligeret; sed nullibi monuit, imo contraria est sententia theologorum; ergo &c. ex his infertur primo, falsam esse sententiam cani, dicentis verba sacerdotis esse necessaria ad sacramentum; quia in cap. licet de sponsa duorum. dicit Innoc. III. satis esse verba coniugum, & nihil dicit de verbis sacerdotis. & licèt Trid. sess. 24. ponat verba quæ sacerdos debet dicere quando contrahitur matrimonium, non tamen sequitur, quòd non sit sine illis. Secundo, in sacramento matrimonij non esse principalem ministrum sacerdotem, quia si Flor. requirit ministrum in omni sacramento, & nos diximus sine sacerdote constare matrimonium; ergo sequitur, quòd sacerdos (in rigore loquendo) nô est de essentia, nec minister. Probatur; qui ministrant materiam, & formam, sunt contrahentes, non sacerdos; ergo sacerdos non est in rigore, & verè minister. Dixi *principalem*; quia non est negandum sacerdotem esse ministrum benedictionis, & etiam potest dici minister matrimonij; quia debet dirigere aliquo modo contrahentes. Petes; in quo gradu habenda sit opinio cani, & Caietani. Resp. opinio Cani non caret temeritate meo iudicio. opinio autem Caietani habet probabilitatem; licèt sit à me reiecta.

Duodecimum dubium. An Matrimonium per procuratores con-

res contractum sit validum, & sacramentum. Resp. Dur. in d. 26. q. 3. Caiet. opus. 1. tract. q. 1. Victor. q. 244. tenent non esse sacramentum. Oppositum tenet Sot. d. 27. q. 1. art. 7. Sylu. verb. matrimonium quinto, q. vult. cum Ioanne Andrea. Conar. Candal. num. 13. Pro solutione dico primo, quòd à concilio Trid. non est annullatum matrimonium per procuratores; nam omnia quæ statuit ad verum matrimonium, possunt fieri per procuratorem, sicut fiunt per præsentiam coniugum. Item, quòd ante concilium erat verum matrimonium quod contrahebatur per procuratores, patet ex cap. fin. de procur. ergo & nunc; cùm per nouum ius non sit sublatum. & ita declarauit Greg. xiij. consultus à Toleto. Secundo dico, ad hoc aliqua requiri, vt patet ex dicto cap. finali. Primo, vt procurator ad contrahendum matrimonium habeat speciale mandatum. Secundo, quòd non possit deputare alium nisi hoc eidem specialiter sit commissum. Tertio, quòd si talis procurator reuocatus est & contrahat, non tenet matrimonium si fiat postquam reuocatum est mandatum. hic adde quartum ex concilio Trid. vt fiat coram proprio parocho, & duobus saltem testibus, &c. Tertio dico, quòd nihil refert vtrum procurator contrahat hoc, vel illo modo potest enim dicere, cupio te nomine talis, &c. vel Petrus accipit te per me procuratorem, &c. de quo Sylu. supra. Quarto dico, idem dicendum esse de matrimonio quod fit per literas; sed tamen seruanda sunt quæ statuit concilium Trid. vt scilicet fiat coram parocho, & testibus; ita doctores citati. Obijcies: alia sacramenta non possunt conferri in absentia; ergo neque hoc. Resp. id esse huic sacramento peculiare; cùm enim sit naturalis, & ciuilis contractus, permanet in sua natura, nihil obstante ratione sacramenti. Itaque cùm materia, & forma eius non sint nisi actus contrahentium; potest in eorum absentia celebrari, dum prædicti consensus per procuratores, vel per literas coniungantur. quod quidem reliquis sacramentis non accidit, vt notat Sotus loco citato. Quæret aliquis, An consensus isti debeant simul conuenire, an verò possint esse disiuncti; vt vnus verbi gratia consentiat hodie, alter cras, vel post aliquod tempus. Resp. ex dictis, non opus esse vt sint simul; quia est contractus, cuius natura id non requirit. & hoc patet in matrimonio per literas. intellige tamen dummodo consensus prioris coniugis non sit mutatus;

sed

ſed in virtute maneat. Ideo ſi longum tempus interceſſerit, reintegrandus eſſet conſenſus; vt notat Sot. ibid.

Decimumtertium dubium. Quæ ſint materia, forma, miniſtri, & ſuſcipientes huius ſacramenti. Reſp. primo, Cano in relect. de ſacram. in communi. 1. p. poſt tertium fundamentum, dicit materiam eſſe verba coniugum. formam eſſe verba ſacerdotis. Secundo, Palud. in 4. q. 4. art. 3. ad 2. & Couar. p. 2. cap. 1. num. 8. dicunt materiam eſſe ipſas perſonas contrahentes. formam verò verba eorum, vel ſigna, & nutus. Tertio, Riccard. in 4. d. 26. circa quartũ principale. q. 2. dicit, verba prioris coniugis ſunt materia. poſterioris, forma. Quarto, Sot. in 4. d. 1. q. 1. art. 6. & d. 26. q. 2. art. 1. dicit vtriuſque coniugis eſſe inuicem materiam, & formam. Quinto, Capr. d. 26. q. 1. ad 7. dicit conſenſum eſſe materiam. verba autem vt ſignificant & exprimunt, eſſe formam. Sexto, d. Tho. in addit. q. 44. dicit materiam eſſe actus contrahentium. formam verò, verba. Quare dico, quòd Materia huius ſacramenti remota ſunt corpora coniugum; quia illa eſt materia contractus, 1. Cor. 7. materia autem proxima eſt ipſa traditio, & receptio corporum; quia per hanc datur immediatè poteſtas. d. Tho. in addit. q. 42. art. 1. ad 2. Victor. q. 245. Candelabr. de matrim. num. 4. Forma ſunt verba quibus exprimitur conſenſus matrimonialis. D. Tho. ſupra ad primum. quare ſunt duæ partes integrantes materia, & forma. Ita vt vtraque traditio ſit materia, & vtriuſque verba ſint forma; quod neceſſarium eſt; quia matrimoniũ eſt contractus qui fit per conſenſum vtriuſque contrahentis. Vnde aliæ opiniones patrum non valent: non prima, quia ponit verba ſacerdotis eſſe de eſſentia; quod confutauimus dubio 11. non ſecunda; quia ponit materiam remotam, non tertia, quia poſſet vterque coniux ſimul proferre verba. non quarta, quia confundit materiam, & formam. non quinta. quia conſenſus ille de ſe non eſt ſenſibilis quale debet eſſe ſacramentum; & licèt fiat ſenſibilis per verba ſicut contritio in ſacramento pœnitentiæ, tamen quia hic habemus, quòd poſſumus aſſignare ſenſibile in ſe, ergo ſequitur noſtram ſententiam eſſe veram. Miniſtri ante concilium Trid. erant ipſimet contrahentes ſoli. Iam verò vbi prædictum concilium promulgatum eſt, neceſſariò requiritur ſacerdos qui eos coniungat; Imo etiam duobus ſaltem teſtibus præſentibus; vt habetur in dicto conci-

concilio sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. Candelabr. num. 20. & sequentibus. Suscipientes sunt personæ legitimæ, idest Vir, & fœmina nullo canonico impedimento impediti. Candel. num. 64. Obijcies; si contrahentes sunt materia, quomodo possunt esse ministri, & suscipientes? Resp. quòd materia sunt sola corpora. minister autem, & suscipientes sacramentum, est totus homo. quæ quidem distincta sunt. Secundo obijcies; quòd verba non possunt esse forma; quia verba vnius pendent ex verbis alterius; ergo non possunt determinare materiam. Resp. id esse necessarium; quia matrimonium est contractus, qui fit per consensum vtriusque contrahentis. Obijcies tertio, sunt duæ materiæ, & duæ formæ; ergo sunt duo sacramenta. Resp. quòd sunt duæ partes integrantes materiam, & similiter formæ. Ita vt vtraque traditio sit materia; & vtriusque verba sint forma.

Decimumquartum dubium. An hoc sacramentum conferat gratiam vt alia sacramenta. Resp. Aliqui iuristæ tenent non conferre. Hostiens. in tit. de sacram. non iterand. & glos. in cap. honorantur. 32. q. 2. idem tenet Dur. in 4. d. 26. q. 3. & dicit esse Magistri sententiam. Quare dico primo, Matrimonij sacramentum siue ratum, siue consumatum, significat vnionem Christi, & ecclesiæ. atque etiam gratiam huius sacramenti propriam quam causat, sicut & ipsum matrimonij vinculum efficit, quod est res, & sacramentum simul. Explico primo, ex eo quòd dico ratum, & consumatum, suppono vtrunque esse sacramentum, quod est contra Vuigleff, & Vualdens. cap. 130. qui putauit de essentia matrimonij esse consumationem. cui videtur consentire Gratianus cap. institutum. 27. q. 2. & vterque errauit, ex eo quòd nesciuit distinguere inter integritatem essentialem matrimonij, & eius actum secundum. quòd autem copula non sit de essentia matrimonij, est de fide; quia inter Beatissimam Virginem, & Iosephum fuit verum matrimonium, & non copula. Confirmatur ex cap. matrimonium. Vbi Chrysost. *matrimonium non facit coitus, sed voluntas.* & cap. sufficiat. eod. Vbi Nicolaus ait, matrimonium facit consensus. Secundo, supponit conclusio duplex esse principale significatum huius sacramenti, scilicet vnionem Christi cum ecclesia, & gratiam. & intellige, quòd in sacramentis nouæ legis potest afferri multiplex significatio. sicut verbi gratia eucharistia

est signum passionis Christi, futuræ gloriæ, & præsentis gratiæ. Sed sacramenta principaliter dicuntur signa gratiæ in ordine ad nostram sanctificationem. quod etiam habet hoc sacramentum. Tertio, supponit in hoc sacramento, sicut & in alijs, dari aliquid quod est sacramentum solum, & aliquid quod est res solum, & aliquid quod est res, & sacramentum. Nunc probatur conclusio, quòd scilicet significet vnionem Christi cum ecclesia; ex ephes 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego dico inter Christum, & Ecclesiam.* Petes, An idem significatum competat non solum consumato, sed etiam matrimonio rato. ratio difficultatis est; quia consumatum est magis dissolubile quàm ratum. tum quia Innoc. III. in cap. debitum. de bigamis, dicit, eum qui duxit mulierem viduam, sed non cognitam à priore viro, non esse irregularem, & posse ordinari. & dat rationem; quia coniugium quod non est consumatum, non pertinet ad id quod est inter Christum, & Ecclesiam. tum quia Paulus ad Ephes. 5. dicit, *& erunt duo in carne vna. sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & ecclesia.* Resp. vtrunque sacramentum significare vnionem Christi, & Ecclesiæ; sed perfectiùs consumatum, quàm ratum. & inde nascitur, quòd magis indissolubile sit consumatum, quàm ratum. & nascitur etiam hinc, quòd ille non est irregularis de quo loquitur Innocentius. Secundo dico, quòd in hoc sensu debet exponi Innocent. III. quòd si omnino quis vrgeat nolle id concedere rato, dicimus nos non sequi Innocentium, quia illa non fuit definitio. nec textus Pauli, quia illud *erunt duo in carne vna*, exponitur à multis doctoribus etiam de rato, & non consumato. sunt enim illi duo in carne vna; quia sunt vnum principium, & quia vnam prolem procreant. & quia habentur tanquam vna persona. probatur secundo, quòd hoc sacramentum causet gratiam; quia est sacramentum nouæ legis, vt supra probaui dubio 9. 10. & 11. & patet in noua lege matrimonium fuisse institutum sacramentum quod confert gratiam ex opere operato; ex concilio Trid. sess. 7. can. 1. de sacram. & sess. 24. cap. 1. & can. 1. de matrimonio. & habetur ex traditione Apostolorum, & ecclesiæ. habet autem vim sanctificandi ex passione Christi; Trid. ibi d. d. Tho. in addit. q. 42. art. 3. Sot. in 4. d. 26. q. 2. art. 3. Catechism. Rom. Candelab. verb. matrimonium. num. 13. Eli-

11. Elicitur autem institutum esse hoc sacramentum ex Matth. 19. *quos Deus coniunxit, &c.* & hinc patet effectum huius sacramenti esse gratiam, qua homo adiuuatur vt benè vti possit matrimonio, & in Dei gloriam, & ipsius matrimonij indissolubile vinculum. Candelabr. num. 13. 15. & 23. quare dicta gratia sacramentalis non est habitus distinctus à gratia gratum faciente, vel virtutum, vel donorum; sed per illum additur auxilium infusum per modum habitus. Dixi *per modum habitus*; quia non est auxilium extrinsecum, quicquid velit Sot. in 4. d. 1. q. 3. art. 2. quia remanet dicta gratia suscepto sacramento. tum quia aliàs gratia sacramentalis non differret specie; quod est contra D. Tho. in addit. q. 42. art. 2. Confertur ergo gratia dicta vt sanctè illa perficiat quæ pertinent ad tria bona matrimonij, prolem, fidem, & sacramentum. primo, ad fidem non solum pertinet fidelitas, vt scilicet vir propriam cognoscat, & non aliam: similiter vxor; sed mutuus amor, conuictus, mutua obsequia, & officia. Secundo, ad prolem spectat actus matrimonialis, educatio prolis, & vt alter sit altero cõtentus, quæ perficiuntur per gratiam; quia moderatur concupiscentia, iuuantur ad sanctè educandam prolem; ad implendas sedes cœli. Tertio, ad sacramentum idest ad inseparabilitatem, iuuantur eadem gratia. de his d. Tho. videndus est. In addit. q. 49. Sot. in 4. d. 31. q. 1. Candelabr. num. 51. ex his infertur, quòd contrahentes matrimonium debent esse benè dispositi. hæc autem dispositio consistit in quatuor: Prima, vt non habeant conscientiam peccati mortalis, & hoc est de præcepto; quia ponerent obijcem gratiæ sacramenti. confessio autem, & communio triduo ante consumationem quam suadet concilium Trid. sess. 24. cap. 1. est de consilio. sicuti etiam hortatur vt ante consumationem recipiant benedictionem à sacerdote. & quia hortatur, non esset peccatum mortale si secus fecerint. Secunda, dispositio est dirigere intentionem in societatem mutuam, in amorem religiosæ prolis, & in odium fornicationis. Tertia, est fidem habere tum erga Christum qui eos coniungit, tum erga maiestatem sacramenti, quod repræsentat vnionem Christi cum ecclesia. Quarta, est desiderium gratiæ huius sacramenti. de quo est videndum concilium Colon. Dices, An recipiens sacramentum hoc in peccato mortali priuetur semper effectu sacramentali. Resp. primo, de fide est, quòd

fine gratia contractum matrimonium est validum, si alia adsint; quia alijs in peccato mortali contractum esset iterandum. Secundo, quia fine effectu gratiæ confert vinculum indissolubile. qui quidem effectus non pendet à gratia; ergo &c. Secundo dico, probabile est hoc sacramentum sortiri suum effectum per subsequentem pœnitentiam; quia alioquin sequeretur, quòd contrahentes in peccato nunquam possent consequi gratiam huius sacramenti. prætereà, quia in alijs sacramentis hoc fit; ergo & in hoc.

Decimumquintum dubium. An carnalis cōtractio sit de integritate matrimonij. Resp. duplex integritas est in matrimonio, & in quauis alia re. vna quæ cōsistit in essentia rei, altera quæ attēditur penès operationē. Dico igitur, quòd actus matrimonij nō est de eius integritate primo modo; sed secūdo modo est de eius essentia. per illū enim perficitur, quia assequitur suū finem. quòd autem sit verū matrimoniū, & sacramentum fine copula, est de fide; & probatur ex cap. sufficiat. 27. q. 2. & can. matrimonium. ibid. ex Chrysost. quia matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Item quia B. Virgo contraxit verum matrimonium, quæ tamen mansit Virgo. can. supracit. quæst. 2. pulcra videnda sunt apud Sot. in 4. dist. *26.* quæst. 2. art. 3. D. Tho. in addit. quæst. 42. art. 4. Victor. quæst. 246. Candelabr. num. 27.

Decimumsextum dubium. Quęnam ætas requiratur ad matrimonium contrahendum? Resp. vide titulum de desponsatione impuberum. Candelabr. num. *69.* & sequ. Sylu. verb. matrim. 5. Nauar. cap. 22. num. 29. & infra cap. 5. dub. 16. in fine.

De his

De his quæ præcedunt matrimonium: idest de sponsalibus. Cap. II.



PRimũ dubiũ. Quid sunt sponsalia. Resp. sunt *promissio mutua futuri matrimonij*. C. nostrates. 30. q. 5. & l. sponsalia. ff. de sponsalibus. dixi *promissio*, quia solum propositum, aut voluntas contrahendi nõ faceret sponsalia, sed requiritur obligatio, & promissio, sicut & in voto. quæ promissio debet esse externa; in quo differt à voto, non tamen est necesse vt fiat verbis, & multo minus est necessaria stipulatio. argumentum in cap. literarum. de voto. Victor. q. 257. qui non est audiendus cum dicit requiri stipulationem; sufficit enim mutuus consensus, qui tamen includat obligationem. vt tenet Palud. in 4. d. 27. q. 1. art. 1. similiter nec arrha, nec iuramentum sunt necessaria. licèt illis firmiora fiant sponsalia illa quæ contrahuntur per verba de præsenti. quæ propriè sunt matrimonium ratum. Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 1. concl. 1. dixi *mutua*, quia requiritur reciprocus consensus; nam si quis promittit, & non recipiat eandem obligationem, non sunt sponsalia, vt notat Couar. in epit. in 4. decret. p. 1. cap. 1. num. 1. quamuis ex vi promissionis qui promisit, tenetur stare promissis. hinc sequitur, quòd licèt promissio alterius partis sufficiat ad facienda sponsalia, nisi altera quoque pars tacitè, vel expressè idem alteri promittat. Nauar. cap. 22. num. 25. Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 1. concl. 1. Anton. 3. p. cap. 18. & est communis. Dixi *de futuro matrimonio*, quia in hoc differunt sponsalia à matrimonio rato; quod fit per verba de præsenti. Sot. & Couar. supra num. 3. hinc infertur, quòd violatio sponsæ alterius de futuro, non est adulterium; Couar. supra. num. 8. Felin. de sponsal. in principio. & glos. can. quidam desponsauit. 27. q. 2. d. Tho. 22. q. 154. art. 8. vbi docet quid sit adulterium & l. ad legem Iuliam. de adult. esset tamen circunstantia aperienda in confessione; quia notabiliter aggrauat. quicquid dicat Couar. supra. cap. 1. num. 13. Infertur secundo, quòd sponsus occidens clericum cum sponsa de futuro inuentum, non

excu-

excusatur ab excommunicatione; quia non est maritus, qui tantum excipitur cap. si verò, il primo, de sent. excomm. & ibi glos. quicquid dicat Couar. supra num. 12, vide Sylu. verb. matrimonium. 1. q. vlt. & verb. sponsalia. q. 1. Panor. in rubr. de sponsal. Infertur vlt. impropriè dici sponsalia donaria, & munera, quæ à sponso dantur sponsæ. Couar. cap. 1. num. 2. & sic sumitur 1. Reg. 18. & l. 1. C. de nupt. ex rescrip.

Secundum dubium. Vnde dicuntur sponsalia. & quotuplicia sunt. Resp. primo, sponsalia dicta sunt à spondendo, eoquòd esset mos apud antiquos stipulari, & spondere sibi vxores futuras. l. 2. ff. de sponsalibus. Vel sponsores, ac fideiussores in hoc habere. Aulus Gell. l. 4. cap. 4. Tripliciter autem vsurpatur hoc nomen: aliquando pro muneribus, vel alijs rebus pertinentibus ad rationem matrimonij. 2. Reg. 18. *non habet Rex sponsalia necesse, &c.* aliquando pro ipso matrimonio rato, & non consumato. & sic coniuges ante matrimonium consumatum vocantur sponsæ, qua ratione Orig. 27. q. 2. dicit B. Virginem non esse vxorem Ioseph, licèt dicatur. quod nisi ita intelligatur, falsissimum est, & ista solent vocari sæpe sponsalia de præsenti. Aliquando sumitur hoc nomen pro ipsa promissione futuri matrimonij, & ad explicationem, & ad tollendam æquiuocationem, solent addere sponsalia de futuro. Secundo dico, quædam sponsalia sunt absoluta, quædam conditionalia; & illa aliquando nudè fiunt; vt, ducam te in coniugem; aliquando cum iuramento; aliquando cum aliqua interpositione arrhæ, vel pœnæ, est autem arrha, pignus in confirmationem datæ fidei. Item, sponsalia aliqua sunt certa, vt cum vnus vni dat fidem. aliqua incerta, vt cum quis promittit ex tribus filiabus se ducturum vnam. Item quædam sunt sponsalia in rigore; quædam ex interpretatione iuris, sicuti sunt illa quæ fiunt ante legitimam ætatem matrimonij per verba de præsenti. Dico tertio, triplicem esse præcipuum effectum sponsaliorum. Primus, est obligatio ad futurum matrimonium. Secundus, est impedimentum publicæ honestatis, de quo infra. Tertius, habebat locum ante Tridentinum, & nunc habet, vbi illud decretum Tridentini non obligat. nempe, quòd sponsalia accedente consumatione cum affectu maritali, transirent in verum matrimonium.

Tertium dubium. An sponsalia quæ incerta sunt, debeant in-

in rigore vocari sponsalia. Resp. aliqui tenent esse propriè sponsalia. Panorm. C. ex literis. de sponsal. & Hostiens. contrarium tenent ibid. glos. Ioannes Andr. & alij iuristæ. cum quibus concl. probatur ex sponsalibus validis, & veris sequitur impedimentum publicæ honestatis. Trid. sess. 24. cap. 3. sed ex his incertis non sequitur: vt expressè definiuit Bonif. viij. C. finali. de sponsal. in 6. Neque obstat, quòd videatur definitio sponsaliorum competere his sponsalibus; quia intelligo de promissione certa, & determinata. Neque obstat, quòd qui promisit, maneat obligatus; quia illa obligatio potest nasci ex vi promissionis, etiam si non sint in rigore sponsalia.

Quartum dubium. An sponsalia conditionata sint in rigore sponsalia. Resp. negatiuè, ex cap. finali. de sponsal. in 6. sed tantum dicuntur sponsalia conditionata, nisi post conditionem. ex eod. cap. vbi vtrunque dicit. & nisi sequatur conditio apposita, irritantur. & ex illis non oritur impedimentum publicæ honestatis ante conditionem exstantem. cap. vnico. §. 2. de sponsal. in 6. peccaret tamen mortaliter qui contraheret cum alia ante aduentum conditionis; quia cum conditio est honesta, tenetur. Non nego tamen quòd accedente copula ante conditionem impletam ante Trid. & vbi illud decretum non esset acceptatum, transire in matrimonium; quia ex hoc intelliguntur iam nolle illam cõditionem. C. de illis. & C. per tuas. de conditionibus appositis. non nego etiam quòd qui sic promisit, tenetur expectare conditionem. Dices, quanto tempore? Resp. quantum moraliter arbitrio prudentis requiritur ad implendam conditionem; quo elapso non tenetur amplius, nisi de nouo ratificarent. Dices, an qui promisit sub conditione, teneatur procurare vt adimpleatur conditio? Resp. negatiuè, nisi se ad id obligauerit. non enim est eadem ratio hic; quæ est de voto illo quod quis adimplere non potest sine alterius consensu, in quo tenetur quærere consensum illius. Dices, si pater prius consensit, & postea dissentit, quid agendũ? Respondet Sot. in 4. d. 29. q. 2. art. 3. esse standum primæ; quia filius se obligauit. Quid si taceat pater? Resp. si taciturnitas ex signis alijs indicaret approbationem, valeret. si dissentire ostenderet, non valeret. si verò res est dubia, respondet Nauar. cap. 22. num. 63. esse valida. ego dicerem, si conditio fuit non repugnante patre, verum est quòd dicit Nau. si verò fuit con-

sen-

sentiente, videtur maius quid riquiri. Dices, an sponsalia conditionata dissoluantur per sponsalia absoluta contracta, cum alia antequam impleatur conditio. Resp. affirmatiuè, quia talia non sunt sponsalia ante aduentum conditionis. vt patet ex dictis.

Quintum dubium. An sint sponsalia quando quis dicit fœminæ, non accipiam aliam vxorem, nisi te? Resp. alij dicunt esse vera sponsalia. alij negant. ego dico, sensum horum verborum esse duplicem; cùm enim verba sint ambigua, est distinguendum. primus sensus est conditionalis, si aliquam duxero, te ducam. & tunc non obligatur ad illam ducendam, si nullam velit ducere. alter sensus est, nullam aliam ducam, sed te. & tunc essent absoluta, & vera sponsalia. & quidem si in rigore loquamur, videntur verba illa facere priorem sensum. & ita loquitur Sot. & Nauar. Sed quia in his sæpe attenditur intentio loquentis, seu contrahentium, certum est quòd in conscientia sine consensu sunt nulla. in foro autem exteriori aliter est procedendum. Sylu. verb. matrimonium. 2. q. 10. Angel. eod. §. 12. Sot. in 4. d. 19. q. 2. art. 2. Palud. d. 27. q. 1. Adrian. de matrim. dub. 12. Dices, quid in vtroque foro agendum est cùm verba sint dubia ita vt non possint discerni an sint de præsenti, vel de futuro. Resp. tunc recurrendum erit ad communem acceptionem, & intelligentiam. cap. ex literis, il primo. de sponsalibus. Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 1. Angel. verb. matrim. 2. §. 7. Sylu. eod. q. 9. Couar. decret. 4. p. 1. cap. 3.

Sextum dubium. si quis promittat duabus sororibus vnam illarum ducturum, & illæ respondeant se illum velle in sponsum, an talia sint vera sponsalia? Resp. negatiuè, glos. cap. ex literis, il secondo. de sponsalibus. & Ioannes Andr. probatur, quia ad sponsalia requiritur promissio certa vnius ad vnam. & ita tenendum est, quicquid dicat Sylu. verb. matrim. 2. cap. 11. Couar. cap. 4. §. 1. num. 17.

Septimum dubium. An sponsalia contracta à parentibus pro filijs, sint vera, & legitima. Resp. negatiuè, quia est expressa prohibitio in iure. cap. 2. de desponsf. impub. & cap. vnico §. fin. tit. eod. in 6. Sylu. verb. sponsalia. q. 2. Tab. eod. q. 2. nisi interueniat consensus tacitus, vel expressus suorum filiorum, vel in casu grauissimæ necessitatis, qui rarò occurrit, nisi inter viros illustres. Dices, si filij teneantur seruare sponsalia

quæ

quæ fecerunt parentes. Resp. non teneri nisi de quadam æquitate, in casu quo filii volunt contrahere matrimonium. neque adest legitima causa dissentiendi à parentibus.

Octauum dubium. An sponsalia possint contrahi per procuratores, per literas, per internuncium. Resp. affirmatiuè, nã matrimonium per procuratores est verum, & validum; ergo multo magis sponsalia, quæ non sunt sacramentum, neque gratiam conferunt; licèt aliqui id dixerint, ratione noti sacramenti, vt patet ex dictis. & ex l. sufficit. & l. fin. ff. de sponsalibus. Dices, quid siquis postquam misit procuratorem, mutauit sententiam, & reuocetur mandatum? Resp. certum est sponsalia esse nulla à parte rei. & est sententia communis in vtroque foro. Sylu. verb. sponsalia. q. 2. §. 4. Anton. 3. p. cap. 1. §. 18. Palud. in 4. d. 27. q. 1. art 2. Secundo dico, iste tenetur seruare quod procurator nomine suo fecit. ratio est, quia etiamsi verè sponsalia non sint, tamen ius naturæ obligat illum vt seruet quod per procuratorem fecit. Tertio dico, si procurator sciuit voluntatem eius mutatam esse, & tamen fecit, ille non tenetur seruare.

Nonum dubium. An sponsalia clandestina sint valida. Resp. esse valida; nec esse irritata à concilio Trid. & statuit sacra congregatio concilij. quare non est necesse fieri coram parocho, & testibus, vt statuit eadem congregatio; & refert Nauar. cap. 20. num. 144. addo tamen peccare mortaliter sic contrahentes. Sylu. verb. matrimonium. 6. q. 7. §. 5. Caiet. verb. sponsalia. Panorm. cap. cum inhibitio. de clãdest. desponſ. & probatur tum ex scandalis, & incommodis quæ inde sequi solent; tum quia est contra ecclesiæ consuetudinem. Dices; an quando excommunicantur contrahentes matrimonium clandestinum, comprehendantur etiam sic contrahentes sponsalia? Resp. negatiuè; quia sponsalia non sunt matrimonium, vt patet ex dictis. Nauar. cap. 27. num. 141. Couar. epist. 4. p. 2. cap. 1. num. 3.

Decimum dubium. Primo, An qui sponsalia inierunt, tenẽatur stare promissis sub peccato mortali. Resp. affirmatiuè; Secundo licèt nõ teneantur ad solutionem pœnæ, siqua fortè apposita sit in illo contractu. Tertio, in vno tamen casu licebit à promissione recedere etiam sine causa, videlicet quando facta sunt spõsalia ante pubertatẽ, & ueniẽs ad pubertatẽ, reclamat.

Quarto, ecclesia vero non solet, nec debet cogere istos ad contrahendum matrimonium. Probatur primum, quia omnis promissio voluntaria, & deliberata, (præsertim rei grauis) de iure naturæ obligat sub peccato mortali; nam alioqui conuictus humanus, & politicus periret. Secundum, quia est prohibitum in iure apponere pœnam in sponsalibus. & pœnam appositam ius inualidat. C. gemma. de sponsalibus. & l. finali. C. de sponsalibus. ratio est, propter libertatem matrimonij. non tamen per hoc, ius reprobat quin arrhæ possint dari etiam cum conditione, quòd perdantur illi quem pœnitet contractus. Dices; nonne hoc etiam est pœna? fateor. sed hoc ius concedit; illud non. & ratio disparitatis est; quia homines sunt magis considerati in arrhis dandis de præsenti, quàm in appositione pœnæ de futuro. Tertium probatur, in quo aliqui tenent solum in foro exteriori id valere. gloss. C. de illis. de sponsi. inpub. & Carthus. in 4. d. 27. q. 3. propter hãc rationem, quia obseruatio promissi est de iure naturæ, cui ius positiuum non potest præiudicare. Alij verò tenent in quolibet foro id licitum esse, & talia sponsalia reclamante eo qui venit ad pubertatem, esse inualida. hanc videntur tenere communiter doctores; qui dicunt hunc vnum esse vsum in quo dissoluuntur sponsalia. & non distinguunt de foro interiori, & exteriori; & hoc teneo. & probatur C. de illis. & à nobis. & attestationes. de despon. impub. & expressè dicunt in tali casu dissolui sponsalia. nec distinguũt de foro; ergo in omni foro sunt inualida. Cõfirmatur; quia si id noluisset dicere, debuisset alio modo loqui; vt videlicet nõ sunt cogendi. aut similí. Itẽ, quia aliàs ecclesia videretur dare occasionem peccandi; quia cùm cõcedat hæc sponsalia esse inualida in fauorem reclamantis, si alter reclamando peccaret, videretur ei data occasio. Item, ecclesia iustis de causis dissoluit hæc sponsalia in hoc casu; nempe propter libertatem matrimonij vt habeat bonos exitus, & in fauorem puerorum qui non sunt tanti iudicij. & eædem causæ quæ mouerunt ecclesiam, possunt excusare à peccato istum quem pœnituit, &c. Neque obstat ius naturæ; quia ex eodem iure naturæ nascitur hoc priuilegium, quod dicimus. Ille verò qui promisit saltem implicitè, non intellexit præiudicare sibi in his quæ possunt sibi secundum ius naturæ concedi. Confirmatur; quia idem est de contractu quem facit pupillus minor ætate cum maiori. nam licèt ille contra-

ctus

ctus teneat ex parte maioris, potest tamen rescindi ex parte minoris. Contraria tamen sententia probabilis est, & tutior. Quartum probatur, ex C. requisiuit: vbi id expressè habetur; & ratio est, quia matrimonia debent habere magnam libertatem, & ista sic coacta non haberent bonos exitus. Vnde ecclesia licet aduertat illum peccare non stando promissis, & mereri pœnam, tamen non vult cogere. Confessarius tamen non debet hunc absoluere. Intelligo conclusionem quando ecclesia aduerteret esse periculum cogendo illum ad matrimonium. nam si non esset periculum, non video cur non possit moderata aliqua compulsio adhiberi. præsertim quando sunt iurata sponsalia.

Vndecimum dubium. Quinam possint contrahere sponsalia. Resp. q quicunq; possunt contrahere matrimonium, possunt contrahere sponsalia. cap. præterea. de officio deleg. & docet Sylu. verbo sponsalia. quæst. 2. Secundò, pueri ante annum pubertatis possunt contrahere sponsalia (vt patebit) qui tamē contrahere non possunt matrimonium. Tertio dico, sponsalia conditionata possunt contrahi cum infidelibus, ea conditione, si fiant Christiani. Idem dicas de factis cum consanguinea cum ea conditione, si Papa dispensauerit. Adrian. de matrim. dub. 10. Couar. cap. 3. in principio. num. 40. quia talis conditio non est impossibilis; ergo &c. quicquid dicat in contrarium Sylu. verb. matrim. 3. q. 9.

Duodecimum dubium. Quænam ætas requiratur ad contrahendum sponsalia. & an ante illam contracta, sint valida. Resp. Primo, ad sponsalia contrahenda requiri septennium in vtrisque, tam in masculo, quàm in fœmina. ex cap. literas. cap. accessit. cap. ad dissoluendum. de despons. impub. & cap. vnico. tit. eod. in 6. & l. in sponsalibus. ff. de sponsal. & est communis sententia. quia tunc præsumitur in illis esse tantum vsum rationis vt intelligant quid faciant. Secundo dico; quòd quamuis ante septennium sponsalia non possint contrahi absque peccato, si tamen fiant, & malitia suppleat ætatem, puto esse valida, & inde oriri impedimentum publicæ honestatis. est opinio d. Tho. in 4. d. 27. q. 2. art. 2. & in addit. q. 43. art. 2. ad 7. Palud. d. 27. q. 2. art. 2. ad 3. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 18. §. 1. Couar. in epit. 4. p. 1. cap. 2. num. 3. Nauar. cap. 22. num. 29. Sylu. verb. sponsalia. q. 2. art. 3. explico; certum est in iure esse statutum

tempus septennij pro sponsalibus, sed est dubium, quid si de facto non seruetur, an sint valida sicut dicitur de matrimonio. Dixi si malitia suppleat ætatem, idest si adsit vsus rationis, quia sine hoc non tenent sponsalia etiam post septennium. Sunt qui negant talia sponsalia esse valida; inter quos sunt Riccard. in 4. d. 26. circa tertium principale. q. 1. Panor. C. Iuuenis. de sponsal. & idem dicunt de his sponsalibus, quod dicitur de professione religiosorum ante annum 16. Trid. sess. 25. cap. 15. affirmant esse valida. D. Tho. in addit. q. 43. art. 2. ad 3. Ledes. ibid. Syl. verb. sponsalia. q. 2. Couar. 1. p. cap. 2. num. 1. & hanc tenet conc. nostra. & probatur tum ex supradictis tum etiam quia in matrimonio malitia supplet ætatem, ergo multo magis in sponsalibus. Neque obstat cap. literas. & caput accessit. de despons. imbub. in quibus dicitur quòd per sponsalia facta ante septennium non debet dissolui matrimonium factum cum matre eiusdem puellæ; quia hæc & similia capita videntur loqui in foro exteriori, in quo non videtur fuisse vsus rationis ante septennium. Item probatur, ex his sequi impedimentum publicæ honestatis. tum quia illa sponsalia sunt valida. tum quia Trid. absolutè loquitur ex validis sponsalibus sequi impedimentum publicæ honestatis. tum etiam quia videtur id apertè colligi ex cap. iuuenis. de sponsalibus. vbi Eugenius definit eum qui duxerat puellam nondum septennem esse separandum à consobrina eiusdem cum qua secundò contraxerat. Dices, quantum sit illud parum quod remitti potest de septennio. Resp. d. Tho. dicit à quibusdam determinari sex mensium. Sed meliùs vt determinetur secundum conditionem contrahentis, plus minus. quia in quibusdam magis accelerat vsus rationis, quàm in alijs; ergo &c. Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. ad 3. Dices, An in foro exteriori satis sit inchoato septimo anno? Resp. negatiuè, vt exponit Couar. ex cap. literas. de sponsal. impuber. num. 2. dicit tamen esse satis inchoasse vltimum diem in septennio.

Decimumtertium dubium. Quis est effectus sponsaliorum. Resp. est mutua obligatio contrahendi matrimonium sub peccato mortali, nisi sit legitimum impedimentum. probatur ex cap. 1. de sponsa duorum. & cap. ex literis. de sponsalibus. & ex communi sententia. d. Tho. in addit. q. 43. art. 1. ad 2. Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 5. Sylu. verb. sponsalia. q. 4. & aliorum. idque verum

rum

rum est tam de sponsalibus, quàm de iuratis. Dices, an sint compellendi in foro exteriori ad contrahendum? Resp. quòd si nullum periculum, vel scandalum immineat, sunt compellendi.cap.ex literis.de sponsal. si autem timeatur periculum, vt vxoricidium &c. non sunt compellendi; quia talia matrimonia solent habere malum exitum. possunt enim hi cedere iuri suo.excipiuntur sponsalia impuberum;hæc enim ante annos pubertatis non dissoluuntur eorum consensu. cap. de illis *il primo*.de despons.impub.& ibi glosa.

Decimumquartum dubium. Quæ sunt causæ dissoluendi sponsalia.Resp.prima causa est,si timeatur periculum vxoricidij vel aliud scandalum,vt dictum est dubio præcedente.Secunda causa,religionis ingressus alterius sponsi.cap. veniens, qui cler. vel voueat. & est communis sententia. & probatur; quia si matrimonium non consumatum dissoluitur per hoc, vt dicitur in cap.contra.& cap. ex publico. de conuersione coniugatorum;multo magis valebit in sponsalibus.Dices primo, An id etiam valeat in sponsalibus iuratis.Resp.affirmatiuè,secluso scandalo. Palud. in 4. d. 27.q.1.art.3.cas.5.& d.28.q.1. art.3.Sot.d.27.q.2.art.1.& l.7.de iust.q.1.art.3. Sylu.verb. iuramento.3.q.5.Couar.in epit.4.p.1.cap.5.num.11.Panorm.& Glos.in cap.cum ipsum.de sponsal.quamuis ibid. alij contra sentiant. & est Scot. in 4. d. 30.q.2.art.2.& deducitur ex cap. peruenit.*il secondo*.de iureiur.& cap.2.de voto.probatur,quia non frangit iuramentum qui in melius commutat. dicto cap. peruenit.Item quia in tali iuramento intelligitur conditio,nisi prius moriatur ciuiliter, quod fit per ingressum religionis; ergo &c. Neque obstat caput commissum.de sponsalibus. vbi dicitur esse tutius priùs contrahere, & postea in religionem intrare. nam Resp.primo,vulgi dictum est, quòd putasset tunc violatum esse iuramentum.sic interpretatur Panorm.gloss.Palud.Sylu.& Sot.supra. Secundo dici potest, quòd ille volebat diutiùs protrahere tempus, & non statim ingredi; ideo illi iniunctum est vt priùs contraheret; ita Couar.supra.Palud.dist. 27.q.1.art.3.& alij.Dices secundo, An ad dissoluenda sponsalia satis sit ingredi religionem,an verò sit expectanda professio in eo qui ingressus est.Resp.aliqui dicunt requiri professionem.ita Palud.supra.Riccard.in 4.d.27.q.2.art.2. Couar. nu. 11.cit.Oppositum tenet. Maior in 4.d.27.q.5.Sylu.verb sponsalia

falia.q.10.§.2.Nauar.cap.22.num.36.Sot.d.27.q.2.art.5. potest autem vtraque sententia conciliari iuxta Gabr.in 4.d.27.q.2.art.2.casu 6.quòd respectu illius qui ingreditur non tollitur obligatio vsque ad professionem; sed respectu eius qui remanet in seculo satis est ingressus vt absoluatur ab obligatione sponsalium, cum iam fuerit relictus. & ita tenendum est. Tertia causa, est communis vtriusque consensus.cap.2. de sponsalibus. ratio est, quia in omni contractu id est verum, & per quas causas aliquid contrahitur, per easdem potest dissolui.& addo, quòd etiamsi aliquis iurasset alteri, se intuitu Dei, & ex charitate ducturum illam, potest altera remittere iuramentum. si autem indeterminatè iurasset aliquam ducere, tunc non satis esset si vna tantum remitteret. sicut est de illo qui vouit religionem indeterminatè. ab ista causa est vna exceptio, quando scil cet impuberes contraxerunt: nam isti ante pubertatem etiam de communi consensu non possunt soluere sponsalia.& patet in cap.de illis.de desponf. impub.ratio huius est, propter leuitatem puerorum. Quarta causa, est votum castitatis factum ante sponsalia.cap.rursus.qui clerici, vel vouentes. Nauar. cap. 22. num. 17. Sylu.verb.sponsalia.q.7.& est communis. De voto verò emisso post sponsalia, Resp. si votum fiat animo vel religionem, vel sacros ordines suscipiendi, certum est licere. & tunc sponsalia dissoluerentur per mutationem dicti status religionis. Sylu.q.7.cit. intellige, nisi absolutè impetrasset dispensationem; quia tunc teneretur stare promissis. si verò vouit animo permanendi in seculo, sunt duæ sententiæ; vna est, quòd dirimantur sponsalia, quia est votum licitum; cùm sit de meliori bono. Sot.in 4.d.27.q.2.art.5.cas.1. Angel. verb. sponsalia. §. 40. Ioannes Andr. cap.de illis.de despons. impub.Riccard.in 4.d.27.art.3.q.4.cas.10.& alij. Altera sententia est; talia sponsalia non dirimi per subsequens votum castitatis sine licentia alterius. Palud.in 4.d.27.q.1.art.3.cas. 5.Anton. 3. p. tit. 1. cap.18.§.2.Tab.verb.sponsalia.q.10.Armill.eod.§.11.Sylu.q.7.Nauar.cap.22.num.27. ratio est, quia alter non potest vouere in præiudicium alterius. Pro solutione dico primò, sponsus qui non vouit, potest liberè alteri nubere; quia alter vouendo videtur renunciasse sponsalibus. Sylu.ibid. & alij. Secundo dico, licitum esse vtrisque sponsis post sponsalia vouere castitatem; quia est maius bonum. neque obstat,

quòd

quòd fit in præiudicium alterius; nam semper intelliguntur fieri sub conditione, ne scilicet impediatur maius bonum. Tertio dico, quòd qui vouit castitatem post sponsalia, potest seruare suum votum in seculo; nec tenetur in conscientia ingredi religionem, quod sequitur ex dictis. Dices, quid si talis dum vouit, non cogitauit an illum esset obseruaturus in seculo, an in religione? Resp. eodem modo iuxta priorem sententiam. Dices præterea, an dissoluantur sponsalia per votum religionis præcedens? Resp. affirmatiuè. Nauar. cap. 21. de sponsal. n. 4. Quinta causa est, si post sponsalia interueniat inter sponsos aliqua affinitas in gradu prohibito. vt si alter ex illis cognouit carnaliter alterius consanguineam. cap. veniens; *il primo*. de eo qui cognouit consan. &c. Nauar. cap. 21. num. 27. Sot. supra. art. 3. cit. cas. 8. Palud. Anton. Riccard. supra. Sylu. q. 10. §. 10. & cap. si quis. 27. q. 2. vbi habetur, quòd si quis cognoscit fornicariè consanguineam sponsæ, non potest amplius contrahere cum sponsa propter affinitatem. & in hac causa sicut & in alijs similibus qui est in culpa quominus stetur sponsalibus, tenetur recompensare damnum, si quod inde ortum esset. Dissoluuntur etiam per superuenientem cognationem legalem, secundum omnes, de qua re infra. Verum circa affinitatem nota, quòd ante concilium Trid. talis affinitas contrahebatur vsque ad quartum gradum inclusiuè. post verò illud, secundum non excedit. vt patet sess. 24. cap. 4. de reform. matrim. Dices, quid si aliquis postquam contraxit sponsalia cum vna, contrahat denuò sponsalia cum consanguinea prioris sponsæ infra quartum gradum. Resp. post concil. Trid. cùm dicta sponsalia sint nulla, ex illis nullum sequitur impedimentum. Imo etiamsi essent valida, non orietur impedimentum, nisi intra primum gradum. sess. 24. cap. 3. de reform. matrim. sed ante concilium oriebatur impedimentum dummodo non essent sponsalia nulla ex defectu consensus, idque vsque ad quartum gradum; cap. 1. de sponsal. in 6. ideo secundum hoc ius, est maius dubium. dico tamen quòd nec secundum illud orietur ex dictis sponsalibus impedimentum publicæ honestatis quod dirimeret sponsalia præcedentia, sed solum sequentia. vt habetur dicto cap. 1. & docet Palud. in 4. d. 27. q. 1. art. 3. Sylu. eod. q. 10. Tab. eod. q. 9. Angel. eod. §. 35. ratio est, quia publica honestas inducta, non tollitur per posteriorem. Sexta

causa

causa est fornicatio siue sponsi, siue sponsæ. cap. quemadmodum. de iureiurando. & est communis sententia. Palud. in 4. d. 27. q. 1. art. 3. cas. 1. Riccard. art. 3. q. 4. d. Tho. in addit. q. 43. art. 3. ad 3. Sot. d. 27. q. 2. art. 5. cas. 7. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 18. §. 1. Sylu. verb. sponsalia. q. 10. §. 7. Tab. eod. §. 9. cas. 6. §. 8. Armill. eod. §. 11. Angel. eod. §. 29. Nauar. cap. 22. num. 27. Couar. epit. 4. §. 5. quod etiam intelligitur de fornicatione spirituali, idest de hæresi, & Apostasia. cap. non solum. & cap. iam nunc. 28. q. 1. hæc enim dirimunt sponsalia, vt docent doctores citati. Idem locum habet in sponso si fornicetur. Abbas dicto cap. quemadmodum. Nauar. Couar. & alij cit. Item hoc procedit etiam si sponsalia sint iurata. vt patet ex cap. quemadmodum cit. & notat Nauar. quia in iuramento intelligitur conditio, nisi contra fidem aliquid fecerit. Sed nota, quòd in potestate innocentis est sponsalia dirimere. vel alterum cogere ad contrahendum; Gabr. in 4. d. 27. q. 2. art. 2. cas. 1. Sot. Sylu. Abbas, Couar. & alij supra. quia aliàs nocens sequeretur commodum ex fornicatione. Dices primo, si quis post sponsalia secreta fornicatus est secretò cum alia, an possit sponsam nolentem cogere ad matrimonium? Resp. post pœnitentiam posse cogere; quia pœnæ huiusmodi quæ sunt in potestate partis, non incurruntur ipso facto. Caiet. tom. 1. opusculorum, tract. 31. resp. 4. Dices secundo, An possit obijcere alteri fornicationem qui etiam ipse est fornicatus. & similiter sponsa. Resp. non posse; sicut in matrimonio adulter non potest obijcere adulterium vxori; quia paria delicta mutua compensatione tolluntur. l. viro, atque vxore. ff. soluto matrimonio. & ita docet Palud. in 4. d. 27. q. 1. art. 3. casu 1. argumentum tex. cap. nihil iniquius. 32. q. 6. ex quo patet, quòd sponsus non potest dissoluere sponsalia ad fornicationem sponsæ, etiamsi ipse sit fornicatus. & similiter sicut de redditione debiti, & diuortio infra dicetur. Dices tertio, An si sponsa fuerit per vim ab alio cognita, possit propterea dimitti à sponso. Resp. affirmatiuè cum gloss. in dicto cap. quemadmodum. Couar. cap. 5. num. 2 Nauar. cap. 27. Sot. supra. & est communis. quamuis oppositum sentiant Anton. Tab. supra. & Armil. §. 12. ratio est; quia licèt sponsa vacet culpa, tamen ex parte sponsi est causa legitima dissolutionis; tum quia res non est in eodem statu quo fuit, sed est mutata; tum quia id cecidit in grauem infamiam ipsius

ipsius sponsi. Adde, quòd si id accidisset ante, non contraxisset cum illa. Dices quarto, Quid si fornicatio præcessisset sponsalia, & fuerat ignorata, nunc autem cognita? Distinguunt aliqui, si intellexit contrahere cum virgine, fornicatio præcedens ignorata dissoluit. si cum vidua, minimè. & hoc secundum confirmant ex cap. quemadmodum. de iureiur. vbi Innocentius III. dicit si quis iurauit ducere in vxorem, non potest illi obijcere illi præcedentem fornicationem sed subsequentem. Ita Anton. §. 1. cit. Palud. art. 5. cit. Sed alij respondent vniuersaliter, quæcunque illa putaretur mulier, siue Virgo, siue vidua, quòd præcedens fornicatio ignorata dissoluit sponsalia. ratio est, quia perinde est aliquid de nouo superuenire, ac esse præteritum, sed ignoratum. & hæc secunda sententia est vera, & communis. ratio est; quia ex hoc etiam sequitur maxima sponsi infamia, &c. & ad textum Innocentij, Resp. debere intelligi quando fornicatio præcedens probabiliter erat cognita, vel poterat cognosci. & non solum intelligo de muliere, sed etiam de viro fornicante. Addo tamen, quòd vna fornicatio post sponsalia in viro dissolueret, at non sic de præcedente si esset vna tantum. Septima causa est, cum alter ex sponsis qui contraxerunt sponsalia, contrahit deinde matrimonium cum alia per verba de præsenti, quamuis nondum sequuta sit copula; quia hoc fortius vinculum superueniens dirimit sponsalia, ita vt liberum sit alteri (si velit) cum altero contrahere. cap. si inter virum. de sponsal. & cap. 1. de sponsa duor. talis tamen peccaret mortaliter. D. Tho. in addit. q. 43. art. 3. Sot. supra art. 5. cit. Nauar. cap. 22. num. 26. Sylu. q. 10. §. 3. Tab. q. 9. §. 7. Couar. & alij supracit. Dices, An per secunda sponsalia dirimantur prima? Resp. negatiuè, etiamsi secunda essent iurata, sed non prima. cap. sicut. & cap. ex literis, *il secondo*. de sponsal. Sot. art. 4. supra. Sylu. verb. sponsalia. 4. 10. art. 3. Tab. eod. q. 6. Armill. eod. §. 7. Nauar. cap. 22. num. 26. esset tamen iniungenda pœna pro iniusto iuramento. Dices secundo, An sponsalia consumata per copulam sine affectu maritali dissoluantur per subsequens matrimonium de præsenti? Resp. affirmatiuè, quia talia etiam ante concilium Trid. non transibant in matrimonium. Nau. cap. 22. num. 28. Sylu. verb. matrimonium. 2. q. 15. Sot. in 4. d. 27. q. 7. art. 4. d. Tho. quodl. 5. art. 15. & alij. nunc autem post conci-

lium Trid. sess. 24. cap. 1, de reform. etiam si copula sit sequuta affectu maritali, sponsalia non transeunt in matrimonium; ideo semper per matrimonium de præsenti dissoluuntur; vt notat Nauar. cap. 22. num. 28. Dices tertio, Quid si posteriora sponsalia consumentur copula. Resp. ante concilium Trid. talia transibant in matrimonium si copula facta fuisset affectu maritali, alias non. Sot. art. 5. cit. Couar. cap. 4. num. 10. §. 1. & alij supra. Sed post concilium vbi seruatur decreta de clandestino matrimonio, non esset matrimonium. Nauar. cap. 25. num. 144. Dices vltimo, quid si priora sint conditionata? Resp. dissoluuntur per posteriora absoluta. vt dictum est supra, dubio 4. Octaua causa est, quando sponsalia facta sunt post septennium, sed ante annos pubertatis, & alter sponsorum veniens ad pubertatem reclamat, & non vult stare illis sponsalibus etiam sine alia causa; tunc ex priuilegio iuris quod datur puberibus, possunt dirimi. quod intelligo quando dissentit in ipso tempore pubertatis, non autem post. cap. Illis. *il primo* de despons. impuber. & docent communiter doctores. Sylu. verb. sponsalia. q. 10. §. 17. Angel. eod. §. 37. Nauar. cap. 22. num. 27. casu 6. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 18. §. 1. Palud. in d. 27. q. 1. art. 3. casu. 10. Ricard. ibid. art. 3. q. 4. Sot. d. 27. q. 2. art. 5. casu 3. Couar. e. pit. p. 1. cap. 5. §. 1. & alij. Nota primo, id habere locum etiam si sponsalia fuerint contracta à patre pro filia impubere. Neque obstat caput primum, de despons. impuber. Vbi dicitur, quod si filius datus fuerit à patre in matrimonium alicui dum esset impubes, debet illud implere cum ad pubertatem deuenerit. Resp. id de honestatis debito intelligi. gloss. ibid. & communiter doctores. Couar. epit. cit. p. 2. cap. 3. num. 5. Secundo nota, idem dicendum est quando impubes contraxit sponsalia cum pubere; nam impubes cum peruenerit ad pubertatem potest. Tertio, idem dicendum est de sponsalibus ex interpretatione iuris; quæ scilicet contracta sunt ab altero sponso impubere, in quo malitia non supplebat ætatem per verba de præsenti; hæc enim trãseunt in spõsalia de futuro. cap. 1. §. 1. de despons. impuber. in 6. quia etiam in hoc casu licet impubes teneatur stare sponsalibus altero volente, tamen impubes cum peruenerit ad ætatem, potest dissentire. Dices, quid si impubes cum peruenerit ad ætatem, consentiat matrimonio, an requiratur etiam nouus consensus alterius, scilicet puberis?

Resp.

Resp. affirmatiuè, vt patet ex dicto cap. 1. & notat Couar. dicto cap. 5. §. 1. num. 8. quicquid dicat Sylu. verb. matrim. 5. q. 8. ratio est; quia alioqui fieret matrimonium sine consensu, cùm primus ille non fuerit satis, ergo &c. Dices, An quando vterque sponsus impubes contraxit sponsalia, ille qui primò pubescit possit statim dissentire? Resp. gloss. in cap. de illis. de despons. impuber. dicit, quod tenetur expectare quousque alter pubescat. Oppositum tamen tenendum est cum Panorm. & præposit. eod. cap. 9. Couar. dicto §. 1. num. 2. & probatur; quia si ille potest dissentire cum alter venerit ad pubertatem, ergo etiam nunc poterit; imo secundum Couar. id debet; quia alias si ille expectaret, sponsalia essent firma. Idem tenent alij quos ille citat; & est communis. Dices secundò, An sine vlla causa etiam in foro interiori possint impuberes discedere à sponsalibus cum peruenerint ad pubertatem. Resp. affirmatiuè, cum Panorm. in dicto cap. de illis. num. 4. Sot. in 4. d. 27. q. 1. art. 5. cas. 3. Sylu. verb. sponsalia. q. 10. §. 12. Angel. Tab. & alij, locis cit. Neque oppositum voluit d. Tho. in addit. q. 43. art. 1. ad 2. vbi id saltem non negat. Vbi probatur ex cap. de illis. cit. iura enim volunt vt impubes cum peruenerint ad pubertatem tunc solum astringantur si non reclamauerint, alioquin astringantur homines ad consensum matrimonij antequam pollerent iudicio, quo possint vinculum matrimonij iudicare; quod est absurdum. ergo &c. Dices tertio, an liceat in dicto casu recedere à sponsalibus etiam iuratis? Resp. affirmatiuè; quia iuramentum sortitur naturam & conditionem rei cui adiungitur. argumentum cap. inter. §. possessiones. de rebus ecclesiæ alienand. qua de re Couar. in dicto cap. quamuis pactum. de pactis. in 6. p. 1. §. 4. num. 1. cum ergo sponsalia contracta ante pubertatem intelligantur cum hac conditione; vt licitum sit ab illis discedere adueniente pubertate, sequitur &c. Dices quarto, An id verum sit etiamsi impubes quando contraxit sponsalia fuerit proximus pubertati? Resp. affirmatiuè; nisi fortè tunc malitia suppleret ætatem; quia tunc perinde esset, ac si esset pubes. & idem fortè voluit Couar. cap. 5. cit. §. 1. num. 3. & 4. Neque obstat cap. quidam. de spons. vbi quidam qui ante pubertatem contraxerat sponsalia, iam factus pubes non permittitur dissentire. Resp. nam ille erat aptus matrimonio, quia in eo malitia supplebat ætatem; quod

patet.tum quia ibi nihil dicitur de aduenienté pubertate.tum quia is talis erat, vt compellendus esset ad contrahendum. quare textus non est contra nostram doctrinam. Nona causa est, cum sponsus discedit in longinquam aliquam regionem, seu terram. vt patet ex cap. de illis.de sponsalibus. vbi habetur licere mulieribus relictis, ad alia vota transire si discesserint viri ad alias regiones. D.Tho. in 4.d.27.q. 2. art. 3. ad 2. Palud. ibid. q.1.art. 3. casu 3. Riccard. art. 3. q. 4. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 18. §. 1. Sylu. verb. sponsalia. q. 10. §. 4. Nauar. cap. 27. q. 2. art. 5. casu 10. Couar. epit. 4. p. 1. cap. 3. num. 7. & alij communiter. Vbi nota tempus esse statutum à iure in hoc, l. 2. C. de sponsis. & l. 2, C. de repudio. nam si est discessus extra prouinciam, datur triennium. Si intra, biennium. quod tempus an in conscientia sit seruandum, dubitant doctores. Hostiens. dicto cap. & Sylu. verb. sponsalia. q. 10. respondent affirmatiuè, alij negant, vt Cardinalis in dicto cap. & Couar. Sot. Maior, & alij. & hanc puto esse probabiliorem sententiam; quia cap. de illis. absolutè loquitur. tum quia ex quo ille discessit nihil dicendo, videtur renunciasse sponsalia. tum etiam quia illud ius quod statuit illud tempus, hodie est purgatum à iure canonico in dicto cap. de illis. & docet Maior in 4.d.27.q.5.casu 10. Sot. dicto cap. 5. cit. Nauar. supra. & Couar. qui id benè deducit. Dices; An absens expectandus sit per aliquod tempus. resp. Sot. supra negat. vult enim licitum esse ei qui deseritur statim transire ad secundas nuptias; vt supra dictum est. Puto tamen, quòd tempus quod debet expectari statuendum sit autoritate iudicis ecclesiastici pro ratione circunstantiarum, & periculi, quod ex mora timeri posset. & docet d. Tho. art. 3. cit. Maior, & Nauar. supra qui addit, quòd licèt sponsus absit cum causa legitima. si tamen iudex præfiniuit illi tempus certum redeundi, & infra illud non redit, sponsalia possunt dissolui. cautè tamen, & non temerè vt monet Hostiens. in cap. de illis. Adde etiam superiora habere locum etiam si sponsalia iurata sint; vt patet ex cap. de illis. cit. vt docet ibi Panorm. & Nauar. num. 26. Sylu. dicta q. 10. §. 4. Nota secundo, quòd si sponsus discessisset cum licentia sponsæ, & cum ea conuenit de tempore reditus, certum est totum id temporis expectandum esse, vt notat Sot. supra. Nota denique, quòd qui sine iusta causa inuito, vel inscio alterius sponso discedit in regiones longinquas,

si intra

si intra opportunum tempus non potest inde redire, peccaret contra fidem sponsaliorum. Neque talis potest contrahere cum alia, nisi sciat sponsam relictam contraxisse matrimonium cum alio. vel alia ratione intelligat se liberatum esse ab obligatione, cum per solum discessum non fuerit liberatus, vt dictum est. Decima causa est, Quando sponsa non assignat dotem promissam. cap. de illis. de conditione apposita. Ita communiter doctores. Maior in 4. d. 27. q. 5. cas. 7. Sylu. verb. sponsalia. q. 10. §. 9. Tab. verb. dos. q. 8. Armill, eod. §. 10. Nauar. cap. 22. num. 27. cas. 12. Couar. epit. 4. p. 1. in principio. num. 4. Ioannes Andr. cap. de illis. & etiam si non promisisset dotem, adhuc tamen dissolueret sponsalia, si paupertas sit talis, vt non possit viuere pro statu suo. Idem dicendum est de qualibet conditione non seruata, vt notat Sylu. & nota, quòd habet locum etiam si sponsalia sint iurata, vt patet ex dicto cap. de illis. Item, quòd non refert an id contingat ob paupertatem sponsæ, vt tenet communis sententia; & probant Couar. Sylu. & Nauar. supra. Dices, quid si sponsa non promisit dotem, tempore autem sponsalium erat diues, & postea deuenit ad paupertatem? Resp. quòd potest sponsus discedere à sponsalibus; quia promissio, & iuramentum, intelligenda sunt rebus sic stantibus, & non mutatis. Ioannes Andr. in cap. de illis cit. Angel. verb. sponsalia. §. 33. Sylu. eod. q. 10. §. 9. Nauar. cap. 22. num. 27. cas. 12. Bart. in l. si constante. ff. solut. matrim. vbi dicit, quòd in eo casu sponsa videtur tacitè promittere omnia bona sua, quicquid in oppositum dicat Couar. cap. 5. cit. num. 1. & gloss. in cap. quemadmodum. de iureiur. Præterea idem dicendum est de sponso qui tempore sponsaliorum erat diues, sed postea superuenit ei tanta paupertas, vt dignitati sponsæ non videatur conuenire, potest legitimè sponsa intendere dissolutionem sponsaliorum, ratione dicta. Dices præterea, An sponsus sit cogendus stare sponsalibus quando sponsa quæ nihil promisit, non vult assignare dotem, cùm tamen sit diues. Resp. negatiuè, cum Baldo in cap. iurauit. de probationibus. limitatur, nisi sponsus sit satis. Dices; quia tunc ipsi imputandum esset, quòd sine pacto contraxerit. Ita Couar. in dicto cap. 5. num. 6. Vndecima causa est, quando terminus præfixus ad contrahendum matrimonium non sit contractum. ille per quē non stetit, solutus est ab obligatione. D. Tho. in 4. d. 27. q. 2. art.

3. ad

3.ad 3.& in addit.q.43.art.3.Sot.d.27.q.2.art.5.Sylu.verb. sponsalia.q.10.§.5.Angel.eod.§.27.Tab.q.9.in fine.Armill.§. 12.Nauar.cap.27.num.7.cas.22.Couar.epit.4.p.1.cap.5.num. 8.& alij communiter. Probatur ex cap.sicut ex literis.de sponsal.& ibi gloss. Nota primo, quòd si ille per quem non stetit quò minus matrimonium contraheretur de præsenti etiam post elapsum terminum velit illud contrahere, ille qui fuit in mora teneretur stare sponsalibus, eaque proficeri secundum omnes. Secundo nota, quòd dictum caput sicut ex literis. secundum omnes procedit quando terminus adiungitur sponsalibus ad limitandam obligationem, & ad eam restringendam, ita vt elapso termino spiret, tunc enim extinguitur obligatio; ille enim per quem stetit, tenetur de culpa. quod patet ex dicto cap. sicut. ex his quæ ibi adducit Couar. Tertio nota, quòd in dubio dictus terminus censetur adiectus restringendi causa obligationem. Sed vbi terminus adiungitur obligationi iam perfectæ, secus est; nam in hoc casu censendus est terminus potius adiectus ad solicitandum effectum obligationis, quàm ad ipsam obligationem extinguendam. ex quo infert Abbas in dicto cap. sicut ex literis. & accipitur ab Angel. Couar. Sylu.& alijs; quòd si contractis iam sponsalibus agatur de die nuptiarum, lapsus illius diei non liberat sponsum ab obligatione sponsionis, etiam si ipse eo die esset paratus contrahere matrimonium. atque hæ sunt præcipuæ causæ quibus sponsalia soluuntur. aliæ verò quæ solent assignari, ad præsentem regulam reducuntur. Duodecima causa; si post sponsalia contracta interueniat aliquis casus inopinatus, vel aliquid absurdum, quod si præcessisset, nulla ratione vel alter sponsus, vel vterque vellet esse contracta; tunc licitum est sponsalia dissoluere. est Maioris in 4.d.27.q.5.Sylu.verb.sponsalia.q.10.§.17. Nauar.cap.22.num.27.& aliorum. ratio est; quia intelliguntur sponsalia celebrata sub tali conditione, nisi videlicet superueniat aliquis casus inopinatus; alioqui matrimonia haberent infelicem exitum. Primo limitatur dicta regula, quando causa superueniens est talis, vt contrahentes iudicentur esse rationabiliter inuiti circa sponsalia. Si autem causa esset lenior, non essent dissoluenda; licèt sit eiusmodi vt si ille sciuisset, nunquam contraxisset. Secundo, id quod iudicabitur quando casus est par, vel maior his qui exprimuntur in iure-

tan-

tanquam sufficientes ad dissoluendum sponsalia, qualis esset fornicatio, morbus qui reddit sponsum, vel sponsam notabiliter deformem, vt abscissio nasi, vel oculi, vel qui prolem inficere potest; vt lepra, vel morbus gallicus, vel qui coniugem ad onera matrimonij subeunda reddat diutius ineptam, vt epilepsia, vel morbus comitialis, vel paralysis, &c. vt patet ex cap. quemadmodum. de iureiur. & cap. literas. de coniugio leprosorum. & docet Palud. supra. q. 1. art. 3. cas. 7. Riccard. art. 3. q. 4. Sot. d. 26. q. 2. art. 5. cas. 9. Sylu. q. 10. §. 6. Tab. q. 9. tex. 3. Angel. §. 28. Armill. §. 12. Antõ. 3. p. cap. 18. §. 1. Nau. cap. 22. n. 27. cas. 8. Tertio nota, quòd procedit etiam si sponsalia fuerint iurata. cap. quemadmodum. cit. Quarto nota, quòd secus esset si morbus vel alia deformitas praecesserit sponsalia, & fuerit cognita secundùm omnes. Quinto nota, quòd si morbus superueniens nihil aliud tollat nisi pulchritudinem, neque tamen reddat sponsam adeo deformem ac meritò debeat generare tædium sponso, non esset causa legitima ad dissoluenda sponsalia; vt Couar. epit. 4. p. 1. cap. 1. num. 6. Sexto, ex dictis infertur, inimicitiam superuenientem inter sponsos, esse legitimam causam dissoluendi sponsalia, vt docet Palud. Angel. §. 31. Sylu. Sot. & alij communiter locis cit. quia iudicarentur inuiti circa sponsalia, & infelix exitus matrimonij timeretur. Septimo, infertur esse etiam causam legitimam quando alter sponsus fieret furiosus, vel cognita sit sæuitia, seu morum asperitas alterius, secundum Panorm. in cap. veniens. qui clerici, vel vouentes. Angel. verb. sponsalia. §. 41. Nauar. cap. 22. num. 27. cas. 16. Sot. art. 5. cit. cas. 11. ratio est; quia censerentur inuiti. Octauo infertur, quòd fama canonici impedimenti inter spõsos, potest dirimere sponsalia, si tamen sit probabilis. ca. p. cum in tua. de spons. Sylu. q. 10. cas. 11. Nau. supra. cas. 13. Hostiens. & alij. restat nunc soluere sequens dubium.

Decimumquintum dubium. An quando adest aliqua ex supradictis causis, licitum sit propria autoritate discedere à sponsalibus; an verò sit expectandum iudicium ecclesiæ. Resp. d. Tho. in addit. q. 43. art. 3. tenet in duobus tantum casibus nõ requiri autoritatem iudicis, scilicet cum alter ingreditur religionem, vel contrahit matrimonium de præsenti. Pro solutione dico primo, si sponsalia sint occulta. & sponsus sit certus de sufficientia causæ, non esset necessaria sententia iudicis ad illa dissol-

la dissoluenda. Ita Riccard. in 4. d. 27. art. 3. q. 1. Palud. q. 1. art. 3. Sylu. verb. sponsalia. q. 11. Angel. §. 42. Tab. q. 9. Nauar. cap. 22. num. 28. Secundo dico, si quis in tali casu dubitaret de sufficientia causæ, non propterea teneretur adire iudicem ecclesiasticum, nisi quando nullus esset doctor quem posset consulere. Tertio dico, si sponsalia essent publica, & causa ad illa dissoluenda esset manifesta tam in se, quàm in sufficientia, non esset necessaria autoritas iudicis. est Riccard. Palud. Nauar. & aliorum supra. Quarto dico, cum Palud. idem dicendum esse quando sponsalia essent publica, & causa dissoluendi illa licèt sufficiens esset, tamen ita occulta, vt non posset probari in iudicio; vt de fornicatione, &c. Intellige tamen dummodo vitetur scandalum; quo quidem cessante, puto idem dicendum esse quando causa probari posset, non tamen deferri sine magno, & probabili damno deferentis. Quinto dico, si causa probari posset in iudicio, sed si deferatur, alter infamaretur, vel incurreret magnum detrimentum, tunc primò is monendus esset priuatim vt dissolutioni consentiat; deinde per parentes; vltimò per Prælati secretam admonitionem; & tandem si non consentiat, deferendum esset iudicio ecclesiastico. Sexto dico, quòd ad dissoluenda sponsalia impuberum quando alter iam pubes dissentit, requiritur sententia iudicis ecclesiastici. Nau. cap. 22. num. 27. cas. 6. & patet ex cap. de illis. *il primo*. de despons. impuber. quicquid dicat Sot. d. 27. q. 2. art. 5. cas. 3. quare si talis ante sententiam contraheret cum alio, peccaret mortaliter. Dices, An possit dari iuramentum sponso neganti sponsalia secreta? Resp. affirmatiuè, ex gloss. & Panorm. in cap. continebatur de spons. impub. & Felin. & Couar. in epit. p. 1. cap. 4. §. 1. Dices; Ad quid tenetur qui fictè promittit ducere puellam vt illam violet? Resp. tenetur in vtroque illam ducere, præsertim si iurauit. cap. 1. & cap. qualiter de pactis. Sylu. verb. luxuria. q. 5. Sot. in 4. d. 27. q. 1. art. 3. ex D. Tho. & Scot. intellige nisi essent valde impares genere, potentia, vel diuitijs, tunc enim deceptor teneretur illi aliter satisfacere, restituendo pristino statui vt potest per temporalia. Nauar. cap. 16. num. 18.

De

De causa efficiente matrimonium. idest de consensu. Cap. III.



PRimum dubium. An ad matrimonium contrahendum requiratur expressus consensus de præsenti coniugum. Resp. affirmatiuè. secundum enim legem ordinariam nullum matrimonium siue naturale, siue supernaturale potest fieri sine consensu expresso aliquo modo. probatur ex concil. Flor. & Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. vbi requirunt mutuum consensum. & ex cap. cum locum. & cap. tuæ. de sponsal. & cap. sufficit & cap. sic quippe. 27. q. 2. can. cum apud. de spons. l. nuptiæ. ff. de ritu nupt. & patet ratione; quia res vnius non potest transire in dominium alterius nisi vel cogente lege, vel ex ipsius domini consensu. l. qua ratione. ff. de acquirendo rerum domin. §. literæ. & alibi. Sot. in 4. d. 27. q. 1. art. 2. d. Tho. in addit. q. 48. art. 1. Victor. q. 246. vbi nota quòd non requiritur euidentia de consensu alterius, sed sufficit certitudo moralis ex coniecturis humanis sicut in reliquis sacramentis. Sot. in 4. d. 27. q. 1. art. 3. Victor. q. 246. patet secundo, quia in matrimonio traditur corpus ad perpetuam cohabitationem; sed hoc sine consensu fieri non potest. ex dictis infertur primo, nec furiosum, nec mente captum, nec ebrium posse contrahere matrimonium. cap. dilectus. de sponsal. intellige, si furor est continuus; nam si habet lucida interualla, eo tempore possunt contrahere. secundo infertur, quòd siue consensus sit virtualis, siue formalis, valet. Dices primo, an requiratur consensus formalis, & expressus in carnalem copulam? Resp. negatiuè, sed satis est illam implicitè, & in illo consensu contineri. Vgo l. 2. de sacram. & habetur can. B. Virgo. 23. q. 2. & can. matrimonium. ibid. Sot. supra. art. 2. concl. 4. ratio est; quia substantia matrimonij consistit in traditione mutua propriorum corporum, vt patet ex dictis. & hinc intelligitur quo modo B. Virgo non obstante conditionato proposito castitatis, contraxit verum matrimonium, & consentit copulæ committendo se diuinæ dispositioni; vt habetur can. B. Virgo, & ex-

& exponit Sot. art. 2. cit. postea tamen communi consensu ambo coniuges expresse voverunt castitatem: vt ibidem Ambr. August. Anselmus & alij communiter dicunt. Quòd consensus ad matrimonium contrahendum requiratur. vt sit expressus, probatur; tum quia matrimonium est sacramentum quod requirit aliquod signum sensibile; tum quia est contractus in quo differt à voto quod non opus est vt exprimatur exteriùs; quia fit Deo. Intelligo autem de lege ordinaria; nam crederem benè posse esse matrimonium si Deus reuelaret alteri coniugũ; quamuis Sot. d. 27. q. 1. art. 3. neget. Quod debeat ille consensus esse de præsenti, probatur; tũ ex concilio Flor. dicente, causam efficiẽtẽ matrimonij debere esse cõsensũ per verba de præsenti. & ex cap. si inter. de sponsal. & pater ratione, nã per verba de futuro fit tantũ promissio matrimonij, sed promissio nõ est matrimonium. Sed hic nota primo, de aliquibus certum est quòd sint matrimonia: vt si dicatur, accipio te in meam, vel in meum. Secundò, de aliquibus solet esse controuersia; vt si quis dicat, volo contrahere tecum. Panorm. in cap. ex literis de sponsalib. dicit esse sponsalia. Cardinalis ibid. dicit esse matrimonium. alij dicunt esse neutrum. Ego dico, ex vi verborum neutrum; sed esse considerandam intentionem loquentis. Similiter de illis verbis, habeo te in coniugem; vel ex nunc habeo te in coniugem, ego dicerem (quicquid alij sentiant) ex vi verborum esse matrimonium. Tertio, in rebus dubijs standum est iudicijs in foro exteriori, & in interiori, intentioni dicentis. Probatur nunc quòd quandocunque exprimatur iste consensus, satis est. ex cap. licet. de sponsa duorum. & cap. cum apud. sponsal. ratio est; quia consensus expressus facit matrimonium. exprimi autem potest varijs modis; quorum primus & præcipuus est per verba; & quamuis glosa in cap. tuæ. de sponsalib. dicat necessaria esse verba in ijs qui possunt loqui; tamen vel est exponenda de necessitate præcepti, non tamen de essentia matrimonij, & tunc est falsa, & adhuc non facilè condemnarem sub peccato mortali eos qui non exprimerent. Secundus modus, sunt aliqua signa per quæ exprimitur iste consensus; verbi gratia, si post sponsalia per verba de futuro consument matrimonium maritali affectu est signum matrimonij de præsenti. Dixi *maritali affectu*; quia sine illo esset fornicatio. Quid si quis dubitet an maritali affectu accesserit?

Resp.

Respondet Couar. credendum esse quòd sic accesserit nisi contraxisset postea matrimonium per verba de præsenti; nam in isto casu standum est secundo tanquam certiori. esset etiam signum si, postquam vnus dedit consensum per verba de præsenti, alius det anulum, est signum expressionis. Idem esset si, factis sponsalibus, quæ vocantur ex interpretatione iuris, adueniente legitimo tempore matrimonij, introducatur sponsa in domum solenniter, & cohabitent simul. Tertius modus sufficiens exprimendi consensum est, taciturnitas puellæ, vel alterius; cum pater, vel tutor, vel is ad quem pertinet loquuntur, ipsis tacentibus. quòd si nemo loqueretur, taciturnitas non esset consensus expressus, propter regulam iuris in sexto. is qui tacet, non fatetur; neque etiam negare videtur. Neque obstat alia regula proxima, *qui tacet consentire videtur*; nam hæc non habet locum quando agitur de obligatione inducenda. Item habet locum hæc regula, quando qui tacet tenetur non tacere. neque etiam sufficit si loquatur aliquis alius ad quem non pertinet; licèt Sot. 27. q. 1. art. 3. dicat valere in foro interiori. Dices, An aliqua autoritate humana fieri posset matrimonium sine consensu? Resp. negatiuè, tum quia nunquam ab initio mundi id legitur esse factum. tum quia ecclesia non potest separare matrimonia etiam coniugibus volentibus; ergo neque potest coniungere ipsis inuitis. tum denique quia finis vterque matrimonij impediretur. Dices vltimo, An de potentia Dei absoluta possit fieri matrimonium nolentibus coniugibus. Resp. quòd si matrimonium consideretur vt sacramentum, potest fieri; quia licèt intentio in quolibet sacramento sit necessaria, tamen non videtur esse de essentia. Si verò consideretur vt est in officium naturæ, tunc rursus distinguendum est; nam vel consideratur vt est contractus, & tunc implicat posse fieri sine consensu contrahentium. Si verò consideretur vt dicit coniunctionem duorum, sic potest fieri. ex dictis infertur primo, in matrimonio vt est sacramentum, esse de necessitate sacramenti vt consensus exprimatur alterius. & probatur ex definitione sacramenti; & ex concilio Flor. & Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. & est communis sententia. Secundo; non esse de necessitate sacramenti matrimonij exprimere consensum per verba sua, sed vel per nutum, vel aliter. est contra gloss. cap. tuæ fraternitati. de sponsal. & contra Scot. in

4.d.26.probatur ex concilio Flor. item ex cap. cum apud.de sponsal.vbi dicitur,satis esse signis declarare. Tertio, infertur verba esse necessaria necessitate præcepti ecclesiastici in his qui possunt loqui;probatur,quia in alijs sacramentis sunt certa verba;ergo & in hoc sacramento.cap.licet. de sponf. duor. & c ap. si inter virum. de sponsal. & hoc voluit Innoc. in cap. tuæ fraternitati.eod.d.Tho.in addit.q.35.art.5.Quarto infertur,quòd matrimonium requirit hanc manifestationem consensus,verbis,vel signo.Probatur ex dictis.& ex cap.1.de sponsa duor. & ex Trid. supra.& patet ex natura contractus. Candelabr.num.23.& sequent. Dices,quid si consensus manifestaretur per Deum tantum absolutè,& simpliciter, an satis esset ad matrimonium contrahendum?Resp.de potentia extraordinaria id non repugnat.

Secundum dubium.An obiectum huius consensus sit formaliter copula carnalis. Resp. negatiuè, nisi implicitè. Sed est traditio mutua corporum. Vnde præter ea quæ dicta sunt dubio præcedenti,obiectione prima, & supra cap.1.dub.15.inter B. Virginem, & Ioseph fuit verum matrimonium cum voto Virginitatis. nam copula carnalis non est de essentia matrimonij;ergo potest esse consensus matrimonij absque hoc consensu. dixi *nisi implicitè;* quia credo probabiliter virtualem aut implicitum consensum in copulam esse necessarium, idest vt si alter petat debitum, reddat; nec patet in ipso consensu aliquid quod repugnet huic.& est doctrina communis. Adriã. tract.de sponsal.q.9.d.Tho.in 4.d.28.q.4.ad 3. vbi dicit quòd si mulier dicat viro,consentio dummodo non me cognoscas, non est matrimonium.est Riccardi.d.ead.q.4.art.2.Bonau. q. vlt.Sot.d.29.q.2.art.3.quamuis Palud.d.30. q. 2. teneat non requiri nec virtualem quidem; vnde dicit esse matrimonium siquis ita dicat, accipio te sine obligatione accipiendi, vel reddendi debitum. probat, quia post matrimonium contractum possunt ita se obligare,& matrimonium durat; tum quia potest matrimonium esse in illum finem secundum, idest in conuictum domesticum,sine fine gignendi prolem.Hæc opinio Paludani non caret probabilitate, nec tamen idcirco sequor illam,quia communis opinio est in contrarium.Ad fundamentum eius, Resp.quòd post matrimonium factum valeret illa obligatio;quia possent se mutuò priuare vsu matrimonij. at si

fiat in ipso contractu, videtur repugnare. Ille autem finis secundarius matrimonij non est satis ad matrimonium si primus desit. Quòd autem fuerit verum matrimonium inter B. Virginem & Ioseph, probatur ex Matth. 1. & Luc. 1. vbi habetur, *cùm desponsata esset Maria Ioseph, &c.* & Matth. 2. vbi Maria dicitur côiux Ioseph. Secûdo probatur, ex communi doctrina sanctorum patrum; August. l. de bono coniugali. & habetur 27. q. 2. Ambr. l. 2. in Lucam. quòd si aliqui sancti videantur id negare, intelligendi sunt de matrimonio consumato.

Tertium dubium. An cum celebratur coniugium impræsentia parentum, fiat verum matrimonium per consensum parentum tacentibus coniugibus. Resp. affirmatiuè. Magist. in 4. d. 29. ex Vgon. Sot. d. 27. q. 1. art. 3. Candelabr. num. 39. & est communis. probatur ex cap. 1. de sponsal. & ratio est, quia ille parentum consensus cum taciturnitate coniugum habetur pro expresso consensu sensibili coniugum, cùm ita sit in communi modo loquendi vt supra diximus, dub. 1. vnde est vera forma sacramenti. Dices, quid si alij consentiant qui non sunt parentes, neque tutores, tacentibus coniugibus? Resp. negatiuè, cum Palud. d. 27. q. 2. art. 3. quia illi non habent ius consentiendi pro alijs. quare est diuersa ratio, quicquid dicat Sot. art. 3. cit. qui tenet in foro conscientiæ valere si sponsi consentiant. Candel. num. 39.

Quartum dubium. An matrimonium per procuratores contractum sit validum, & sacramentum. Resp. vt supra. cap. 1. dubio 12.

Quintum dubium. Quæ ætas requiratur ad matrimonium contrahendum. Resp. vt supra. cap. 1. dubio 16.

Sextum dubium. Si matrimonium in facie ecclesiæ contractum fuit nullum, propter aliquod impedimentum, an sit necessarius nouus consensus post cognitum impedimentum, & impetratam dispensationem; an verò sola cohabitatio sufficiat. Resp. requiri nouum consensum, sed sine præsentia parochi, & testium; vt declarauit Pius IIII. & docet Nauar. cap. 22. num. 70. & consil. 12. de sponsal. nec est satis cohabitatio, vel copula subsequens. Nauar. cap. 22. num. 47. & 48. §. 25. secundum Scot. & Innoc. gloss. cap. 1. de eo qui ducit, &c. Sot. d. 28. q. 1. art. 2. post 3. concl. sed oportet iterum secretò contrahere, etiam non expresso speciatim impedimento, & modus quo do-

cet

cet Nauar.cap.22.num.46.& Caiet.tom.1.opus.tract.12.q.2. & in summ.verb.matrimonium. Ita scilicet vt alter intellecta nullitate matrimonij, iterum matrimonio consentiat; quicquid in contrarium dicat Riccard. d. 29. q. 3. art.1.vbi dicit esse satis denuò supplere consensum quamuis inscia vxore; dummodo eius consensus adhuc duret. quam opinionem probabilem putat Palud. d.36.q.1.art.4.

Septimum dubium. An consensus exterior requirat interiorem. Resp. quòd in foro conscientiæ non est matrimonium cum deest consensus interior: etiamsi verum matrimonium reputetur in foro exteriori. probatur ex can. sufficiat. 27. q.2. ita Sot. in 4. d. 27. q. 1. art.3. Sylu.verb.matrimonium.4.q.1. Candelabr.num.4. quando verò dubitatur de consensu coniugum, quid agendum sit, dicam infra. Item quando dicit alter coniugum se nunquam consensisse, dicam etiam infra. Item de consensu coacto, Candelabr.num.56. videndum est.

Octauum dubium. An matrimonia contracta à filijs familiàs sine consensu parrum, sint valida. Resp. certa fide tenendum est esse valida, ex concilio Trid. sess. 24. cap. de reform. matrim. & est communis sententia doctorum. Sot. in 4.d.29. q. 1. art. 4. Victor. q.267. Filij etiam non tenentur quocunque modo obedire in hac re præceptis parentum, nisi quantum causa præcepti eos obligaret. omnino autem decentissimum est filios sine consensu parentum non contrahere. Probatur primo, Gen 26. Esau inuitis parentibus duxit vxores: filius Tobiæ etiam inscio patre ex consilio Angeli. Secundo, filij sunt liberæ conditionis. matrimonium autem est quodam genus seruitutis; ergo matrimonia non debent pendere ex consensu parentum. Tertio, fines matrimonij tres sunt; scilicet procreatio prolis, vitatio fornicationis, & mutuus conuictus; sed hi tres fines non benè procederent si penderent ex consensu parentum; tum quia gignere prolem est sine regimine patris. fornicatio etiam non benè vitaretur; nam fortè pater non concederet matrimnnium, vel differret. &c. tum quia pater posset dare aliquam exosam filio; & sic non esset mutuus amor inter eos. Quarto, filij inuitis parentibus possunt ingredi religionem; ergo ipsis non consentientibus possunt contrahere. Confirmatur; quia status, & vocatio, pendent à Deo, non à parentibus. Quinto, ex cap. tua. de despon. impub. est Honorij.

& cap.

& cap. de Neptis. 30. q. 2. est Hormistæ. & cap. si verum. ead. est Vrbani. vbi prohibetur parentibus ne cogant filios ad matrimonia. Petes, an ecclesia possit annullare matrimonia facta inuitis parentibus, vel prælatis. Resp. affirmatiuè, nam legitimare personas pertinet ad ecclesiam. sed quia fortè non est conueniens, ideo non facit.

Nonum dubium. An consensus coactus immediatè prouueniens ex metu cadente in constantem virum, irritum faciat matrimonium, non solum ecclesiastico iure, sed etiam diuino, ac naturali. Resp. affirmatiuè; explico, & suppono. Primo posse dari coactionem in voluntate, non quidem violentia absoluta, quæ est illa quæ infertur passo non inferente vim, hæc enim non potest cadere in voluntatem; sed mista, qualis est mercatoris projcientis merces; nam illa iactura ex vna parte est voluntaria; ex altera non. quæ coactio fit metu. est autem metus, trepidatio imminentis periculi. Secundo suppono, duplicem esse metum, quidam est cadens in constantem virum; alius est qui non cadit in eum, sed in timidos. ille vt sit talis, duo requirit; primum ex parte obiecti, vt sit malum grande, & maius illo quod fit, vt in exemplo mercatoris; nam si hoc non est, non esset talis metus; vt siquis ad euitandam mortem, peccaret. enumerantur autem quatuor mala grandia; mors, seruitus, verbera in libero, & stuprum in Virgine. d. Tho. in addit. q. 46. excludit infamiam. ego dicerem ad ista quatuor posse reduci alia similia; vt timor perpetui exilij, amissio bonorum omnium, & grauissima infamia. & expono d. Tho. loquutum de infamia leui. Secundum ex parte subiecti; vt rationabiliter timeat ille cui metus incutitur; nam non esset talis metus si puerum minitantem mortem timeremus; & hinc oritur, quòd ratione circunstantiarum idem posset esse metus cadens in constantem virum, & non cadens in alium. & intellige, hunc metum esse non solum ratione nostri, sed etiam aliorum qui ad nos pertinent. Tertio suppono, quòd hic metus dupliciter potest euenire. Primo ab intrinseco, vt siquis in infirmitate metu mortis contraheret cum concubina; & de hoc metu non intelligo; quia valet tunc matrimonium. Secundò ab extrinseco; & hoc rursum dupliciter intelligitur; aliquando enim infertur metus non ad eliciendum consensum matrimonij, sed tamen ex illo ego moueor vt contraham, verbi gratia vt

tia vt

tia, vt liberer à sententia condennationis latæ per iudicem, contraho cum meretrice. & hoc modo non intelligitur conclusio; certum enim est, quòd valet illud matrimonium. similiter valeret matrimonium si ego contraherem cum filia medici, vt ipse adhibeat maiorem diligentiam in ipsius cura. Secundus modus est, quando fit ad eliciendum illum cõsensum; & de hoc intelligitur conclusio, etiam si culpa sua ille se ingesserit in talem coactionem; vt si quis inuentus in stupro, cogatur contrahere ne occidatur, non valet; quia est metus coactus. probatur nunc illum consensum coactum, &c. irritum facere matrimonium; ex cap. cum locum. & cap. veniens. de sponsal. & ratio est; quia matrimonium requirit libertatem. Probatur nunc irritum facere non solum ecclesiastico iure, sed etiam diuino, & naturali. & hic sunt duæ opiniones: Prima dicit esse irritum iure diuino, & naturali. est Scot. in 4. d. 29. q. vnica. Gabr. ead. q. 1. art. 2. Couar. 2. p. cap. 3. §. 5. num. 6. Led. f. q. 49. art. 3. Secunda opinio dicit esse nullum solo iure ecclesiastico, sicut sunt nulla matrimonia clandestina nunc, & quæ fiunt inter gradus prohibitos. est Palud in 4. d. 29. q. 2. art. 2. Dur. ead. q. 2. art. 2. vtriusque Soti d. 29. q. 1. art. 3. de d. Thoma quid senserit, dubitant hi doctores. Vtraque opinio est magis probabilis, sed magis placet secunda. & probatur Primo, Matrimonium est magnum quodam vinculum perpetuum, & indissolubile; ergo de iure naturæ, & diuino videtur requirere magnam libertatem. Secundo, quia scriptura, & ius diuinum requirunt libertatem in matrimonijs; ergo vbi ista plena libertas deest, non videtur esse de iure diuino. Tertio, quia ius canonicum vbi annullat matrimonia coacta, non instituit aliquid noui, neque nouum decretum; ergo &c. Quarto, non obstat quòd alij contractus teneant; tum quia matrimonium requirit maiorem libertatem; tum etiam quia alij contractus etiamsi à principio sint validi, rescindi possunt. Nec obstat, quòd eadem ratio valeret quando quis esset coactus metu non cadente in constantem virum, quia coactio ex metu cadente in constantem virum ex natura rei tollit libertatem illam plenam. Sed alius metus ex vitio contrahentis, non valet; & tamen sunt aliqui qui tenent non esse validum matrimonium etiam si sit metus non cadens in constantem virum; quod ego non auderem dicere, tum quia est contra ius commune; tum etiam quia

quia esset hoc aperire ianuam ad dissoluenda multa matrimonia.

Decimum dubium. An metus reuerentialis annullet matrimonium. Resp. Ioannes igneus citatus à Couar. 2. p. cap. 3. §. 6. dicit tale matrimonium esse nullum. gloss. quædam in cap. præsens. 20. q. 3. dicit, matrimonium carnale non impediri hoc metu, sed spirituale, idest professionem in religione impediri. Couar. supracit. dicit, primum dictum glosæ esse verum. & citat in eandem sententiam Abbat. cap. veniens. de sponsal. Hostiens. & Imolam, sed adhibet vnam limitationem, nisi cum isto metu reuerentiali adsint minæ, & coactiones eius qui solet exequi quod minatur. Secundum dictum glosæ reprobat; quia par libertas est matrimonij carnalis, & spiritualis. Vnde si primum tenet, tenet etiam & secundum. hęc doctrina Couarruuij est verissima.

Vndecimum dubium. An quod dicimus de matrimonio, idem dicendum sit de sponsalibus factis ex metu cadente in constantem virum. Resp. in vno conueniunt omnes, quòd si sponsalia sint sine iuramento, non obligant; & est doctrina vniuersalis de quacunque promissione facta ex tali metu sine iuramento. d. Tho. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. Sot. l. 8. de iust. q. 1. art. 7. ad 3. sed difficultas est quando intercessit iuramentum. Prima opinio est, quòd non tenent. Ita Sot. in 4. d. 29. q. 1. art. 3. & tamen l. 8. de iust. q. 1. art. 3. ad 5. contrarium dicit. Secunda opinio est contraria primæ; est Bonau. in 3. d. 39. art. 3. q. 2. Couar. cap. 3. §. 5. num. 4. Fundamentum primæ opinionis est; quia, cùm promissio de se sit inualida vt diximus, iuramentum non adhibet aliam firmitatem ab ea quam habebat. Confirmatur; quia si talia sponsalia valida sunt, ergo tenetur matrimonium contrahere; sed illud esset contractum matrimonium à prima coactione factum; sed hoc nullum est; ergo sponsalia non obligant. Fundamentum secundæ opinionis est communis doctrina, quæ dicit iuramentum factum de re licita, tenere. & videtur expressus textus in cap. si verò. de iureiur. Vtra opinio sit probabilior, res est valdè dubia, adeo vt Palud. d. 29. q. 1. art. 5. propositis vtrinque rationibus, vtranque dicat esse probabilem. Sed secunda opinio est securior. Ad fundamentum primæ sententiæ Resp. quòd non obligatur iste ratione promissionis, sed ratione iuramenti; promissio enim homini facta, & hæc cessat

de se, sed ratione eius quod Deo iuramento promittitur, non cessat. Sot. l. 8. de iust. loco cit. Ad confirmationem fundamenti Resp. quòd si cessante metu iste contrahat per verba de præsenti putans teneri matrimonium, verum est in vtraque opinione; quia etiam si subsit error, non tamen est error dirimens matrimonium, vt suo loco dicemus.

Duodecimum dubium. An istud matrimonium quod supra diximus esse nullum per coactionem, accedente copula cum affectu maritali, teneat, & sit matrimonium. Resp. primo certum est, quòd si accedat consensus liber in illo actu, tenere, & esse matrimonium. Secundo certum est, quòd si ideo quis coniungatur ex eo quòd putet solum præcedentem consensum validum esse, non esset matrimonium. ratio est; quia prior consensus cui fundatur ista coniunctio, nullus fuit. & ideo nihil potest efficere. Tertio dico, quòd si copula ipsa esset coacta, adhuc non esset matrimonium; quamuis contrarium dicat Palud. in 4. d. 29. q. 1. art. 4. & Angel. de impedim. matrim. impedimento primo & quamuis Sotus valde dubitet, ratio tamen est euidens; quia si coactio sine copula nō facit matrimonium, ergo neque cum copula. Neque obstat, quòd in hoc casu non videatur adesse metus cadens in constantem virum; quia aut actus est licitus, & sic est matrimonialis; vel est illicitus, & talis actus ex nullo metu potest fieri. hoc (dico) non obstat; quia etiam si ille non sit metus cadens in constantem virum ratione copulæ carnalis, est tamen talis in ordine ad consensum matrimonialem. Dices, quid ergo faciet in tali casu? Resp. moriendum illi est; vel liberè consentiendum matrimonio.

Decimumtertium dubium. An si aliquis protestetur coram pluribus se non habere animum contrahendi, quamuis exteriùs contrahat verbis & postea consumat sit iudicandum matrimonium, nec ne. Resp. quòd in foro conscientiæ si ob iustam causam, puta ad euitandum scandalum sic contraxit sine consensu, & non est sequuta copula, non est matrimonium; vt patet ex dictis supra dubio 7. si verò sequuta est copula, saltem ratione scandali tenetur seruare quod exteriùs promisit. & multo magis si ex dolo est protestatus. Sylu. verb. matrimonium. 4. q. vlt. in foro tamen exteriori ecclesia iudicabit pro matrimonio, vt gloss. in cap. tua nos. de sponsal.

Decimumquartum dubium, An consensus conditionatus

sit

sit per se sufficiens ad matrimonium. Resp. Conditiones necessariæ in matrimonio appositæ consensum eius non vitiant. Impositiones verò vitiant, nisi ioco sint additæ. Contingentes quæ sunt contra substantiam matrimonij, omnino annullant, de alijs verò si sint turpes, idem dico quod de impossibilibus, si sint honestæ, pro ratione ipsarum vel faciunt, vel annullant matrimonium. explico hæc omnia, & Nota primo, quòd conditio dupliciter sumi potest: Vel pro rei qualitate, vt cum dicimus aliquem esse conditionis seruilis. Vel sumitur pro illa quæ solet apponi in contractu. & hæc ita describi potest; est actus, vel contractus suspensio ex euentu. vt, seruiam tibi si dederis centum aureos. Secundo nota, quòd iurisperiti solent distinguere quatuor contractuum moderationes, quæ sunt, demostratio, modus, causa, & conditio. Demostratio fit per relatiuum, vel per nomen exprimens qualitatem. vt, contraho tecum quæ diues es. vel, ducam istam virginem. Modus aliquo modo limitat consensum, & exprimitur per coniunctiones: vt, contraho tecum vt sustentes meas sorores. Ducam filiam Ducis vt fiam ditior. & ad modum reducitur determinatio temporis; vt, contraham tecum die Lunæ, causa, est quæ non suspendit consensum, sed dat motiuum consensus; & exprimitur per *quia*; vt, contraho tecū, quia nobilis es. Conditio, est quando aliquid additur in propositione; vt, is nolit consentire nisi posita tali conditione: & exprimitur per *si*, *nisi*, & similia; vt contraham tecum *si*, dederis, vel *cum* dederis cētum aureos. Vel, *nisi* pater renuerit. Tertio nota, esse varia genera conditionum quæ possunt apponi in matrimonio: quædam enim semper intelliguntur etiamsi non apponantur; vt, *si Deus voluerit; si viuam, &c.* & de his nihil est dicendum. quædam sunt necessariæ siue sint ex natura rei necessariæ; vt, contraho tecum si sol orietur; siue ex suppositione; vt, contraho tecum si Antichristus veniet. quædam sunt impossibiles, vel ex natura rei; vt, contraho tecum si volaueris, vel si cœlum digito tangas; vel sunt impossibiles pro statu præsenti, vt si contrahens cum paupere dicat; contraho tecum si des tercenta millia aureorum. alię sunt contingentes; & hæ vel sunt honestæ; vt, cōtraho tecum si patri placuerit. vel sunt turpes; & hę vel sunt cōtra bona matrimonij quæ consistunt in tribus bonis, fide, prole, & indissolubilitate; vt, contraho tecum si eris fornicaria; cō-

traho tecum tantum per mensem. vel sunt accidentaliter turpes de quibus Sylu.verb.matrimonum. Sot.in 4.d.29.q.2.art. 1. Nauar.cap. 22. num. 62. Quarto nota, conditionem posse apponi vel de præsenti, vel de futuro. Quinto nota; nunquam esse matrimonium per quæcunque verba fiat, nisi adsit consensus interior, vt dictum est supra dubio 7.& multæ difficultates quæ circa hoc possent oriri, tollentur si contractus fiat fine his conditionibus, sed absolutè. His positis dico primo, conditiones necessariæ siue sint de præsenti, & præterito, siue de futuro, non vitiant matrimonium. nam perinde est dicere contraho tecum si sol oritur, vel si sol orietur, ac dicere; contraho tecum sicut certum est & determinatum solem oriri: quamuis glos. in cap. per tuas. de condition. appositis, teneat conditionem hanc de futuro suspendere matrimonium. sed tenenda est communis sententia; quia etiam si sit de futuro, est tamen præsens illa conditio in causis suis. Verum est quòd si contrahens intenderet per hoc modificare propositionem ad tempus futurum, tunc suspendit. & intelligo hanc doctrinam etiam de conditionibus necessarijs ex suppositione. quamuis Couar. dissentiat. Secundo dico, conditiones impossibiles vitiant contractum; nam istæ potius significant dissensum, quàm consensum; vt patet ex modo & ex cõmuni vsu loquendi, & ex alijs contractibus qui nulli sunt cum istis conditionibus. dixi *nisi ioco fuerint addita*, propter doctrinam communem, quæ tenet istas conditiones haberi pro non adiectis. sed ego expono (sicut exponam illud caput) hoc verum esse, quando ex alijs circunstantijs expressè intelligitur ioco illas conditiones esse additas. Vnde infertur, illa tria prima moderamina, idest demostratio, modus, & causa, habentur pro non positis, nisi apponantur vt conditiones; ratio est, quia non pertinent ad substantiam contractus, sed ad extrinseca; vt ad causas, vel ad operationes rerum. Si autem indicant formam, tunc idem est iudicium atque de conditione; vt si quis dicat, contraho tecum quæ datura es tantam dotem; Sot. d. 29. q. 2. art. 1. Sylu. verb. matrim. 3. q. vlt. Nauar. cap. 22. num. 62. Tertio dico, Conditiones si sint turpes, & contra substantiam, aut bonum matrimonij, irritant matrimonium. cap. fin. de condit. apposita. & can. aliquando. can. solet. 32. q. 2. Dices, An conditio honesta contra bonum matrimonij irritet matrimonium, vt de seruanda

da perpetua castitate? Resp. affirmatiuè, ex communi sententia. Sot. in 4. d. 20. q. 2. art. 3. Couar. 2. p. de matrim. cap. 3. §. 1. nu. 2. Cādelab. de matrim. n. 50. cap. fin. de cōdit. appos. Gregorij IX. limito hanc doctrinā tripliciter: Primo, intelligi quādo ille qui adhibet conditionē, verè nō se vult obligare ad id quod est de substātia matrimonij, vel vult se obligare in contrarium eius; non enim esset irritum hoc matrimonium si qua contraheret, & non haberet animum reddendi debitum. Secundo, intelligo quando conditio est de futuro; nam tunc pugnat cum substantia matrimonij: non quando est de præsenti, vel præterito. Tertio, est vera doctrina, quando conditio ponitur simul cum ipso contractu, nam si ponitur post, non annullat. Quarto dico, turpes conditiones, vel impossibiles, sed non contra substantiam, aut bonum matrimonij, habentur pro nō appositis; ideo matrimonium non vitiant in foro exteriori. cap. finali cit. in foro autem interiori pendet ex animo ponentis tales conditiones, & ex consensu; si enim intendat cum conditione impossibili contrahere, tenet matrimonium; aliàs non tenet. & hoc verum est de quacunque conditione impossibili siue à natura, vt si fueris immortalis, siue à iure; vt, si liceat in primo gradu contrahere: siue ex suppositione; vt, si es Virgo, cùm non sit. Victor. q. 259. ex Adrian. in 4. Idem dicendum est de eo qui consensit iocosè. In foro enim animæ stabitur intētioni contrahentis. Sed in foro exteriori, ex coniecturis iudicandum est. & nisi probetur iocosè factum, conditio habetur pro non apposita; Sylu. verb. matrimonium. 3. q. 2. Victoria supra. Quinto dico, conditiones honestæ de futuro si sunt veræ conditiones, matrimonium suspendunt quousque impleantur. cap. de illis. & cap. super eo. de condit. apposita. Intellige dum apponatur ante contractum matrimonium. & suspensiuè, non resolutiuè. Nauar. cap. 1. de condit. appos. num. 62. ratio est, quia cùm istæ conditiones sint honestæ, & possibiles, legitimè possunt apponi. & cùm sint de futuro, suspendunt. Dixi, si sunt veræ conditiones, nam si sunt de re præterita, vel præsente, non suspendunt; quia non sunt veræ conditiones; vt, si Petrus viuit, contraho tecum. Sed si conditio est falsa, matrimonium est nullum. si vera, valet; vt probat Nauar. supra. Dices, An sit eadem ratio de conditione necessaria, atque de impossibili. Resp. quòd conditio necessaria dupliciter

ponitur

ponitur in matrimonio; Primo, vt conditio; vt, contraho tecum si oriatur Sol. Secundo, vt modificans contractum, vt contraham tecum quando orietur Sol. Dico primo, quòd in foro conscientiæ pendet ex intentione coniugum. si enim intenderunt contrahere tunc, posita conditio suspendit matrimonium, & pendet ex esse illius. Sylu. verb. matrimonium 3. q. 2. Secundo dico, quòd si conditio necessaria ponitur vt modus, suspendit matrimonium, vel sponsalia; vt siquis dicat, contraham tecum cum orietur Sol; non valet nisi quando oritur Sol. & hoc fortè voluit gloss. in cap. per tuas de condit. appos. quam sequitur Anton. Tertio dico, quòd si conditio necessaria apponatur per modum conditionis, & sit de simpliciter necessarijs, habetur pro non posita. probatur primo, ex communi sententia, Palud. Gabr. Adrian. d. Tho. in 4. d. 28. & Victor. q. 260. & aliorum. Secundo, quòd illa censetur tanquam de præsenti. vt d. Tho. Victor. & alij. & nota quòd eadem est ratio de impossibili. Sed hic est

Decimumquintum dubium. An cum matrimonium est de præsenti, & conditio de futuro, adueniente conditione statim sit ratum matrimonium; an verò sit necessarius nouus consensus de præsenti, vt siquis dicat, contraho tecum si dederis mihi centum aureos. Resp. sunt duæ sententiæ: Vna est theologorum, qui dicunt non esse matrimonium, nisi per verba de præsenti detur nouus consensus. ita d. Tho. in addit. q. 47. art. 5. & in 4. d. 29. q. vnica. art. 3. q. 2. Adrian. de matrim. Maior. d. 27. q. 4. Sot. d. 29. q. 4. art. 1. Bonau. in 4. d. 28. q. 4. Victor. in relect. de matrim. Couar. 2. p. cap. 3. num. 5. hi omnes requirunt nouum consensum; quia sacramentum non pendet à futuro euentu. Altera sententia est canonistarum, qui dicunt non requiri nouum consensum, sed ipso facto fieri matrimonium. Innoc. cap. de illis. Panor. & Hostiens. in cap. finali de condit. appos. Palud. in 4. d. 29. q. 2. Gabr. d. 28. q. 2. Nauar. cap. 22. num. 63. Sylu. verb. matrim. 3. §. 6. Fundamentum theologorum est, quia non videtur hic posita conditione esse consensus de præsenti qui requiritur in matrimonio. & Confirmant ex cap. per tuas. Innocentij III. de condit. appos. qui talem contractum vocant sponsalia. & ex cap. super eo. ibid. vbi Vrbanus III. dicit istos tales posita conditione cogendos esse ad matrimonium. Fundamentum canonistarum est; quia omnes alij contractus

tractus statim ac ponitur conditio, validi sunt. Ego dico opinionem theologorum esse probabiliorem. maximè propter illa duo capita allegata. Sed opinio canonistarum potest habere locum in vno casu. quando à principio expressè ita conuenerunt, vt statim ac ponitur conditio, intelligeretur factum matrimonium. Ad fundamentum secundæ opinionis, idest canonistarum, Resp. iura in alijs contractibus interpretari consensum expressum hoc modo, vt posita conditione statim intelligatur factum, non sic in isto contractu; quia maior libertas requiritur in contractu matrimonij, quàm in alijs. Sed hic est

Decimumsextum dubium. An conditio honesta de futuro in matrimonio per se nullo, obliget. vt si duæ personæ inhabiles ad contrahendum dicat vna ex illis, contraho tecum si Papa dispensauerit in quarto gradu. Resp. aliqui canonistæ tenent esse inualidum; vt Abbas. Cardin. Sot. d. in 4. d. 27. q. 1. art. 1. Sylu. verb. matrim. 3. q. 9. Victor. q. 288. candelabr. num. 55. Alij tenent esse vera sponsalia conditionata. Adrian. dub. 10. Couar. in 4. decretal. 2. p. cap. 3. §. 9. Ego dico primo, quòd tale matrimonium non adueniente conditione non fit verum matrimonium, sed requiritur nouus consensus; quia dispensatio non respicit præterita, sed futura. Secundo dico, quòd contractus cum hac conditione est obligatorius, & sunt sponsalia conditionata, quæ adueniente conditione obligant; ita Adrian. Couar. & alij, quos ipse citat; quia ista promissio habet obiectum honestum, & possibile; ergo nihil obstat quò minus obliget. Hinc inferuntur aliqua quę prosequitur Nauar. cap. 22. num. 63. & sequent. Sylu. verb. matrim. 3. quæst. 4. Sot. distinct. 27. quæst. 2. artic. 3.

De bonis matrimonij. idest de fide, prole, et sacramenti indissolubilitate. Caput IIII.



Rimum dubium. Quoad fidem matrimonij. An vsus matrimonij sit meritorius. Resp. si fiat ob finem aliquem virtutis, est meritorius; quia omnis actus virtutis factus ab homine existente in gratia, & relatus in Deum, meritorius est; sed actus matrimonij potest esse talis, quia potest nasci ex virtute religionis, vt timeatur Deus à filijs quos generat; ergo &c. Dices, hinc sequi non esse melius abstinere ab vsu coniugij, nego sequelam. sicuti non valeret; meritorium est comedere ad gloriam Dei, ergo ieiunare non; ratio enim meriti ex duplici radice potest nasci; idest ex charitate qua fit opus; & ex difficultate qua fit. & licèt matrimonium ex prima radice sit meritorium, non tamen ex secunda; vt castitas ex vtraque. & secundum hoc exponendus est Chrysost. in Matthæum, vbi ait, *matrimonium & si vtentibus pœnam non tribuat, mercedem tamen non præstat.* Dices, quid si fiat præcipuè ad euitandam fornicationem. Resp. probabile est nullum esse peccatum. Ita Palud. in 4.d.31.q.2.art.2. Dur. ead. q.4. cap. d.30.q.1. Caiet. verb. matrim. cap. de vsu matrim. quamuis Bonau. q.31. art. 2. q. 2. Petr. Sot. lect. 16. dicant esse veniale. idem videtur dicere d. Tho. in addit. q.49. art.5. sed prior opinio magis placet. & probatur ex 1. Cor. 7. vbi Paulus hortatur coniuges vt in idipsum reuertantur propter fornicationem, ne tentet eos Satanas. Secundo patet, quia matrimonium est à Deo institutum etiam in remedium fornicationis. Tertio, quia velle fugere aliquod peccatum, est actus bonus. Dices secundo, quid si fiat ob delectationem intra limites matrimonij. Resp. esse pecca-

peccatum veniale. Probatur, quia omnis actus debet esse ordinatus; sed referre actum ad delectationem inordinatio est in lege Dei; ergo vbi inordinate procedit, est peccatum veniale. Dices tertio, quid si excedat limites matrimonij? Resp. aliquando esse mortale, nam peccat si quandoque ponit tanquam vltimus finis in delectatione, & tunc est mortale, vt ait Hierony. l. 1. contra Iouin. & habetur 37. q. 4. vbi etiam citat Sextium philosophum pythagoricum, qui docet, esse quodam genus adulterij, nimis amare vxorem. Idem esset si quis fingeret accedere ad alienam, accedens ad suam, sic etiam esset mortale si indebito modo fiat, praeiudicans ad generationem prolis. summist. verb. debitum coniugale. Nauar. cap. 16. & cap. verb. matrimonium. de vsu matrimonij, videndi sunt.

Secundum dubium. An coniuges teneantur aequali iure debitum reddere sub poena peccati mortalis? Resp. affirmatiuè, probatur primo, ex iure naturae; quia talis est obligatio matrimonij. Secundo, ex iure diuino. 1. Cor. 7. *Vir vxori debitum reddat, & vxor viro.* dixi aequali iure, quia licèt in alijs ius non sit aequale, quia vir est caput mulieris, in hoc tamen est aequale. ex hoc inferes, semper peccare mortaliter quando alter coniugũ expressè, vel interpretatiuè petenti neget. & intelligo quãdo petit seriò, & tãquã debitũ, siue verbis, siue signis; Sot. in 4. d. 32. q. 1. art. 2. Nau. cap. 16. num. 26. quare cùm vxores prae pudore vt plurimum non petant expressè, non licet viro (communiter loquendo) expectare expressam petitionem vxoris. d. Tho. in addit. q. 64. art. 2. Sot. supra. Anton. 3. p. tit. 1 cap. 20. §. 7. hoc autẽ intelligitur quãdo petitio fit animo obligãdi côiugẽ ad reddẽdũ, tunc enim tenetur reddere; si enim solũ amicè peteret (verbi gratia) si alteri placet, tũc nõ obligarẽ ad peccatũ similiter si peteret animo obligandi, à quo tamen animo desisteret motus precibus alterius, non obligarẽ. Intellige tamen, dummodo preces non sint importunae, vel nimiae, quia tunc non excusaretur à peccato. Sylu. verb. debitum. q. 8. Anton. supra.

Tertium dubium. An ratione diei festi, vel ieiunij possit non reddi debitum? Resp. Sot. in 4. d. 32. q. art. 3. dicit in festis communibus non est peccatum. in solennibus est peccatum veniale petere. sed reddere nullum est peccatum. probatur ex

1. Cor. 7. *nolite fraudare inuicem nisi ex consensu, vt vacetis orationi*.

Quartum dubium. An possit negari debitum ratione menstruorum. Resp. esse duplex genus menstruorum: Primum est, extraordinarium, & quasi ex morbo, quale erat illud emorroissæ; & in hoc genere non est peccatum etiam petere; tum quia aliàs coniux esset perpetuò priuandus suo iure; tum quia non videtur esse periculum, aut damnum futuræ proli. Secundum menstruum est ordinarium singulis mensibus in mulieribus; & in hoc, prima opinio est esse peccatum mortale non solum petere, sed etiam reddere; ita Bonau. in 4. d. 32. art. 3. q. 1. Scot. ibid. q. 1. Fundamentum huius est; quia dicunt ex tali accessu gigni prolem monstruosam. Confirmatur ex Leuit. 18. vbi sub pœna mortis prohibebatur. Confirmant etiam ex Hierony. in Isa. 44. Secunda opinio est, nec petere, nec reddere esse peccatum. est Caiet. 2. 2. q. 154. & verb. matrimonium. cap. de vsu matrimonij. Sot. d. 32. q. 1. art. 2. ad 2. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 5. Nauar. cap. 16. num. 32. & hæc est verior. & est communis sententia. probatur, quia non est certum esse cum illo damno notabili prolis. & Castr. tenet eo tempore non fieri generationem. & est probabile vtrunque, quia videremus multos monstruosos; sed ex quo videmus nō esse ita communiter, sequitur id non esse verum. & nihilominus etiam si damnum sequatur proli. Nauar. supra. Palud. & Anton. docent non esse peccatum mortale; de quo ego dubitarem. & videtur probabile tenendo eum qui nascitur ex vno accessu, non esse nasciturum ex alio accessu, si est verum quòd non idem omnino erat nasciturus, dico quòd melius est si nascatur qualis qualis sit.

Quintum dubium. An ratione multitudinis liberorum inopum liceat negare debitum. Resp. communior sententia est negatiua. Nauar. cap. 16. num. 24. Sylu. verb. debitum coniugale. num. 10. licèt Sot. putet licere quando non timetur periculum incontinentiæ. probatur, quia non videtur hic esse magnum detrimentum prolis, vt propterea non debeant teneri obligationes matrimonij; quia melius est vt nascantur filij, quàm non. Dices, An sit peccatum ante purgationem post partum petere. Resp. negatiuè, nisi infirmitas, vel aliud obstet. Angel. verb. debitum. §. 34. cum Riccard. Palud. Sylu. quæst.

5. Tab.

3. Tab. verb. matrim.

Sextum dubium. An teneatur coniux cum periculo suæ salutis reddere debitum petenti. Resp. Prima opinio est Godfredi in sua summa, qui respondet affirmatiuè. fundamentum est textus Alexandri III. cap. quoniam. de coniugio leprosorum. Contraria sententia est communis; & probatur ex ordine iuris naturæ secundum quem tenetur quis prius sibi consulere, & & suæ saluti, potius quàm alteri. Secundo, ex ordine charitatis idem docentis. Tertio, quia contractus matrimonialis intelligitur sine præiudicio suæ salutis. Quarto, probatur ex fine matrimonij, quæ est generatio prolis quæ hic impeditur.

Septimum dubium. An teneatur reddere debitum quando est periculum abortus. Resp. vel considerandum est tempus coagulationis, vel tempus proximum partui; si caueetur abortus post animationem (quæ fit in masculo die quadragesimo, & in fœminis die octuagesimo) tunc est irregularis, quia est homicidium; ante illud tempus non est irregularis, quamquam aliquando secundum philosophos animatio præueniat illud tempus. Sylu. q. 5. Angel. verb. debitum. q. [illegible].

Octauum dubium. An teneatur in loco sacro reddere debitum. Resp. prima opinio est, quòd omnino, & semper est peccatum mortale. Caiet. verb. matrimonij vsus. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 2. Nauar. cap. 16. num. 32. Candel. num. 262. Tab. matrim. 3. q. 9. Armill. verb. debitum. §. 6. Secunda opinio dicit, quòd non est peccatum mortale quando res esset omnino occulta. Tertia opinio, si breui tempore sunt coniuges in loco sacro, peccant mortaliter; quòd si diù in illo loco violenter detinentur, non peccant vacando actui matrimonij, si res esset omnino occulta, nec templum pollueretur. Sylu. verb. consecratio. 2. §. 5. Castr. l. 1. de lege pœnali. cap. 7. Riccard. 32. q. 1. art. 3. Sot. d. 32. q. 1. art. 3. Angel. verb. debitum. §. & hæc sententia est verior. Alij dicunt licere tantum ad euitandam fornicationem propriam, vel coniugis. Riccard. d. 32. art. 3. q. 1. Rosell. verb. debitum. §. 7. Sylu. eod. q. 3. & hæc videtur probabilior. vnde in hoc casu ecclesia non egeret consecratione, vt notat Sylu. ibid. Rosell. verb. consecratio 1. §. 9. quicquid dicat Nauar. loco cit.

Nonum dubium. An liceat tempore sacro? Resp. licet reddere ex communi sententia. Angel. §. 29. Sylu. verb. debitum. q. 3.

Nauar. cap. 16. num. 24. peteret autem si fiat sine contemptu, esset veniale, vt cum d. Tho. docent Tab. supra. sed cum causa legitima puto nullum esse peccatum, vt patet ex Caiet. verb. matrim. Sylu. verb. debitum. q. 8. Nau. cap. 12. num. 71.

Decimum dubium. Quæ causæ excusent coniugem ab obligatione reddendi debitum. Resp. prima est impotentia coeundi vel propter actum præcedentem, vel ob causam licitam, vt propter immoderatum ieiunium, vt cum d. Tho. Riccard. docet Sylu. verb. debitum. q. 1. Angel. eod. §. 3. vnde infertur primo, non esse peccatum negare debitum petenti creberrimè. d. Tho. in addit. q. 64. art. 3 ad 3. Sot. in 4. d. 32. q. 1. art. 1. Secundo infertur, quòd peccat mortaliter qui modo illicito scienter se ad id reddit impotentem. d. Tho. supra. Riccard. d. 32. art. 1. q. 1. Secunda causa est probabile periculum mortis, vel ægritudinis. d. Tho. & Riccard. supra. Caiet. verb. matrim. Armill. verb. debitum. §. 3. & alij. hinc patet non teneri coniugem sanam reddere debitum leproso cum periculo probabili infectionis. si autem non esset periculum, teneretur, etiamsi generaretur filius leprosus. d. Tho. art. 1. cit. ad 4. Riccard. d. 32. art. 4. q. 2. Sylu. verb. debitum. q. 1. §. 2. & sic intelligitur cap. 1. & 2. de coniugio leprosorum; quamuis Angelus verb. debitum. §. 4. absolutè dicat teneri. Tertia causa est, quando aliquis coniugum commisit fornicationem. probatur ex Matth. 19. & docent communiter doctores. Angel. verb. debitum. §. 7. Sylu. eod. q. 1. §. 3. Sot. in 4. d. 36. q. vnica. art. 1. Couar. epit. p. 2. cap. 7. §. 5. num 8. & 12. pro intelligentia Nota primo, quòd in hoc coniuges sunt pares, vt exponit D. Tho. in addit. q. 64. art. 3. Couar. supra. quicquid dicat Caiet. verb. matrim. 2. Secundo nota, quòd nomine fornicationis hic intelligitur consumata copula cuiusque generis sit, etiam contra naturam. d. Tho. supra. q. 62. art. 1. ad 4. & Panor. in cap. mariti, de adulteris. Tertio nota; requiritur vt fornicatio sit certa moraliter loquendo; verbi gratia, quòd coniux reperiatur in eodem lecto cum adultero. vel concurrant certa inditia quibus sufficienter probari posset in foro exteriori; de quo Couar. supra. quod si ita sit, sufficit ad iurè negandum debitum, etiam si esset omnino occulta. Quarto nota, esse multos casus in quibus non licet debitum negare adultero, quos refert Angelus §. 7. cit. & Nauar. cap. 16. num. 29. Sylu. verb. diuortium. q. 8. & alij. inter

quos præcipuus est, quando etiam ipse est fornicatus, ex cap. significasti. de diuortijs. & in cap. nihil iniquius. 32. q. 6. Dices primo, An teneatur innocens ad præceptum ecclesiæ reddere adultero debitum. Resp. tenetur si non potest probare intra paucos dies. Angel. §. 10. Dices secundo, quid si vir facto diuortio ob fornicationē vxoris autoritate ecclesiæ, etiam ipse incidit in fornicationem, teneatur vxori reddere debitum, necne. Resp. tenetur si compellatur autoritate iudicis, qui debet compellere, si separatio præbet illi occasionem incontinentiæ, iuxta cap. ex literis. de diuortijs. vel cum vxor probato sufficienter viri adulterio, id exigit; aliàs non tenetur. d. Tho. q. 62. art. vlt. ad 4. Sylu. verb. diuortium. q. vlt. Dices tertio, An adulter ipso facto ob adulterium amittat ius petendi debitum. Resp. primo, certum est quòd licet petere amicè circa exactionem. Tab. matrim. 4. q. 6. Nauar. cap. 22. num. 23. Secundo dico, quòd potest etiam exigere, quoniam adulter neque à coniuge innocente, neque à iudice priuatur suo iure; intelligitur tamen sequuta condennatione, vel certè volente ipso innocente, & non ante; iuxta Caiet. verb. matrim. Sot. d. 36. q. vnica. art. 3. quicquid dicat Sylu. verb. debitum. q. 10. & alij, quos refert Tab. supra. notandum est tamen quòd adulter non tenetur manifestare alteri suum crimen, vt ab eo suo iure priuetur. Caiet. supra. Tertio dico, quòd innocens etiamsi cœperit negare debitum adultero, si tamen postea ipse commisit adulterium, tenetur ei reddere. Nauar. cap. 22. num. 23. similiter si post cognitum adulterium petijsset vt alter redidisset ei debitum voluntariè; vt Sylu. verb. diuortium. q. 8. & Palud. quia videtur se reconciliasse. Quarta causa est, quando alter coniugum vult ingredi religionem ante consumationem. de qua Sylu. verb. debitum. q. 1. §. 4. Nauar. cap. 16. num. 22. & alij. Quinta causa est, quando non potest reddi omnino sine peccato. Sylu. verb. debitum. quæst. 1. §. 6. Sexta, est locus sacer. de quo supra dubio 8.

Vndecimum dubium. Quibus casibus petere, vel reddere debitum est peccatum. Resp. in his decem. Primus est, ratione malæ intentionis, quando autem sit peccatum mortale, & quando sit veniale, videndus est Sylu. verb. debitum. q. 2. Tabien. q. 5. & verb. matrim. 3. q. 4. Nauar. cap. 16. num. 23. Secundus casus est, ratione loci sacri de quo supra, dub. 8. Tertius, est

ratione modi contrà naturam quantum ad situm, de quo dicto eum Sylu. verb. debitum. q. 4. cui concordat Angel. §. 15. Rosell. §. 11. Nauar. cap. 16. num. 42. & alij quos illi adducunt. Quartus est, periculum aborsus, de quo supra dub. 7. Quintus est, ratione menstruorum; de quo supra dub. 4. Sextus est, ratione prouocationis per tactus impudicos cum periculo pollutionis extra vas, &c. qui tamen tactus si fiant causa reddendi debitum, sunt liciti. Sylu. q. 7. Caiet. 22. q. 154. art. 11. ad 7. Armilla verb. debitum §. 8. Septimus, quando iniustè negat, idest sine causa legitima, de quo Sylu. supra. Nauar. cap. 16. num. 24. Octauus, ratione adulterij vxoris vir peccat petendo, vel reddendo debitum, nisi quando esset secretum: vel illa iam se emendasset, vel nisi petat ad vitandam fornicationum. non sic autem peccat vxor respectu viri; Sylu. verb. debitum. q. 10. Nauar. cap. 16. num. 28. qui adducit Palud. & Caiet. Nonus, ratione voti. Decimus, quando aliquis dubitat de validitate matrimonij, quos duos vltimos casus vt fusius explicentur, quoad tertium, sic

Duodecimum dubium. An coniuges possint vouere. Respondeo primo, vota quæ non præiudicant sibi inuicem, tenent, & non possunt irritari ab alterutro illorum; ratio est, quia coniuges in multis sunt sui iuris. & hinc patebit solutio alterius dubij quinti, An votum de non petendo debitum ab vno, teneat. d. Tho. in 4. d. 32. q. 1. art. 4. ponit duas opiniones: Prima, dicit non tenere hoc votum, quia est in præiudicium alterius ex hoc quod redditur alteri onerosum matrimonium propter verecundiã in petendo semper. Secunda opinio dicit, non esse in præiudicium. d. Tho. tenet priorem opinionem esse probabiliorem. media via est Syluestri, verb. votum. 5. quæst. 2. quòd tunc tenet istud votum, quando sic factum est, quantum est ex me, non petam; nisi quando erit ratione alterius coniugis. quando verò absolutè voueret, tunc esset in præiudicium; quod dicit d. Tho. & hæc media opinio mihi videtur probabilior. secundo dico; vota quæ fiunt in præiudicium alterius inter coniuges non esse valida; ratio est, quia nemo debet se obligare in eo quod non est in sua potestate. & ex hoc patet vota peregrinationis nulla esse, nisi peregrinatio sit modica. Item in vxore votum abstinentiæ non esse validum. cap. manifestum. 33. q. 4. Dixi in vxore, quia ex parte viri non videtur esse præiudicium

cium, nisi esset magna abstinentia, qua redderetur inhabilis ad matrimonium, vel curam domesticam. Item non esset validum votum mutandi habitum tertij ordinis: ista autem vota si accedat consensus alterius obligant quousque ille consensus non fuerit renocatus; quem potest reuocare cum causa iusta, non tamen sine causa, nisi in voto continentiæ, secundum Sylu. & Nauarram. Nonus igitur casus est, ratione voti castitis, vel affinitatis contractæ cum vxore, de quo Sylu. verb. debitum. q. 9. Angel. §. 11. Nauar. cap. 16. num. 35. Nota tamen, quòd innocens non priuatur iure petendi debitum propter superueniens impedimentum; vt patet ex cap. deceptione. de eo qui cognouit consangu. &c. item nota, quò potest Episcopus dispensare cum adultero ad petendum debitum; vt docet Sot. l. de iust. q. 2. art. 3. Sylu. supra. q. 9. Tabien. verb. dispensatio. q. 9. Medin. 1. 2. q. 97. art. 4. Nota præterea, quòd affinitas ex fornicatione etiam superueniente matrimonio post concilium Trid. non contrahitur vltra secundum gradum, ex decreto sacræ congregationis. Dices, An qui post contractum matrimonium suscepit ordines sacros, vel fecit simplex votum castitatis, possit petere, vel reddere debitum. Resp. Primo, quòd post consumationem tenetur reddere; sed non potest petere nisi cû eo dispensatur. Secundo dico, quòd peccat mortaliter in primo actu quando consumat matrimonium, & tenetur ante consumationem ingredi religionem vt votum seruet; vt cum D. Tho. & Riccard. tenet Nauar. cap. 12. num. 80. Tabien. verb. matrim. 1. q. 3. Armill. verb. diuortium. §. 10. quamuis oppositum teneat Sot. in 4. d. 38 q. 2. art. 1. Neque obstat quòd in extrau. antiquæ de voto. Ioannis XXII. præcepit instanter talem ad id moueri; & si nolit ingredi, compellatur consumare; nam id procedit in foro exteriori, ne scilicet alteri coniugi fiat iniustitia. in conscientia tamen non tollitur quin peccet consumando; cùm possit adhuc votum seruare ingrediendo religionem; vt dictum est.

Decimumtertium dubium. An quando aliquis dubitat de validitate matrimonij ratione alicuius impedimenti, vt quia audiuit priorem coniugem esse viuam, vel se contraxisse affinitatem cum coniuge post contractum matrimonium, vel defuisse legitimum consensum, teneatur reddere debitum alteri existenti in bona fide. Resp. affirmatiuè, sed petere non potest.

pro explicatione. Dico primo, quòd quando aliquis moraliter est certus de validitate matrimonij, etiamsi habeat aliquas leues coniecturas in contrarium, iste petere, & reddere potest; vt habetur in cap. inquisitionis. de sent. excomm. & docent doctores. Riccard. in 4. d. 27. art. 1. q. 4. Sot. q. 1. art. 3. & l. 4. iust. q. 1. art. 4. Sylu. verb. matrim. 6. q. 8 & matrim. 8. q. 3. & matrim. 4 q. 2. & verb. conscientia. q. vlt. Angel. matrim. 2. §. 14. Leues enim coniecturæ non causant formaliter dubium, sed solum excitant scrupulum, & non dubium formale, est enim scrupulus, motus quidam in parte apprehensiua inclinans ad contrariam partem, procedens ex leuibus, & temerarijs coniecturis. sed tunc deponendum est dubium ad consilium sui pastoris, & sic licebit petere, & reddere debitum. Secundo dico, quòd quando quis est certus moraliter de inualiditate matrimonij, licèt habeat aliquam formidinem de contrario, peccat mortaliter petendo, vel reddendo debitum; etiamsi compellatur ab ecclesia sub pœna excommunicationis, eo quòd probare non possit; vt patet in cap. inquisitionis. de sent. excomm. Sylu. verb. conscientia. q. vlt. Nauar. ca. 16. num. 40. Difficultas igitur est quando aliquis verè, & formaliter dubitat in vtraque partem, verbi gratia contraxit aliquis secundum matrimonium, & non potest certitudinem habere de morte primi coniugis. Item, non potest quis esse certus, an inter ipsum, & coniugem sit aliquis gradus affinitatis; & in hoc est controuersia. Caput citatum dicit, in isto casu debere reddere, non autem posse petere. ratio est; ne in alterutro vel contra legem coniugij debitum neget; vel contra legem conscientiæ petendo faciat. Sed hoc non obstante, Prima opinio est Adrian. quodl. 2. art. 3. in tali dubio nec petere, nec reddere posse. Fundamentum est; quandocunque aliquis dubitans an faciat peccatum, & facit; peccat. & ad tex. cit. in cap. inquisitionis, Resp. Innocentium III. ibi loqui in foro exteriori. Secunda opinio est Soti in 4. d. 37. art. 5. & l. 4. iust. q. 5. art. 4. qui distinguit de eo qui bona fide contraxit, & de eo qui mala fide, idest dubitans; si bona fide contraxit, & superueniat postea dubium, tenetur facere diligentiam; qua facta potest petere, & reddere debitum. Fundamentum est; quia eodem modo siquis bona fide acceperit domum, & postea cœperit dubitare, si post factam diligentiam non inueniat dominum eius, illam

illam retinere potest. si verò mala fide, tunc dicit Sotus neque reddere, neque petere posse. & cum ista distinctione dicit esse glosandum textum innocentij. Tertia opinio est communis; debere reddere, sed non posse petere. est d. Thomæ in addit. q. 55. art. 9. Bonau. in 4. 38. Medin. C. de rest. q. 17. Nauar. cap. 2 v. num. 54. & fusè l. de pœnit. cap. si quis. d. 7. Couar. cap. 7. §. 2. num. 8. & hæc opinio est probabilior. probatur ex cap. inquisitionis. & cap. Dominus. de secund. nuptijs. Neque potest dici, quòd loquantur in foro exteriori, vt dicit Adrian. quia expressè dicunt contrarium. Neque glosa Soti satisfacit; quia isti textus loquuntur quid sit agendum existente tali dubio. sed supponimus facta diligentia manere idem dubium. & quia Lucius Papa cap. dominus. cit. dicit, quòd debitum nullatenus exigendum sit, idest facta vel non facta diligentia. Probatur secundo, quoad vtranque partem. Quantum ad hoc quòd teneatur reddere, probatur sic; quando aliquis dubitat an aliquid possit licitè fieri, & ex alia parte dubitat an sit maius peccatum illud non facere; sed hoc est in nostro casu; ergo tenetur reddere. maior probatur ex cap. duo mala. d. 13. & cap. Nauar. ibid. minor probatur; quia maius peccatum est negare debitum coniugi, quàm simplex fornicatio. Sed alia ratio potest reddi; quia hic vnum est incertum, idest an matrimonium sit validū; & aliud est certū, scilicet cum ista dubietate licitè posse reddi debitum; ergo quod certum est, faciendum est. Quoad alteram partem de non petendo, probatur: quando aliquis dubitat an facere rem aliquam sit peccatum nec ne, & est certus non esse peccatum illam omittere; tenetur illam omittere; sed tale est negotium in petendo, ergo &c. probatur tertio, respondendo ad fundamentum Adriani primæ opinionis; & Soti, & pro explicatione sciendum est primò, in moralibus duplex esse dubium; quodam speculatiuum, quodam est practicum; illud est quando dubito de natura rei; verbi gratia an hoc coniugium sit validum; hoc autem est quando dubito immediatè an aliquid sit faciendum nec ne. Secundo dico, quòd stante dubio practico semper est peccatum facere contra dubium pro ratione dubij, si dubium est mortale, peccatū est mortale; si veniale, est veniale; at verò stante dubio speculatiuo aliquando aliquid facere est peccatum, aliquando non; tunc est peccatum, quando cum illo dubio speculatiuo stare

potest certitudo practica; vel (quod idem est) quando ex illo dubio speculatiuo non sequitur illud dubium practicum. exemplum primi; vt ego dubito an talis contractus sit licitus, & facio illum contractum, pecco mortaliter. exemplum secundi; vt, ego confessarius opinor clericos non esse dominos bonorum ecclesiasticorum, accedit ad me aliquis ad confessionem qui malè tractauit bona ecclesiastica, ego possum illum absoluere etiamsi non obligem ad restitutionem, quia practicè scio me posse illum absoluere etiam si non restituat, quamuis dubitem speculatiuè an ille sit dominus illorum bonorum. Vnde ad fundamentum Adriani Resp. quòd in casu proposito cum dubio speculatiuo an illud matrimonium sit validum, potest stare certitudo practica quantum ad reddendum debitum. non autem potest stare certitudo quantum ad petendum. cuius rei disparitatem est difficile reddere. aliqui dicunt esse rationem obedientiæ Pontificis, qui dedit facultatem in reddendo, non in petendo. hoc tamen non satisfacit; quia Pontifex non videtur præcipere; sed docere tantum quid ex natura rei fieri debeat. Nauar. supra, dicit posse illum qui sic dubitat debere deponete dubium quantum ad redditionem debiti; non posse tamen, nec debere quantum ad petitionem. Ego responderem cum Nauar. Ad fundamentum verò Soti Resp. esse disparem rationem de domo, & de coniugio; nam vt aliquis dubitans de domo an sit sua, nihil aliud requiritur, nisi vt nulli iniurius sit in possessione domus, quod post factam diligentiam cessat; at verò vt aliquis vtatur coniuge, non requiritur vt nulli sit iniurius, sed requiritur vt sit sua coniux. Dices deinceps; quòd non debet quis facilè cuiquam credere, sed inquirere debet diligenter veritatem, vel petere consilium. Vnde etiam si coniux dicat se non consensisse, alter non tenetur credere. similiter si aliquis dicat priorem coniugem esse viuam, ea quæ iam contraxit, non debet credere. si tamen leuiter credat, priuatur iure debiti. Nauar. cap. 22. num. 62. Sot. art. 3. supra. Victor. q. 248. Sylu. verb. matrim. 8. q. 3. & q. 9. num. 4. Denique dico; quòd peccat qui indiscretè reuelat coniugatis in bona fide viuentibus aliquod impedimentum matrimonij. Sylu. verb. matrim. 6. q. 9. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. Nauar. cap. 22. num. 89. & in cap. si quis autem. de pœnit. d. 6. num. 7. cum Adrian. q. de

confess.

confess. dub. 7. Dixi *indiscretè* quia si potest sine scandalo prodesse, tunc debet reuelare. Nau. consil. 42. de sponsal.

10 Decimumquartum dubium. An coniuges teneantur simul cohabitare, & conuiuere, in quo se mutuò debeant adiuuare, & familiam suam diuersis muneribus. Resp. affirmatiuè. probatur ex cap. literas. de restit. spol. & cap. 1. de sponsal. & matrim. Secundo probatur ex Gen. 2. *non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Tertio, ex natura, & finibus matrimonij quæ suo loco diximus.

8 Decimumquintum dubium. An vir propter dotem non solutam possit fugere cohabitationem. Resp. Couar. 2. p. cap. 7. citat aliquos iuris peritos, qui respondent affirmatiuè. cui opinioni non assentitur idem author. & benè. tum quia cohabitatio est de iure naturæ, ac idcirco non videtur hoc impedimentum excusare ab illo vtroque iure. tum quia Christus Matth. 18. dixit non licere nisi in causa fornicationis; ergo non est dilatanda hæc materia. nec obstat fundamentum contrariæ sententiæ, scilicet iniquum esse vt vxor alatur à marito sine dote quam promisit; quia ex hoc sequitur solum debere compelli per iudicem ad dandam dotem.

Decimumsextum dubium. An vxor teneatur sequi virum. Resp. affirmatiuè: probatur ex cap. vnaquæque. 13. q. 2. quoniam mulier est subdita viro, & tenetur cohabitare secum, & reddere illi debitum; ergo & sequi. Sed excipitur primo, quando est mulieri præiudicium salutis animæ, vel corporis; tunc enim non tenetur. Secundò, quando vir factus est vagabundus post matrimonium, nam si ante erat talis, tenetur etiam sequi nisi adsit periculum dictum. Tertio, si est serua, tunc enim debet esse cum domino. Quarto, si præcessit pactum de non mutando domicilio, non tenetur nisi superuenerit viro vrgens necessitas mutandi.

3 Decimumseptimum dubium. An maritus possit verberare vxorem. resp. primo ex Panor. cap. cùm contingat. de foro compet. virum non habere potestatem ordinariam in coniugem. neque vxor est in potestate viri sicut filius est in potestate patris. Confirmatur ex Gen. 2. vbi vxor data est socia homini, non vt famula. & facta est de costa Adæ, non de pedibus, nec de capite; sed de media parte viri vt socia. Secundo dico, secundum Panorm. & alios, in cap. quemadmodum. de

iureiur. potest leuiter corrigere; quia est caput eius; quamuis non de potestate ordinaria.

Decimum octauum. An ea quæ vxor lucratur; cedant viro, vel ipsi vxori. ratio dubitandi est; quia Panorm. cap. literas. de restit. spoliat. dicit, quòd lucratur viro. & ratio videtur fauere; quia vir habet regimen domus, & debet administrare; ergo & vxor debet etiam adiuuare in eadem administratione. ex altera parte d. Tho. 2. 2. q. 32. art. 8. & alij theologi docent posse mulierem de his quæ lucratur impendere ad libitum. Placet mihi conciliatio Nauarræ. cap. 17. num. 155. & Sylu. verb. vxor. q. 2. quòd prima opinio locum habeat quando vxor non dedit sufficientem dotem marito, tunc enim tenetur laborare pro viro suo, & pro domo, & sic lucra sua cedunt viro. Secunda habet locum quando dedit viro dotem sufficientem ad se alendum, & liberos. & addit Sylu. etiam hoc verum esse quando vxor lucratur pecunijs viri. Intellige hanc doctrinam cum triplici limitatione: Prima est, si vxor operetur in bonis viri pro vsu eius, vel familiæ, lucrum est viri. Secunda debet intelligi dummodo familia non indigeat. Tertia, nisi in aliquo loco, vel regno lucra essent communia. vt dicit Nauar. esse in hispania.

Decimumnonum dubium. An sub peccato mortali mulier teneatur obedire viro. Resp. primo, certum esse de iure naturæ, & diuino teneri Gen. 2. *sub viri potestate eris.* huius rei sunt quamplurimæ auctoritates collectæ 33. q. 5. Secundo dico, si ex contemptu, & obstinato animo non vult obedire in rebus licitis, peccat mortaliter. & etiam sine contemptu in re valde graui.

Vigesimum dubium. An vxor possit eleemosynas facere. Resp. negatiuè, simpliciter loquendo; conceditur tamen vt possit facere tantum quantum consuetudo moralis loci, & personarum patitur; vbi intelligitur tacitus viri consensus. & etiamsi vir negaret, potest mulier interpretari mentem viri, vt fiat scilicet eleemosyna sine excessu. Item posset quando vir esset absens, vel amens; præsertim si faciat propter bonum viri vel temporale, vel spirituale, vt fecit Abigail. 1. Reg. 25. de paraphernalibus autem certum est, quòd possit.

Vigesimumprimum dubium. An vxor possit aliquid bonorum abscondere quando vir eius est prodigus, lusor, &c. Resp.

potest

fiote st facere, & optime facit, nec tenetur in hoc obedire viro si præcipiat vt det.

Vigesimumsecundum dubium. An possit suæ nutrici dare, vel alteri, semel, vel pluribus vicibus quinquaginta aureos pro matrimonio, etiam de sua dote restituenda. Resp. negatiuè, etiam si dos sit vxori restituenda, tamen administratio dotis est penes virum.

Vigesimumtertium dubium. An possit vxor filios primi matrimonij alere de bonis communibus matrimonij. Resp. certum est de bonis proprijs qualia sunt paraphernalia posse. certum est etiam de bonis viri non posse; de bonis autem communibus distinguendum est: si filij primi matrimonij habeant iustam aliquam actionem vt sustententur ab vxore, tunc teneri virum sustentare illos, nec debere matrem inscio viro id facere, sed per iudicem debet id facere; quia quando transfertur dominium alicuius rei in alterum, transfertur etiam cum onere; at onus vxori sunt filij; ergo &c. si verò filij illi non habent actionem contra matrem, non potest mater illos alere sine viri consensu; fit enim iniuria viro, quandoquidem bona communia sunt.

Quoad secundum matrimonij bonum quod erat proles, sit in ordine

Vigesimumquartum dubium. Quotuplex est genus filiorum? Resp. est quadruplex: quidam sunt naturales & non legitimi, qui facti sunt secundum ius naturæ commune animalibus, & contra legem matrimonij; & ideo dicuntur naturales, & non legitimi. alij sunt legitimi, & non naturales; vt sunt filij spirituales, & adoptiui. Anton. in summ. 3. p. tit. 10. cap. 4. §. 10. alij sunt legitimi, & naturales; vt sunt omnes ex matrimonio legitimo facti. alij nec legitimi, nec naturales, vt spurij. Rursus illegitimorum est quadruplex genus secundum gloss. cap. nisi, de renunciat. quidam sunt naturales tantum, quidam nothi, quidam spurij, quidam manseres. inter hos est difficile assignare distinctionem; quia diuersimode ius canonicum, & ciuile distinguunt. naturales vocantur à iure ciuili qui ex concubina domi retenta nati sunt l. finali. ff. de concub. Nothi, qui ex meretrice: seu ex coitu qui lege punitur, vt ex incestu, adulterio, sacrilegio, d. Tho. in addit. q. 68. art. 1. Sot. in 4. d. 41. q. vnica. art. 4. & l. 4. de iust. q. 5. art. 1. Sylu. verb. filium. gloss. in cap.

nisi

nisi cum pridem. de renunciat. verb. manseres. Couar. epit. p. 2. cap. 8. §. 9. Scorto. Manseres, vel spurij qui ex parentibus inter quos matrimonium esse non poterat: dicuntur autem naturales, quia nati sunt ex naturali appetitu, qui communis est cum bestijs. Sed aliquando nothi vocantur ijdem qui spurij, dicuntur nothi quasi degeneres, quia degenerant. Spurij autem secundum Plutarchum in suis problem. cap. 103. dicti sunt ab agnomine quodam Romanorum, quod est *Spurius*, quod scribi solet duabus literis, S. & P. hoc modo S. P. quod deinde fuit interpretatum per primam literam S. idest sine & P. idest patre. scilicet, sine patre. Differentia est ex iure canonico vt dicantur naturales, vel nothi, illi qui ex non damnato coitu nati sunt, & tali, quod inter illos matrimonium esse poterat. spurij verò nati sunt ex parentibus inter quos matrimonium nec esse poterat. Secundo nota obiter, quidnam intelligi solet nomine mulieris subintroductæ apud nonnullas leges; nam Nicolaus cap. nullus. d. 32. meminit huius. & cap. interdixit. d. ead. concilium Nicæn. vetuit sacerdotes vel clericos habere mulieres subintroductas. & Chrysost. ser. quodam in quinto tomo, habet sermonem in eos habentes mulieres subintroductas. & Euseb. l. 7. cap. 30. dicit tempore Samosateni quasdam mulieres sequutas ipsum, quæ ab Antiochenis subintroductæ vocabantur. Archidiac. cap. nullus. d. 32. dicit esse quasdam mulieres conuersas, quæ religionis causa habitabant cum clericis, vel religiosis, quas nunc dicimus conuersas. Sed verius credo cum Chrysost. esse illas quæ cum carerent patre, vel tutore, vel cognatis, patrocinij causa assumebant clericos à quibus patrocinarentur. Tertio nota, præter hos illegitimos quadruplices dictos, omnes alios dici legitimos, idest omnes qui ex legitimo matrimonio nati sunt, quales etiã sunt illi qui inter infideles nati sunt, & in gradu prohibito per ius canonicum. etiam nati ex fideli, & infideli, quando matrimonium per conuersionem fidelis nondum est solutum inter illos, non tamen essent legitimi nati inter fideles, & iudæos qui nascerentur ex secundo matrimonio repudiata prima; quia secundum, non est matrimonium. Nec solum omnes hi legitimi sunt, sed etiam voco hic legitimum omne illud matrimonium, quod etiam si à parte rei inualidum esset, tamen in faciem ecclesiæ contractum est cum bona fide vnius tantum

contra-

contrahentis, hoc determinatur ex cap. tenore. est Innocentij III. & cap. peruenit. est Celestini III. tit. qui filij sint legitimi. & cap. cum inhibitio. & clandestini. despons. imo si fuerit his de valore matrimonij, lite pendente qui nascuntur filij, legitimi sunt; idem dico post latam sententiam facta legitima appellatione. ratio huius dicti est, quia ecclesia in his permittit, & vult coniuges simul cohabitare; ergo qui nascuntur ab illis habentur ab ecclesia legitimi. Quarto nota, horum filiorum aliqui sunt sub patria potestate, aliqui non. eximuntur à patria potestate filij, multipliciter; verbi gratia si pater fiat professus in aliqua religione. similiter si filius profiteatur. Soluitur etiam per Episcopatum. cap. per venerabilem. qui filij sint legitimi. & per cardinalatum, secundum gloss. in extrauag. execrabilis. de prebend. Ordo facer etiam presbyteratus non eximit à patria potestate. eximiour etiam per emancipationem. Quinto nota, summ filios illegitimos posse legitimari quoad omnes pœnas, & effectus eius; ratio est, quia istæ pœnæ, vel effectus sunt introducta per ius ecclesiasticum, vel cæsareum; ergo per eadem iura possunt auferri. & nota, aliud esse legitimare, aliud dispensare cum illegitimo; nam illud est auferre omnes pœnas, & facere quasi legitimum. istud autem est solum quoad aliquem effectum.

Vigesimumquintum dubium. An parentes teneantur alere filios. &c. Resp. affirmatiuè primo, quia vnusquisque debet conseruare secundum ius naturæ opus suum; sed filij sunt nati à parẽtibus; ergo &c. Secundo, quia educatio liberorũ est de iure naturali. ff. de iust. & iure. l. ius naturale; sed ad educationem pertinet alimenta præbere; ergo &c. ex hoc infero hoc etiam verum esse de filijs spurijs; quia ius naturæ etiam ad hos se extendit. Secundo, nulla lege aut consuetudine contrarium introduci potest, quia contra ius naturę nulla est lex, vel consuętudo. Tertio infertur, parentes non satisfacere huic iuri si exponant filios ad mendicandum; sicut nec satisfacerent curando vt filij in aliquo hospitali collocentur, quando id facere est contra decentiam filij; sicuti non satisfaceret is qui curam habet aliquem alendi ex testamento, si eum in aliquo Xenodochio reponat. Quarto infero hæredes patris teneri alere spurium. ratio est, quia hæres subit omnia onera defuncti. Quinto infero, teneri parentes dotare filias etiam spurias;

quia

quia hoc pertinet ad earum alimenta. intellige iuxta quantitatem pro alimentis debitam. Couar. epit. p. 2. cap. 8. §. 6. num. 11.

Vigesimumsextum dubium. An pater ex aliquibus causis excusetur à filijs alendis. Resp. aliqui dicunt non teneri quando contraxit matrimonium sine sua licentia. hoc falsum est, vt supra diximus. Imo Couar. cap. 8. §. 6. num. 4. dicit, quòd si filius contraxit cum honesta, tenetur & vxori dare alimenta. Alij excipiunt emancipatos, sed neque hic casus est sufficiens. vera exceptio est, non teneri patrem quando filius habet aliunde bona quibus ali possit. excipe etiam omnes illos casus quibus potest pater exhæredare filium propter aliqua crimina, quæ referuntur à summistis verb. hæreditas.

Vigesimumseptimum dubium. ex duobus parentibus vter teneatur filium alere? Resp. primo tempore, verbi gratia per triennium, tenetur mater; quia tunc indiget opera matris, vt lacte &c. intellige, nisi mater tunc non posset; quia tunc pertineret etiam ad patrem. reliquo tempore pertinet ad patrem, intellige, nisi pater non posset, vt si sit inops, &c. Panor. cap. cum haberet. de eo qui cognouit quam polluit per adulterium. ibi tenet Panor. filios ex adulterio genitos debere ali ex ambobus. Couar. dicit hoc sibi esse dubium, loco suprà cit. num. 13. sed ego obligarem patrem tanquam à se genitum.

Vigesimumoctauũ dubium. An mater teneatur lactare proprium filium. Resp. Omnino improbanda est consuetudo matrum non lactandi proprios filios. Ita apud Gregor. in Responsione ad Episcopos Anglorum. & August. in enar. Psal. 49. & in Plutar. l. de liberis educandis. tamen non sunt condemnandæ peccati mortalis, præsertim quando allegant morem patriæ suæ non esse vt lactent. &c. Item excusarem quando essent pauperes, nec possent vacare in liberis alendis. tunc possunt dare alijs qui illos alant, expensis tamen patris.

Vigesimumnonum dubium. An teneantur parentes dare filijs hæreditatem. Resp. ex 1. & 2. ad Cor. 12. *parentes debent thesaurizare filijs*. Secundo, quia filius non potest exhæredari nisi ob aliqua crimina; ergo sine causa non potest pater exhæredare filios. Confirmatur, quia portio legitima secundum omne ius dicitur esse de iure naturæ. Tertio, relicta ecclesijs dũ filij exhæredantur, nec valida sunt, nec iusta. antecedens est

Augu-

Augustini, & habetur cap. quicunque. 17. quæst. 4.

Trigesimum dubium. An teneantur parentes instruere filios in bonis moribus. Resp. affirmatiuè, & est de iure naturali; quia filius est aliquid patris; & quia pater est quodam totum respectu filij, ad totum autem naturaliter pertinet prouidere parti. Secundo, est de iure diuino, vt patet ex plerisque locis scripturæ. ad ephes. 6. *patres nolite &c.* est libellus Plutarchi de educandis liberis.

Trigesimumprimum dubium. An filij debeant parentibus amorem, obedientiam, & sustentationem. Resp. affirmatiuè, primo ex iure naturæ; quia pater est ad quem pertinet gubernare. Secundo ex iure diuino; vt patet ex Deuter. 21. Tob. 4. ad Hebr. ad ephes. &c. & infero primo, peccare grauiter filium qui vel odit, vel mortem patris desiderat deliberatè. qui toruis oculis patrem respicit. ita Angel. Sylu. Tab. & alij, verb. filij. Secudo infertur, peccare mortaliter filium, qui non obedit patri in rebus grauibus, & in his quæ pertinent ad curam domus, &c. Tertio, qui vel leniter percutit patrem, vel iniurijs lacessit deliberato animo secundum Riccar. in 3. d. 37. Quarto, qui non subuenit patri existenti in graui necessitate vel alendo, vel redimendo à captiuitate.

Vigesimumsecundum dubium. An ea quę filius lucratur sint patris, nec ne. Resp. & suppono primo, esse quadruplex peculium filiorum. Primum est castrense, & est lucrum, vel pecunia quam filius acquirit in bello. vel quod illi donatur titulo militiæ. Secundum est quasi castrense, quod filius acquirit ex officio aliquo publico, pro quo habet publicum salarium, vt est officium legendi, medendi, aduocandi, &c. Item omne illud quod lucratur filius clericus titulo clericali, vel aliquo beneficio; & quicquid ei obuenit post clericatum. Tertium est aduentitium, quod nec est castrense, nec quasi castrense, nec obuenit illi intuitu patris sui, neque ex pecunia patris, sed aliunde ex alia occasione: vel illi donatur, vel ipse sua industria acquirit, vel aliquo casu, vt ludo, &c. Quartum est profectitium, & est quod ipse recipit à patre, vel acquirit cum pecunia patris, vel intuitu patris. Dico igitur, prima bona quoad dominium, & quoad vsum fructus filius acquirit sibi, non patri. secunda bona etiam pertinent ad filium eodem modo. tertia bona quoad dominium, & proprietatem, sua sunt quoad vsum-

fructuum tamen sunt patris. Vnde nec pater potest lædere proprietatem illam, nec filius potest se intromittere ad vsumfructus, secus, fures sunt. quarta quoad dominium, & quoad vsumfructus, patris sunt. & in his vltimis dicit Sylu. verb. peculium. q. 1. quòd siue filius negotietur ex voluntate patris, siue non, ex pecunijs patris totum lucrum debet cedere patri. Sed Nauar. cap. 17. num. 144. admittit posse dari peculium quodam mistum ex aduentitio, & profectitio, quale est quando filius cum pecunia patris, & sua industria lucratur; & benè meo iudicio. Vnde sequitur quòd filio in isto peculio misto debetur aliquid, scilicet tantum quantum respondet suo labori, suæque industriæ. & debet intelligi suppositis duobus: Primo modo filius suo labore non tenetur sustentare patrem. Secundo, quòd filius saltem tacitè protestetur se laborare vt aliquis mercedis inde habeat, quòd si solum amore filiali faciat, & nihil protestetur, nihil ei debetur.

Trigesimumtertium dubium. Ad quid teneatur filius qui clam accipit de paternis bonis. Resp. certum est esse furem; quia filius viuente patre nullum habet ius in bonis patris. Vnde nec potest filius familiàs facere eleemosynas de bonis patris, nisi quantum concederet pater. quòd si quis extra domũ patriam, sit potest facere tantum quantum potest; quia pater tacitè consentire videtur. similiter nec potest filius familiàs ludere nisi valdè parum, quantũ pater intelligitur permittere. & hinc sequitur eos qui lucrantur ex filio familiàs teneri restituere. Sed an eodem modo filius familiàs teneatur ad restitutionẽ si lucretur in ludo ab eo qui potest alienare. Sot. l. 4. de iust. q. 5. art. 2. dicit teneri; ratio est, quia par debet esse vtriusque conditio. Resp. tamen meo iudicio non teneri alium ad istam restrictionem, quia nullus est textus qui hoc conuincat. tum quia ratio Soti non est efficax, sequeretur enim ex illa, quòd pauper non posset lucrari à diuite. Similiter contractus qui fit cum pupillo, & cum ecclesia in fauorem pupilli, vel ecclesiæ tenet, in præiudicium verò non tenet. Idem tenet Nauar. cap. 19. num. 12. limitarem tamen, nisi filius familiàs fraude decepisset aliquem, dicens se posse ludere multa, &c.

Trigesimumquartum dubium. An ea quæ pater viuens donauit filio, debeant computari in partem suam. Resp. affirmatiuè, quia secundum ius donatio patris in filium non tenet,

nisi

nisi in certis casibus, de quibus ad ius ciuile pertinet agere, tit. de donation. per hoc tamen non teneretur filius computare ea quæ pater consumpserit filio in vestitu, victu &c. non sunt computanda; quia propriè non est donatio, sed alere; quamuis illustrius agat cum vno, quàm cum alio filio. nec tenetur computare impensa pro studio nisi pater haberet apud se aliqua bona filij castrensia, vel quasi castrensia; quia tunc intelligitur impendere de illis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus. Hucusque de legitimis. dicamus nunc de illegitimis filijs. Sit igitur

Trigesimumquintum dubium. An filij illegitimi sint irregulares; & incapaces ordinum, & dignitatum, & hæreditatis. Resp. affirmatiue. probatur primo de ordinibus; ex cap. 1. & vlt. de filijs presbyt. & cap. is qui. tit. eod. in 6. ratio est; quia facile est filios imitari parentes. & in odium adulterij, & in fauorem coniugij matrimonialis. & consequenter sequitur sine dispensatione non esse capaces dignitatum; quia hoc competit personis ecclesiasticis. Nauar. cap. 27. nu. 201. & præsertim filij clericorum; de quibus Trid. sess. 25. cap. 15. de reform. & Nauar. cap. 25. num. 117. probatur secundo, de hæreditate, ex Codice de naturalibus liberis. & autentica quibus modis naturales filij possint effici sui. Sed est differentia inter spurios, & non spurios; nam naturales tantum non existentibus liberis legitimis, succedunt patri ab intestato in duabus vncijs tantum, idest in sexta parte hæreditatis. existentibus legitimis, potest ei pater testari vnciam vnam, idest duodecimam; hoc habetur supra, locis cit. matri verò ab intestato succedunt cum filijs legitimis. ita habetur l. siqua illustris. ad officianum senatum. De spurijs verò habetur ibid. quòd nec ab intestato, neque ex testamento, neque ex contractu à patre aliquid potest recipere. & secundum ius canonicum ista valida sunt; quia secundum Host. & Panorm. cap. nisi. de renunc. & Sylu. verb. filij. q. 3. quæ statuuntur de hæredibus à iure ciuili valida sunt, nisi ius canonicum contradicat. quòd si pater non habeat filios legitimos, vel descendentes, potest dictos filios instituere etiam in totum, legitima tamen seruata parentibus. si autem nec ascendentes nec descendentes habeat legitimos, potest illos hæredes instituere in solidum. quod valet etiam de iure canonico. & probat Sylu. ibid. n. 1. & ex Abbate. & gloss. in cap. tan-

ta. qui filij sint legit. Ista tamen non procedunt in filijs naturalibus. Sylu. verb. filij. q. 3. §. 3. Sed hic Nota, quòd spurius id est natus damnato coitu, neque patri, neque matri succedit in conscientia, tamen est alendus, quamuis aliter leges ciuiles decernant. vnde bastardi non dicuntur de parentela parentum, vt probat Sylu. verb. filij. q. 4. §. 2. Couar. epit. p. 2. cap. 8. §. 5. num. 15. eodem modo parentes non succedunt spurijs. Sylu. ibid. §. 3. Secundo nota, quòd prædicti spurij possunt institui hæredes ab extraneis. Sylu. supra. Item posset dare spurio quod daret alteri pauperi, si esset exequutor alterius testamenti. Similiter posset succedere fratri suo pupillo. Sylu. ibid. imo spurij & illegitimi sibi inuicem succedunt. Couar. ibid. num. 19. ex l. 2. l. si spurius. ff. Vnde cognati similiter possunt succedere cognatis deficiente legitima prole, & Auo, de quo vide Couar. supra. num. 13. & 19. Tertio nota, quòd filij presbyterorum nec etiam matri succedere possunt secundum Panorm. in cap. per venerabilem. qui filij sint legit. Sylu. q. 4. §. 7. Couar. supra. num. 17. idem dicendum est de filijs aliorum clericorum qui sunt in sacris. Sylu. & Couar. supra. ex his sequitur Primò, quòd spurius non potest tuta conscientia habere legata à patre suo, sed debet restituere hæredibus legitimis. Secũdo, quòd spurius non potest tuta conscientia retinere quicquid datur ab hærede instituto. Tertio, quamuis hic hæres dederit fidem patri de bonis dandis spurio, eaque daret; licèt hæres peccaret in ea promissione, quia est cõtra leges, tamen spurius posset tuta cõsciẽtia retinere; quia tale dominium nõ impediunt leges. Couar. epit. p. 2. cap. 8. §. 5. num. 8. Quarto sequitur, quòd cum hæres est institutus, non tenetur restituere hæreditatem spurio, licèt id promiserit patri, nec tenetur dare fisco, vt probat ibid. Couar. num. 9. quicquid dicat Sot. l. 4. de iust. q. 5. art. 1. Quinto, neque dictus hæres cogitur testificari de hac re in conscientia, nisi præcedente infamia interrogatus iuridicè. Couar. ∫. ∫ucit. num. 10. quæ autem cautela adhiberi possit in huiusmodi testamento in fauorem spurij, ponitur à Couar. supra. num. 11. & 12.

Trigesimumsextum dubium. Quid faciendum est quando genitus est filius ex adulterio, quem maritus putat esse filium suum legitimum. quid faciendum est vxori adulteræ, quid adultero; quid item confessario? tractatur hoc dubium in 4. d. 15. à

15. à theologis. & in cap. officij. de pœnit. & remiss. à canonistis. Resp. primo, vxor si credit se profuturam reuelando, & potest sine periculo vitæ, & famæ, tenetur reuelare. si adsit periculum vitæ, Sot. putat in vno casu teneri, quando ageretur de restitutione (verbi gratia) regni, vel maximę familiæ quę transiret ad alienam familiam. Alij contrarium docent, & benè; non teneretur ad hoc mulier nisi in fine vitæ. Si adsit periculum famæ, Sot. l. 5. de iust. q. 7. art. 2. dicit compensandam esse famam cum iactura rerum; & si æqualis est iactura, tenetur reuelare. Alij verò simpliciter negant. Caiet. opus. 31. tom. 1. responsi. 14. & Nauar. cap. 16. num. 45. Anton. 2. p. tit. 2. cap. 7. §. 4. ex fundamento illo communi, quòd nemo tenetur dare bona maioris momenti pro bonis inferioris ordinis, sed fama est bonum maius; ergo &c. quando autem non tenetur mulier reuelare, tunc debet satisfacere damna eo modo quo potest. verbi gratia, persuadeat filio vt fiat religiosus, vel satisfaciat de bonis suis paraphernalibus, vel de lucris suis, vel de dote, quando illam habebit. Secundo, filius adulterinus cui mater id reuelaret, nō tenetur illi credere, etiam iuranti. quòd si probationes essent tales vt ille non posset non credere, tenetur restituere damna. Tertio, Adulter etiam non tenetur credere, illum esse filium suum. si tamen crederet, vel deberet credere, tunc tenetur ad alimenta filij, & ad dotem filiæ, & restituere alimenta, si à patre putatiuo receperunt. ad alia verò damna, Sot. supra non videtur de rigore condemnare illum, sed tantum ex decentia. ratio est, quia non videtur causa proxima illorum duorum. Nauar. tamen, & Anton. supra dicunt teneri; quia licèt videatur magis proxima causa mater, tamen in illo genere peccati etiam ille est causa proxima; quare vtrunque obligarem. Quarto, quando talis aliquis accedit ad confessarium, debet hoc considerare, si pater putatiuus est mortuus, & filius adulterinus successit in hæreditatem, est obligandus ad restitutionem omnium damnorum. si non est mortuus pater, tenetur ad impensas pro illo factas, & prouideat etiam pro damnis futuris, quòd si pœnitens est proximus morti, relinquat hæredibus veris, non tantum quantum filius habuisset ex patre mortuo, sed quanto minus æstimatur portio in futurum habenda, cum isto dubio an talis filius sit habiturus, vel superuicturus.

Tri-

Trigesimumseptimum dubium. An illegitimo possint per legem negari alimenta. Resp. negatiuè, quia sunt de iure naturæ.& si pater negauerit, tenentur hæredes illi dare. Couar. cap.8.cit.§.6.nu.5.& est de iure canonico. cap. cùm haberet. de eo qui duxerit &c.Couar.ibid.num. 6. quamuis (vt dixi) spurio de iure ciuili negentur. hæc autem intelligenda sunt iuxta parentum facultatem, & filiorum etiam qualitatem. & præterea quando talis filius non habet vnde capiat alimenta, vt artem, industriam,&c. secus si haberet industriam. Couar. num.9. quòd si non possent præstare alimenta parentes, tenetur Auus, Abauus,&c.Couar.§.6.cit.num.16. ex his infertur, quòd pater tenetur dotare filiam spuriam sicut ad eam alendam.Intellige iuxta quantitatem pro alimentis debitam.Couar. num.11.

Trigesimumoctauum dubium. An filius illegitimus possit legitimari. Resp. affirmatiuè; quia cùm damna quæ incurrit filius illegitimus per legem inducta sint, per eandem auferri possunt.d. Tho.in addit.q.68.art. 3. Est autē legitimatio habilitatio illegitimi ad actus legitimos, ad quos ex illegitimitate erat inhabilis.Est etiam triplex legitimatio;plena,plenior, & plenissima.de qua Sylu.verb. illegitimus.Item vel est à iure, vel ab homine.Item legitimatio à iure fit tripliciter; vel à iure canonico tantum, vel à iure ciuili tantum, vel à iure canonico,& ciuili simul.de duabus,Sylu.& Couar. supra. de secunda agit copiosè Couar.epit.p.2.cap. 8. §. 2. quæ hic summatim referam.igitur.Dico primo,quòd iure canonico, & ciuili filij legitimantur per subsequens matrimonium. cap. tanta. qui filij sint legitimi.& l.cum quis.C.de naturalib.liberis. explico hunc modum: Primo, intelligitur quando filij concepti, vel nati sunt à parentibus tempore quo poterat inter eos esse coniugium. Secundo, intelligitur de omnibus illegitimis ex quocunque coitu genitis,modo inter illos potuerit esse matrimonium. Tertio, intelligitur siue filjj nati sint ante matrimonium contractum, siue post. imo etiam si in fine vitæ contrahat. imo si post natos filios contrahat aliud matrimonium, & illo finito per mortem contrahat deinde inter se, illi filij sunt legitimi. Quarto, intelligitur etiamsi natus sit filius ex clerico in minoribus, & beneficiato, vel ex monacho, siue moniali intra annum probationis; Couar. epit. p. 2. cap. 8. §. 2.

num. 5. Quinto, dummodo concubina Christiana sit tempore natiuitatis. nam si sit infidelis, non legitimatur filius etiam si postea illa conuertatur. Couar. ibid. num. 6. Sexto, etiam si matrimonio subsequenti interueniant matrimonialia instrumenta. ibid. num. 8. Septimo, etiamsi parentes sint dispares diuitijs. ibid. num. 9. Octauo, legitimantur etiamsi matrimonium contrahatur ab infirmo prope mortem, vel à sene decrepito cum concubina. ibid. num. 10. vnde filius sic legitimatus excludit substitutum sub conditione scilicet si institutus sine filijs legitimis decesserit. Nono, non requiritur ad hoc filiorum consensus, nam talis legitimatio fit à iure, etiam inuitis ipsis parentibus, vel filijs. licèt de iure ciuili generaliter requiratur consensus. ibid. num. 11. Decimo, talis legitimatio ob ingratitudinem non reuocatur. ibid. num. 14. & 15. Vndecimo, hæc legitimatio cùm sit de iure positiuo tolli potest. ibid. nu. 18. Duodecimo, hæc legitimatio comprehendit eos filios qui tempore coniugij facti viuũt; non autem eis mortuis ad finem vt legitimentur nepotes; vt probat Couar. num. 19. contra aliquos. Decimotertio, filius per subsequens matrimonium legitimatur quoad omnia, perinde ac si à principio ex legitimo matrimonio esset conceptus. ibid. num. 21. Sylu. verb. filius. q. 13. De legitimatione ab homine, vel rescripto principis, agit Sylu. supra. & alij. Dico secundo, secundus modus legitimandi est per ingressum religionis, sed solum quoad ordines sacros cap. 1. de filijs presbyteror. Dico tertio, tertius modus est ex iure ciuili; quando pater instrumento publico, vel priuata scriptura tribus testibus autẽticata, testatur illum esse legitimum autent. cum quis de naturalib. liberis. ratio est, quia præsumit ius ex tali testamento illum esse legitimum, quòd si contrarium constaret, verè non esset legitimus, etiamsi pater dicat. Item quando pater dat filium suum curiæ. vel ipse filius seipsum tradit. Dico quarto, quartus modus est per rescriptum principis; in quo seruanda est regula quæ seruari debet in omni rescripto primo, vt non sit surreptitium. cap. postulastis. de rescript. & cap. per venerabilem. qui filij sint legitimi.

Trigesimumnonum dubium. Ad quem pertinet legitimare. Resp. summus Pontifex quoad spiritualia potest legitimare omnes homines totius ecclesiæ, quoad tẽporalia, eos qui sunt sub suo statu directè. indirectè verò etiam omnes qui sunt in ecclesiæ-

eccle-

ecclesia. Episcopus potest legitimare quoad ordines minores, & beneficium simplex. Omnis princeps temporalis non habēs superiorem, potest suos subditos quoad temporalia. probatur prima pars; quia omnes pœnæ spirituales quibus afficitur illegitimus sunt penès Pontificem; ergo &c. & in statu suo habet dominium temporale sine vllo superiore. Sola difficultas est de alijs extra statum suum quoad temporalia. & in hoc licèt aliqui teneant Papam posse legitimare in toto orbe, communior tamen sententia est non posse nisi indirectè. probatur, quia in materia de clauibus, diximus Pontificem non habere directè dominium temporale totius orbis, sed solum quoad regimen spirituale. Confirmatur ex cap. per venerabilem. qui filij sint legitimi. probatur secunda pars de Episcopo, ex cap. 1. de filijs presbyt. in 6. intelligo quoad ordines minores tantum, & simplex beneficium. probatur tertia pars de principe temporali; quia talis princeps potest dispensare in legibus quas condit. sed illa pœna est secundum leges ciuiles, & humanas, ergo &c. hinc sequitur posse legitimare non subditum. Secundo potest etiam (vt credo) legitimare proprium filium vt subditum. Abbas cap. per venerabilem. supra. Petes, ad quē pertinet legitimare filios clericorum extra statum proprium. Resp. res est controuersa inter canonistas. melior opinio esse videtur, pertinere ad principes seculares quoad patrimonialia, non autem quoad ecclesiastica; nam hæc sunt iurisdictionis Pontificiæ.

Quoad tertium matrimonij bonum, quæ est sacramenti indissolutibilitas. Sit in ordine

Quadragesimum dubium. An matrimonium sit indissolubile aliquo iure, & quo iure. Resp. Hæretici crediderunt ex consensu communi licere dissolui. cui hæresi licèt Caiet. non consentiat, docet tamen tom. 1. opus. tract. 28. q. 1. matrimonium ex iure naturæ non dicere indissolubilitatem; ego dico, matrimonium esse indissolubile iure naturali, diuino, & ecclesiastico. explico; certum est nos loqui solum de indissolubilitate vsque ad mortem; nam post mortem etiam si resurgat alter cōiux, non tenetur in eodem matrimonio. Nec obstat illud ad Hebr. 9. *susceperunt mulieres in resurrectione mortuos suos*; quia loquitur de fide. probatur quòd sit indissolubile de iure naturæ; Primò, omni animali est commune parentibus com-

manere vsque ad educationem prolis si indigeat vtroque parente; sed secundum naturam speciei hominum, homo communiter, & rectè, non potest generare nisi anno ætatis vigesimo, proles etiam indiget parentibus communiter vsque ad vigesimum annum, & perfectum vsum rationis. Item communiter post quinquagesimum annum multi non sunt apti ad generationem; & vltimum filium debent educare simul vsque ad septuagesimum annum; post illam ætatem vterque parens indiget subsidio prolis; ergo semper debent manere simul. Secundo, si liceret ex iure naturæ facere diuortium, multa impedimenta contingerent circa prolem; nam separarentur forte ante prolis productionem. Deinde non posset educari neque in moribus, neque in corpore. item, quia parentes tenentur thesaurizare filijs de iure naturæ; ergo hoc iure est indissolubile. Tertio, pessimè haberet conuictus domesticus, qui est finis secundarius matrimonij; quia quisque coniugum sibi vacaret, & conaretur expilare alterum. Confirmatur ex vsu Romanorum, qui per 520. annos nesciuerunt repudium. quo tempore Spurius Carbirius ex Aulogel. l. 4. cap. 3. repudiauit suā, ante verò nunquam repudiauerunt. Probatur secundo esse de iure diuino indissolubilitatem, ex Gen. 2. *propter hoc relinquet homo, &c. & adhærebit vxori suæ*, (idest adhærere tenebitur, *) & erunt duo in carne vna* ad significandam indissolubilitatem personarum: Malach. 2. *noli despicere vxorem adolescentiæ tuæ. si odio habueris; dimitte illam dicit dominus; operiet autem vestimentum eius &c.* ergo erat iniquum repudiare. Matth. 19. *ad duritiam cordis nostri &c.* ergo &c. Rom. 7. *mulier alligata est legi quamdiu viuit vir eius.* & loquitur ad Iudæos. 1. Cor. 7. *si discesserit maneat innupta, uel recōcilietur viro.* Probatur tertio quod sit de iure ecclesiastico, in canone 47. Apostolorū. si quis laicus cū sua ipse dimiserit, &c. Cōcil. 6. generale can. 87. idem docet. Concil. Mileuit. cap. 17. Elibertinum cap. 7. Aphricanū 7. cap. 69. Innoc. I. epist. 2. ad Victriciū. Leo ep. 77. ad Nicetā. Alex. iij. cap. quæsiuit. & Innoc. iij. cap. quanto. de diuortijs.

Quadragesimumprimum dubium. An libellus repudij fuerit licitus inter gentes, & Iudæos. Resp. prima opinio est non fuisse licitum repudium apud Iudeos, nec gentes, sed illos peccasse, sed impunè permittebatur, sicut nunc meretrices. Idem dicunt de repudio. Ita Sot. Bonau. & Riccard. d. 33. & Lyranus

Deuter. cap. 24. & Matth. 19. Secunda opinio dicit fuisse licitum, & factum sine peccato ex diuina dispensatione. Ita Abul. in Matth. 19. q. 47. & 48. similiter Scot. Dur. Palud. Maior. Caiet. & Ledes. Ego dico libellum repudij licitum fuisse, & sine peccato permissum Iudæis, & gentibus; quamuis sit contra ius naturæ secundarium. Probatur primo ex scriptura, Deuter. 24. Vbi Deus dat legem repudij. Si autem solum esset impunè id permitti, daret occasionem peccandi; præsertim quòd iudæi viderunt legem claram, & praxim communem. Confirmatur, quia ibidem dicitur, ne semel repudiata iterum admittatur. neque repudiatæ liceret alteri nubere. quod tamen lex dicebat id posse fieri. Secundo, ex tali permissione si solum esset impunis permissio, multa peccata sequerentur. Primo, peccarent mortaliter dimittendo. Secundo, accipiendo alteram. Tertiò, semper essent in peccato mortali. Quarto, facerent vtranque mulierem esse in peccato. Quinto, facerent filios spurios. Sexto, hæreditas veniret ad spurios. Tertio probatur, si solum impunè, & non licitè permitteretur, sat fuisset dissimulare silentio, & non dare leges positiuas, vt facit lex humana in meretricio. nec satisfit his difficultatibus dicendo, quia alias viri occidissent mulieres nisi repudiassent. Primo, non est credendum, quòd ita facilè occidissent communiter. Secundo, pro hoc satis fuisset dissimulare, & non dare legem. Nec obstant ea quæ in superiore dubio dixi. nam primo, quòd sit de iure naturæ, & diuino, concedo; sed secundario. Secundo, ius diuinum non erat ita clarum; nam illud Malachiæ 2. poterat exponi quando dimitteret vir contra ordinem legis. & idem locus Malachiæ ostendit de se esse illicitum. licitum tamen esse per dispensationem diuinam. illud etiam Deuter. 24. non obstat; illud enim non significat illam talem dimissam fuisse, infamatam coram Domino. Illud Christi, *ad duritiam cordis vestri, &c.* non significat peccasse iudæos in illo; sed causam cur dispensasset cum eis. Petes primo, quid esset libellus ille repudij. Resp. erat schedula quædam in qua vir faciebat fidem vxori vt liberè contraheret cum alio. in illa dicunt aliqui solitam fuisse scribere causas repudij, quod non credo. Secundo petes, quæ erant causæ legitimæ repudiandi. dicunt Rabini fuisse causam fornicationis. hoc non placet; quia propter adulterium si erat publicum, lapidabantur. si erat occultum, erant

aquæ

aquæ Zelotypiæ. Alij dicunt fuisse causam odium magnum, quod credo verum esse, & ideo Christum Dominum dixisse, *ad duritiam &c.* Tertio petes, quando soluebatur matrimonium in illo casu, aliqui dicunt, quòd statim ac dabatur libellus repudij. alij verò vsque ad secundum matrimonium. Sed prima opinio videtur verior. Quarto petes, An licitè possint iudæi, & gentiles nunc repudiare. Resp. sublatam esse illam legem per ius euangelicum, quod reuocauit nos ad primum statum legis naturæ.

Quadragesimumsecundum dubium. An matrimonium infidelium soluatur per conuersionem fidelis. Resp. de matrimonio infidelium conueniunt catholici in multis. discrepant tamen an statim dissoluatur matrimonium, an non? Prima opinio dicit statim dissolui quando alter manens infidelis, non vult cohabitare; vel si velit, non sine contumelia Dei. ita Riccard. c. 39. q. 2. circa secundum principale. Angel. verb. matrim. impedim. 10. & gloss. cap. quanto. de diuort. Secunda opinio est eorum qui tenent non dissolui quousque non contrahunt secundum matrimonium, vel ingrediatur religionem; ita d. Tho. in addit. q. 59. art. 5. ad 2. Bonau. d. 39. art. 2. q. 2. Sylu. verb. matrim. 8. num. 10. Nauar. cap. 22. num. 49. Sot. d. 39. q. 1. art. 4. Ego dico, matrimonia infidelium si vnus ad fidem conuertatur, non hoc ipso dissoluitur. Imo si vterque conuertitur, vel vnus post alium, manet idem matrimonium, & de nouo recipit rationem sacramenti. Sed in casu quo alter manens infidelis nolit cohabitare cum fideli, vel non sine contumelia creatoris, aut scandalo, tunc habet fidelis ius contrahendi aliud matrimonium, non tamen infidelis; & statim ac contraxerit, vel professus fuerit probatam religionem, primũ dissoluitur. Extra autem hos casus licèt possit fidelis cohabitare cum infideli, non tamen tenetur. Probatur prima pars, ex 1. Cor. 7. *si quis frater infidelem habet vxorem, & hæc consentit habitare cum illo, maneat, non illam dimittat.* & subdit; *ego præcipio, non Dominus,* per quæ verba non significat contrarium esse præceptum Domini, sed consilium est Pauli, vt maneat. Probatur ex cap. gaudemus. de diuort. & cap. de infidelibus. tit. de consangu. & affinibus. & concilio Meldens. cap. si quis. 28. q. 2. Probatur ratione; quia matrimonia infidelium sunt vera matrimonia iu iure naturæ; ergo non tolluntur; nam

gratia non destruit naturam. & intelligo hanc doctrinam; etiam si matrimonium contractum inter illos infideles fuerit, in gradu prohibito iure ecclesiastico, ex dictis capitibus. Probatur secunda pars, (quòd scilicet si vnus conuertatur, &c.) Primo, ex ijsdem probationibus; quia si non soluitur, ergo manet. Secundo, quia quòd aliquando possit dissolui istud est in fauorem fidei, & fidelis; hæc autem ratio cessat nunc, ergo manet idem matrimonium. illud autem matrimonium fit sacramentum, quando post baptismum renouabunt consensum matrimonij, vel facerent aliquam solennitatem quoad hoc. Probatur tertia pars; in tribus casibus fidelem habere ius dissoluendi matrimonium: Primus est, quando fit infidelis & nō vult cohabitare. Secundus, quando etiam si vellet, tamen non sine Dei contumelia; quando blasphemaret religionem, &c. Tertius. quando induceret alterum ad aliquod peccatum, & est scandalum ei. Primus probatur ex cap. infidelis. 28. q. 2. & cap. quando. & cap. gaudemus. de diuort. & 1. Cor. 7. *si infidelis discedit, discedat. non enim frater, aut soror subiectus est in huiusmodi.* ex quo loco etiam colligimus de iure diuino esse. vt iste fidelis habeat hoc ius. & per illud quod dicit: *si infidelis discedit*, intelligimus omnes tres casus ex interpretatione ecclesiæ; capitibus cit. Dices; An extra hos tres dictos casus, licitè, aut validè possit contrahere matrimonium. Resp. crederem non licere; & si fieret, non validè; quia ius canonicum locis cit. ponit tantum illos tres casus. Verum est quòd vbicunque esset aliquod decretum vt fidelis conuersus non habitet cum infideli, vt est ex concilio Tolet. in Hispania. & si est aliqua praxis in aliquo loco, tunc credendum est illud decretum, vel illam praxim esse inductam propter aliquam illarum trium causarum; & ita validè potest fidelis contrahere, sicuti est praxis Romæ; quia statim abstrahitur coniux à coniuge. & in hoc nullus est scrupulus. Probatur quarta pars, dissolui matrimonium infidelium statim ac fidelis profitetur religionem; quia si non statim dissoluitur ac fidelis conuertitur, & habet ius in dictis casibus contrahendi nouum, ergo ipso facto per contractum secundum, manet dissolutum primum. Confirmatur ex cap. fidelis. de diuort. Probatur quinta pars, extra casus dictos posse fidelem habitare cum infideli, &c. ex praxi ecclesiæ primitiuæ. & ex 1. Cor. 7. vbi dicitur *non dimittat illam*

Iam &c. & licèt Paulus dicat; *non Dominus sed ego præcipio*; tamen d. Tho. non interpretatur illud verbum esse præceptum. notat autem d. Tho. in addit. q. 61. art. 3. ad 1. distinguenda esse tria tempora; vnum primitiuæ ecclesiæ in quo poterat fidelis habitare cum infideli. secundum successu temporis quando erant martyres, quo tempore gentiles conuertebantur, iudæi verò erant obstinati tunc temporis: dicit d. Tho. non licebat fideli cohabitare cum illis iudæis, cum concilium Tolet. 4. ita præcepit in hispania. tertium est nostrum, in quo nos sumus, in quo tenet d. Tho. non licere fideli conuerso cohabitare cum infideli remanente, siue iudæus sit, siue gentilis; cùm fine obstinati. Ego dico primò; sicubi aliquod decretum est, aut praxis, vt fidelis conuersus statim separaretur ab infideli, non debet commanere, vt est praxis Romæ. Secundo dico; quòd hoc tempore vbi cessarent illi tres casus, nec esset decretum, vel praxis in contrarium, habere potest locum consilium Pauli. 1. Cor. 7. ratio est; quia si motiuum propter quod Paulus id concessit, nunc vigeret. vigeret etiam consilium Pauli (sicut credo) in regionibus indiæ, vbi conuertuntur multi gentiles.

Quadragesimumtertium dubium. Si fidelis conuersus habuisset plures vxores secundum ritum infidelium, conuersus quam deberet retinere? Resp. sublatam esse nunc pluralitatem vxorum inter gentes; vnde dico: primã solum esse legitimã; & propterea si prima cõuertatur, cũ illa tenet matrimoniũ. quòd si cũ prima propter aliquã ex dictis causis dissoluitur, tũc de rigore nõ tenetur aliquã ex alijs accipere etiãsi cõuertantur. nã si nõ cõuertũtur, clarũ est non teneri; quia nullũ est matrimonium cum illis. Dices, cui sunt tradendi filij quando vnus infidelium conuertitur. Resp. si filij habent vsum rationis, persuadendi sunt, non cogendi vt sequantur cõuersum. cap. ad fidem. 23. q. 5. & cap. de iudæis. d. 45. si verò filius sit ante vsum rationis, tradendus est fideli siue sit pater, siue mater; cap. ex literis. de conuersione coniugat. & cap. iudæi. 28. q. 1.

Quadragesimumquartum dubium. An matrimonium inter Christianos dissolui possit propter fornicationis, & adulterij crimen. Resp. Eramus 1. Cor. 7. dicit dissolui. cui adhæret Lutherus. Caiet. item. 1. Cor. 7. & in Matth. 19. dicit de hoc nullam esse ecclesiæ definitionem. & Ambrosius Cather. l. 5. annot. contra Caietanum, in eandem inclinat sententiam. Ego dico,

dico, certa fide tenendum esse matrimonium propter causam adulterij superuenientis, non dissolui quoad vinculum, quoad torum verò dissolui potest, & debet. probatur ex Marc. 10. & Luc. 16. vterque horum dicit, *qui dimissam duxerit, mœchatur.* vbi intelligere debemus de dimissa etiam ex causa fornicationis. ergo signum est, non esse dissolutum vinculum eius quæ mœchatur, nec valet quod dicit Caiet. quòd illa exceptio repetenda est; quia esset melior conditio adulteræ dimissæ ex iusta causa quàm dimissæ causa iniusta. 1. Cor. 7. dicit Paulus, *ijs qui matrimonio iuncti sunt præcipio non ego, sed dominus à viro non discedere.* ex quo sic argumentor; Paulus non ponit exceptionem vniuersaliter; ergo &c. idē dicit *præcipio &c.* vbi relinquit præceptum domini esse, ergo insufficiens fuisset Paulus. item quia dicit *innuptam manere &c.* si non intelligeret in causa adulterij, non diceret, maneret innupta, sed deberet dicere omnino debere reconciliari cum viro. & quamuis Caiet. possit respondere, tamen scripturę exponendæ sunt iuxta interpretationem ecclesiæ. Secundo probatur ex decretis ecclesiæ & sanctorum, vt supra dixi. Ita etiam docet August. l. 1. & 2. de adulterinis coniugijs. Hierony. epist. ad Oceanum. Chrysost. in Matth. 19. Tertull. l. 4. contra Marcion. Ruper. in Gen. 2. Euthym. in cap. 5. Matth. Bed. 1. Cor. 7. Euarist. epist. 2. Innoc. I. ad exuperium. Alex. III. in cap. 9. parte. de sponsal. Innoc. III. cap. gaudeamus. de diuort. concil. Flor. hoc expressè habet. Tertio probatur ratione; quia talis praxis nunquam fuit in ecclesia; ergo signum est non licere fieri. Daretur etiam occasio multorum malorum si liceret accedere ad dimissam. & in Trid. sess. 24. can. 7. anathematizatur qui dicit contrarium.

Quadragesimumquintum dubium. An matrimonium ratum & consumatum dissolui possit per ingressum religionis. Resp. catholici conueniunt. Erasm. in dub. superiore citatus negat id posse fieri. glos. etiam iuris 27. q. 2. tenet, quòd si alter coniugum dat licentiam alteri ingrediendi religionem, non potest contrahere aliud matrimonium. si autem nolente vno alter ingrediatur, potest contrahere. communis opinio est dissolui matrimonium siue cum consensu, siue cum dissensu alterius. Vnde dico, matrimonium ratum, & nō consumatum, per vnius coniugis professionem in religione approbata soluitur, etiam altero

altero non consentiente. consumati verò matrimonij vinculum etiam de vtriusque consensu non dissoluitur, quamuis licitè profiteri possint. vnus tamen sine altero non poterit profiteri siue consentiat alter, siue non, nisi in tribus. Probatur prima pars, ex cap. verum. Alexandri III. de conuersione coniugat. & ex Trid. sess. 24. can. 6. probatur etiam ex praxi. Ita dicitur vocatus à nuptijs Ioannes Euangelista, vt ait Beda de Machario idem dicit Hierony. in vita eius. idem dicitur de Alexio. & habetur 22. q. 2. cap. scripsit. dixi *per professionem* quia non statim ac ingreditur, dissoluitur matrimonium. & ille qui ingreditur religionem non tenetur abreuiare annum probationis vt contrahat aliud. ratio est, quia ius concedit huic vt fiat religiosus, sed religio illum debet probare saltem per annum. dixi *in religione approbata*. Vnde si quis dubitaret, an per vitam Eremiticam dissoluatur matrimonium ratum. Resp. negatiuè, nisi Eremita emiserit votum religionis. Sot. etiam in 4. d. 27. q. 1. art. 4. dicit non solui matrimonium ratum per ingressum religionis militaris Sancti Ioannis; quia non videtur illi status ille qui dissoluat matrimonium. Sed ego contrarium dicerem; nam illa est vera religio. Secunda pars probatur ex cap. si quis coniugatus. 27. q. 2. & cap. ex publica. Alex. III. de conuersione coniugat. confirmatur ad Rom. 7. *Vir est subditus vxori quandiù vxor eius viuit*. si petas, quare ratum dissoluitur, & consumatum non; Resp. quia sic Christus instituit, & dispensauit interpretante ecclesia. cuius institutionis ratio est; quia ratum non ita perfectè significat vnionem Christi cum persona diuina sicut consumatum. & etiam ratio est ex parte contractus, quia non est accepta possessio in rato, sicut in consumato. Tertia pars probatur: Primo ex praxi ecclesiæ id fuit sæpe seruatum; nam B. Virgo vouit Virginitatem. sic & alij. Secundo ratione, quia religio post contractũ matrimonium non pugnat &c. Tertio, quia sancti hortantur coniugatas etiam ad castitatem. August. de bono coniugali. & Hilar. epist. ad August. 27. q. 2. & 33. q. 5. Quarta pars probatur, ex cap. cùm sis. cap. ad Apostolicam. cap. quidam. & cap. ex parte. de conuersione coniugat. excepi supra tres casus: Primus est, quando alter coniugum est prouectæ ætatis, vt sexaginta annorum, & sine periculo incontinentiæ, tunc poterit vouere castitatem perpetuam, & manere in seculo, altero ingrediente

diente religionem.cap.ad Apostolicam.& cap. cum sis. supra. & quamuis Scot.in 4.d.32. q.1. teneat id non posse fieri sine autoritate Episcopi, & sine illa nullam esse professionem alterius; tamen contrarium videtur, scilicet validam esse professionem, si à parte rei ita est, quamuis peccatum graue sit id facere sine Episcopi autoritate. Secundus casus est, quando alter coniugum incidit in hæresim, vel infidelitatem notoriam, tunc facto per autoritatem ecclesiæ diuortio, licebit etiam inuito nocente alteri ingredi, & proficeri religionem.cap. mulier.de conuer.coniugat. Tertius est crimen adulterij ab vno commissum, habetur cap. veniens. de conuersione coniug. ratio istorum duorum casuum est, quia in his potest innocens perpetuò negare debitum nocenti. & ista doctrina intelligitur ex parte criminosi. Petes primo, An extra hos casus vouens religionem tenetur ad aliquid? Resp. professionem nullam esse, & est reddendus alteri coniugi; & ipse vouens non potest petere debitum, quia quantum est de se debet seruare castitatem; mortua verò vxore tenetur seruare castitatem, non tamen religionem; quia verè non erat professus; nam ecclesia non acceptauit votum illud vt solenne, sed vt simplex. Secundo petes, quando aliquis ingressus est cum consensu alterius, & alter postea non ingreditur, quid agendum? Resp. Primo, si consentiens putabat ex ignorantia iuris se non teneri ad religionem, in isto casu dico professionem alterius esse nullam; si verò sciuit ius alter consentiens & consensit, cogendus est ad religionem. putarem tamen excusari quando etiam si sciret ius, protextatus est se nolle fieri religiosum, sed vt alteram tentaret ad religionem. Tertio petes; An qui semel facultatem dedit, possit illam reuocare. Resp. post factam legitimè professionem, non potest reuocare. Secundo dico, ante professionem si est causa iusta reuocandi, potest. Tertio dico, quòd sine causa iusta peccaret, reuocando ante professionem; sed tamen si reuocat iustè vel iniustè, ille non potest profiteri, quia nulla est professio.

Quadragesimumsextum dubium. An qui contraxit matrimonium ratum, & vult ingredi religionem, posit prorogare ingressum religionis, & consequenter negare debitum. Resp. per caput ex publica. de conuer. coniugat. vbi datur spatium duorum mensium volenti ingredi religionem, intra quos non

tenetur

tenetur reddere debitum. post verò debet ingredi, vel stare promissis.

Quadragesimumseptimum dubium. An vxor quæ volebat ingredi religionem, si inuita, & vi fuerit oppressa à marito, an possit adhuc ingredi. ratio dubitandi est, quia ex vna parte habebat ius ingrediendi religionem, & non est quare priuetur isto iure, cùm sit sine culpa sua. ex altera parte vrget; quia matrimonium est consumatum, & iura non concedunt nisi matrimonio rato. Resp. cum communi sententia non licere. Ita Riccard. in 4.d.27.q.4. in secundo principali. Dur. ead. q. 2. Couar. cap. 7. §. 4. num. 10. Hostiens. tit. de conuers. coniug. qui tamen cum aliis Sylu. verb. diuortium. q. 5. num. 9. & Panor. cap. verum. de conuers. coniug. dicant posse, quando coactio fuit absoluta, & ipsa non omnino consensit. ratio tamen videtur fauere primæ opinioni communi, quia natura consumati matrimonij est vt sit indissolubile. Addo tamen virum teneri ad satisfaciendum iniuriæ huic illatæ. & dubitari posset an ipse teneretur ad religionem.

Quadragesimumoctauum dubium. An per sacros ordines, vel per Episcopatum, soluatur matrimonium ratum, sicut soluitur per religionem. Resp. per extrauagantem antiquæ. quæ est Ioannis xxij. de voto, & voti redemptione negatiuè. dicit de assumptione ordinum. idem dico de Episcopatu iuxta communem sententiam. Palud. 27. q. 3. art. 3. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 3. & Sot. 27. art. 4. quamquam Hostiens. contrarium sentiat tit. de voto, & voti redempt. ratio est, quia ordo sacer, & Episcopatus, non pugnant cum natura matrimonij, sicut professio religionis.

Quadragesimumnonum dubium. An Papa possit dispensare in matrimonio consumato, vel saltem rato. Resp. est opinio paucorum iuristarum qui concedunt Papam posse dispensare. Detius cap. quæ in ecclesiarum. de constitut. citatur etiam Sigismundus quidam apud Couar. & Soncinas. Secunda opinio est, quòd Papa possit in rato non consumato. est communis canonistarum. Hostiens. in cap. ex publico. de conuers. coniug. Ioannis Andr. ibid. Archid. Felin. Nauar. cap. 22. num. 21. Sylu. vera. diuortium. q. 4. quibus adde Caiet. tract. 25. in 1. tom. q. vnica. & Cather. Tertia opinio est, quòd neque in rato Papa possit; est communis theologorum in 4. d. 31. Panorm. cap. ex

publico. Couar. cap. 7. §. 4. num. 14. Ego dico, Matrimonium consumatum nullo modo à Pontifice dispensari potest. de rato verò probabile est Pontificem posse dispensare. Probatur prima pars; quia nunquam legimus talem dispensationem fuisse factam in ecclesia. Confirmatur ex illo, *quos Deus coniunxit &c.* quem locum præcipuè exponunt de matrimonio consumato. Benedictus cap. ex diuina. 29. q. 2. Alex. iij. de conuers. coniugat. Secundo, quia talis potestas etiam si per accidens aliquando videretur vtilis tamen per se inutilis esset ecclesię, & præberet occasionem committendi multa incommoda. Secunda pars probatur à Caiet. supracit. rationibus quæ omnino non placent, & patet ex dictis. ratio quæ potest adduci ad probandam hanc partem; Prima est, quia id factum est à Pontifice. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 3. dicit Martinum V. & Eugenium IV. dispensasse. Nauar. cap. 22. num. 21. dicit Paulum iij. & Pium. IV. dispensasse. & durum est dicere hos errasse. nec valet dicere, quia hi Pontifices sequuti sunt opinionem probabilem canonistarum. nec theologos sequutos fuisse canonistas, & sic non errasse; nam hæ rationes non conuincunt. & hæc de hoc capite.

De impedimentis matrimonij. *Cap. V.*



AGunt de impedimentis matrimonij d. Tho. in addit. à q. 52. & seq. & Magist. in 4. d. 34. cum doctoribus ibid. & summistæ verb. impedimentum. Petr. Sot. à lect. 4. & Dominicus Sot. d. 34. Couar. cap. 6. & Anton. 3. p. tit. 1. à cap. 2. Nauar. de sacramento matrimonij. Hæc autem impedimenta duplicia sunt: quædam ita impediunt vt etiam dirimant contractum; quædam verò non dirimunt. primi generis sunt duodecim, his versibus contenta.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Hæc socianda vetant, connubia facta retractant.

horum

horum sufficientia videnda est apud Sot. d. 34. q. 1. art. 3. nunc sint dubia.

Primum dubium. An in ecclesia sit potestas statuendi impedimenta matrimonij. Resp. affirmatiuè, & est de fide. ex Trid. sess. 24. can. 4. de matrim. & est communis sententia catholicorum. probatur ratione: Primo, quia ad sacramentum matrimonij supponitur contractus naturalis, & ciuilis tanquam fundamentum; ecclesia autem potest statuere impedimentum, & conditiones contractus; quia in his fidelis subditur potestati humanæ; ergo potest statuere impedimentum matrimonio. quoniam verò hic contractus matrimonialis est ciuilis, in lege gratiæ pertinet ad rem sacram, cùm sit fundamentum sacramenti. ideo hæc potestas spiritualis est. statuere igitur impedimentum matrimonij pertinet ad ecclesiasticam potestatem. ita Palud. in 4. d. 26. q. 4. art. 3. ad 4. Victor. 2. p. relect. de matrim. & alij. Secundo probatur; quia materia seu subiectum matrimonij est homo qui subijcitur iuri humano. & consequenter ecclesiastica potestas potest reddere illum inhabilem, & ita subtrahere materiam sacramenti vnde reddatur nullum. in 4. q. 3. 4. & ibid. Adrian. q. de matrim. & alij communiter. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 10. num. 17. & recidit in idem cum prima ratione. Tertio, videmus inter gentiles fuisse constitutas leges de hoc. & est tit. de ritu nuptiarum. ff. ad legem Iuliam de adulterijs. Quarto probatur ex praxi ecclesiæ.

Secundum dubium. An etiam potestas laica possit statuere aliquid circa impedimenta matrimonij. ratio dubij est, quia cùm sit cōtractus ciuilis, & naturalis, videtur subesse potestati ciuili & temporali. Resp. quòd principes Christiani habēt potestatē super causis matrimonialibus fidelium sibi subditorū. sed hęc spectant ad ecclesiasticā potestatē, quia eorum contractus matrimonialis pertinet ad rationem sacramēti. & sic statuit Trid. sess. 24. c. 12. de matrim. & cap. 9. de reform. matrim. Sylu. verb. matrim. 2 q. 4. ex Panorm. Secundo dico, quòd si hi haberent subditos infideles qui non pertinent ad iurisditionē ecclesiæ, possent illis præscribere leges quæ matrimonium dirimāt iustas ob causas. Lede f. 2. 4. q. 56. art. 3. Tertio dico, quòd magistratus infideliū possūt idē præstare circa matrimonia infideliū sibi subditorum, quod factū esse patet ex l. sororis. & l. semper. & l. finali. ff. de ritu nuptiar. & docet d. Tho. in addit.

q. 50. art. vnico. ad 4. Victor. & Ledes. supra. Dices, An omnes prelati ecclesiæ habeant potestatem statuendi impedimenta matrimonij suis subditis? Resp. solum Papam id posse, & concilium vniuersale; Episcopos verò non posse statuere impedimenta. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 10. num. 16. & patet ex vsu ecclesiæ.

Tertium dubium. An Pontifex in omni impedimento quod est iuris positiui, validè dispensare possit; etiam si sine nulla causa dispansaret. Resp. affirmatiuè. patet prima pars: quia cùm ius ecclesiasticum subsit Pontifici, potest Pontifex tollere, & dispensare in suis legibus. Confirmatur ex d. Tho. 2. 2. q. 88. art. 10. probatur secunda pars: quia cùm valor legis pendeat ex voluntate legislatoris, per eandē voluntatem potest aliquis eximi. intelligo istud de dispēsationibus in lege merè humana; nam in ijs quæ pendent ex iure diuino; sine causa non potest Papa dispensare. Dices, an tam dispensator, quàm pentens sine causa, peccarent. Resp. affirmatiuè, quia facit contra id quod dicit Christus, *quis putas est fidelis seruus, & prudens. &c.* Confirmatur, quia facit contra æquabilitatem, quod esset peccatum mortale quando esset cum scandalo, vel damno aliorum. Quid si dispensatio esset surreptitia? Resp. est nulla. ex cap. super literis. de rescriptis. vbi habetur hæc regula; quando tacetur aliquid in impetratione, seu libello supplice, quod si poneretur difficiliorem redderet dispensationem, nulla est, & vocatur obreptitia. itē, quando aliquid falsi ponitur, dicitur surreptitia, & pariter nulla est. Vnde qui cum notitia impedimenti contrahit matrimonium vt faciliùs impetret dispensationem, si hoc taceat in hoc libello supplice, nulla est dispensatio concessa. colligitur ex Trid. sess. 24. cap. 5.

Quartum dubium. Quomodo fiat validum matrimonium, quod à principio non erat validum. Resp. quando matrimonium ita contractum est, vt alter coniugum, vel vterque nesciret impedimentum, illo cessante, non satis est vt validum fiat matrimonium eodem modo perseuerare sicut priùs, sed requiritur nouus consensus, etiam si qui consentit nesciat tale impedimentum gradus prohibiti, si alter qui sciebat à principio, vel postea sciuit, petat dispensationem, & obtinet; peto an satis sit perseuerare in eodem matrimonio sicut priùs, vel

aliud

aliud requiratur? Riccard. in 4. d. 29. circa primum principale. q. 3. tenet sufficere, quòd perseuerent eodem modo. Contrarium docet sententia communis. probatur, quia per illum consensum continuatum, & affectum maritalem continuatum non intendit iste de nouo contrahere matrimonium, sed solum perseuerare in præcedente; sed præcedens matrimonium nullum erat, & de nouo est contrahendum; ergo ille consensus nullus erat. Confirmatur; si quis contraxit cum serua ignorans conditionem, si deinde fiat liber, & ignoretur libertas ab eodem qui contraxerat, non est satis continuatio in eodem matrimonio, sed requiritur vt de nouo contrahatur; & hoc omnes concedunt; ergo debent concedere etiam illud. Petes, An sit necesse vt iste nouus consensus sit formalis, an satis sit virtualis? Resp. vnum certum est, quòd si impedimentum sciatur, virtualis consensus satis est. sed difficultas est, an possit esse iste consensus quando is qui contraxit adhuc nescit impedimentum præteritum, & inualiditatem præcedentis matrimonij. Scot. in 4. d. 35. q. vnica, tenet vt consensus sit validus opus esse vt manifestetur inualiditas præcedentis matrimonij, & impedimentum. Nauar. cap. 22. num. 47. tenet satis esse manifestare inualiditatem tantum, & non impedimentum. Caietanus opus. 12. tom. 1. q. 2. dicit neutrum esse necessarium. & ita tenet Sot. in 4. d. 17. q. 1. art. 2. & hoc verum est. & intelligo cessante impedimento; quia si non cessaret, nihil esset. probatur antecedens; si quid obstaret, esset error inualiditatis, & impedimenti; sed iste error non facit inualidum matrimonium, cùm non sit error neque personæ, neque conditionis; ergo tenet. Confirmatur; quia si aliquis contraxisset sponsalia quæ reuera nulla essent, sed ipse putaret esse valida, & ideo contraheret matrimonium de præsenti, iste error non irritaret matrimonium, & esset verum. addo tamen, quòd coniux qui occultat inualiditatem, & impedimentum, posset peccare mortaliter; quia est decipere alium coniugem.

Quintum dubium. De *impedimento erroris*. Quando error impediat matrimonium. Resp. & Nota ex l. 3. Ethic. cap. 1. duplicem esse errorem, seu ignorantiam; antecedentem qui est causa actus; & concomitantem; quando dum aliquis facit aliquid, habet ignorantiam rei; tamen si sciret, etiam faceret illud. Nunc suppono errorem diuidi quadrupliciter; vt habetur

can.

can.1.29.q.1.& Magistr.in 4.d.30. & alij communiter. Primo potest aliquis decipi circa personam, quando videlicet persona est alia ab ea quam credimus esse; & sic putauit Iacob esse Rachelem, & fuit Lia. Secundo potest decipi circa fortunam, vt quando quis credit personam esse diuitem, cùm sit pauper;& è conuerso. Tertio, circa qualitatem, vt cum putatur aliquis illustris, vel nobilis, qui tamen est ignobilis. Vel cum creditur esse virgo, cùm sit corrupta. vel creditur esse bonus, cùm sit malus. Quartus denique error est conditionis, videlicet seruilis, quando putabatur esse liber. Dicamus primo, de errore antecedente: hic error tollit consensum matrimonij; ergo hic non est matrimonium. probatur antecedens; qui cum hoc errore consentit, non consentit nisi in eum quem in animo habet, & non cum isto, ergo hic non est consensus. ex quo infero hoc impedimentum esse de iure naturæ. Secundo, de errore concomitante: ille qui cum hoc errore consentit, non consentit nisi in eum qui in animo habet; ergo non consentit in eum in quo decipitur, etiam si ita dispositus sit vt si sciret, non consentiret. Tertio, de errore personæ impedit, & dirimit matrimonium: vt quædam vult contrahere cum filio Ducis, & quidam fingit se esse ipsum, & illa consentit, hoc non est matrimonium. ratio est; quia quamuis hic error videatur esse qualitatis, tamen redundat in errorem personæ. & quoniam hoc est difficile distinguere, ideo sit hæc regula: quando ego consentio in filium talis Ducis; si is qui mihi proponitur se esse illum, non est ille; non est matrimonium. cum autem ego consentio in illam personam particularem, licèt ipse fingat esse illam, matrimonium tenet. sed simpliciter loquendo, error personæ impedit, & dirimit. probatur ex can.1.29.q.1.& ex communi sententia doctorum. d. Tho. in 4.d.30.q.1.art.1.& 2.& in addit.q.51.art.1.& 2. Ledes. 2.4.q.53.art.1. Sot.d.30.q.1. Palud.q.1.art.1. Riccard.art.1.q.1.& 2. Sylu.verb.matrim. 8. q. 1. Angel.matrim. 3.impedim.4.§.3. Armill. eod.§.4. Nau. cap. 22.num.32. Couar.epit.p.2.cap.3.§.7.num.1. Candel.nu.113. Probatur etiam ratione; quia vbi est talis error, non est consensus. l. si per errorem. ff. de iurisd. omn. iudic. hinc sequitur, quòd hic error iure naturali, & diuino, impedit matrimonium, vt notant ferè omnes in d.30.& hoc intelligitur etiam si iste error fuerit concomitans; sc. licet cum aliquis credit se contrahe-

trahere cum vna, & supponitur illi alia cum qua non contraxisset, vt notant Ledes. & Sot. quia reuera non consensit in illã. Quarto, de errore qualitatis, & fortunæ, dico: quòd hi errores non impediunt matrimonium quòminus validè contrahatur; vt habetur can. 1. 29. q. 1. & docent doctores citati. ratio est, quia talis error non subtrahit consensum in personam præsentem, sed quoad accidentalia; ergo &c. quòd si talis error redundaret in personam, tunc irritaret matrimonium. d. Tho. supra in solut. ad 5. Sot. art. 1. cit. & nos supra diximus.

Sextum dubium. An error conditionis seruilis tàm antecedens, quàm concomitans annullet matrimonium. Resp. quòd quando liber contrahit cum serua, quam putabat esse liberam, matrimonium est nullum. probatur ex cap. siquis ancillam. siquis liber. siquis ingenuus. 29. q. 2. & cap. proposuit. & cap. ad nostram. de coniugio seru. & ex communi sententia. d. Tho. d. 30. q. 1. art. 2. & d. 36. q. vnica. art. 1. & in addit. q. 51. art. 2. & q. 52. art. 1. Palud. d. 30. q. 1. art. 2. & d. 36. q. 1. art. 2. & d. 36. q. 1. art. 1. Riccard. ibid. art. 1. q. 1. Sot. d. 35. q. vnica. art. 2. verb. matrim. 8. q. 2. Rosell. impedim. 3. Armill. verb. matrim. §. 5. Nauar. cap. 22. num. 33. Couar. epit. p. 3. cap. 3. §. 7. vers. 49. de his impedimentis dirimentibus. Concedimus enim esse valde congruum iuri naturali, nam seruitus valde impedit redditionem debiti quod spectat ad solutionem matrimonij. Sed circa hæc sunt nonnulla dubia: Dices primo, Quid si liber contrahit cum ancilla quam putat esse liberam, ita tamen est affectus, vt si sciret illam esse ancillam etiam duceret in vxorem, an sit validum matrimonium? Resp. negatiuè, quia non est consensus positiuus, & absolutus in ancillam. consensus autem qui posset dari si sciret esse ancillam, non facit matrimonium nisi quando datus fuerit. ita Sot. art. 2. cit. Ledes. 2. 4. q. 53. art. 1. quicquid in contrarium dicat Palud. Sylu. Angel. & Nauar. supra, quos etiam possumus interpretari sanè esse validum quando quis ita contraheret, vt intendat se in illam consensisse cuiuscunque conditionis sit, etiam si sit ancilla. quod certè videtur voluisse Riccardus. Secundo dices, quid si aliquis contrahat cum ea quam putat esse ingenuam, cùm prius fuerit ancilla, sed iam libertate donata. Resp matrimonium tenere; quia hic non esset error conditionis seruilis, sed alterius qualitatis. Sylu. verb. matrim. 8. q. 2. §. 7. Angel.

gel.impedim. 4. §. 11. Rosell.impedim. 3. §. 1. Palud.d.36.q.1. art.2.concl.1.Couar.epit.p.2.cap. 3.§.7.num. 1. qui alios adducit. intellige dummodo talis sit donata perpetua libertate. alioquin esset nullum.Sylu.dicta q.2.§.3.Angel.c.6.Sot.d. 35. q.1.art. 2. Nota tamen quòd si seruitus adueniat matrimonio legitimè contracto,illud non dirimit.cap.per lapsum.29. q.2. & docet Palud.supra.art.3.Sylu.dicta q.2.§.11.Couar. cap. 6. §.1.Tertio dices,quid si aliquis contrahat cum ancilla quam putat esse liberam, quæ tamen post paucos dies donanda erit perpetua libertate,an matrimonium sit validum? Resp. negatiuè, quia esset error conditionis seruilis, cùm tempore contractus sit ancilla. idque procedit etiam si ignoranter eam cognoscat. Angel. Matrim.3.impedim.4.§.10.Sylu.matrim.8. q.2.§.5.Rosell.impedim.3.§.1.Nauar.cap.22.num. 33.Sot.d. 25.q.1.art.2.Palud.d.36.q.1.art.2.& est communis, quicquid aliqui velint,quos refert Palud. Dices quarto, quid si illam cognouit affectu maritali? Resp. communiter tale matrimonium esse validum. Sot. d. 35. q. 1.art.3.Nauar.cap.22.num. 32.Armill.matrim.§.7.Angel.§.10.cit.Palud.d.36.q.1.art.1. Riccar.ar.1.q.1.requiritur tamen nouus consensus vtriusque, vt ait Sylu.matrim. 8. q. 1. §. 6. An verò post Trid. necesse sit habere parochum,& testes, infra dicemus. Dices quinto, si seruus contrahat cum ancilla quam putat esse liberam,an matrimonium sit validum?Resp.affirmatiuè;Palud.d.36.q.1. art. 1.concl.3.Angel.impedim.4.§.4.Sylu.supra.q.2.§.2.Nau.cap. 22.num.33.Ledes.2.4.q.53.art.1. & est communis. ratio est, quia cùm sint paris conditionis,non deterioratur; Sot.supra. art.2. Dices sexto,si seruus contrahat cum libera putans eam esse ancillam, cùm tamen ipsa libera sciat esse seruum, an sit verum matrimonium? Resp.affirmatiuè;ex cap.siquis ancillam.cap.siquis ingenuus.29 q.2.& cap.proposuit.cap. ad nostram.de coniugio seruor.item ex communi sent.d.Tho.d.36. q.vnica.art.1.ad 1.& in addit.q.52.art.1.ad 1.Palud.ead. q. 1. art.1.Riccard.art.1.q.vnica.Sylu.dicta.q.2.ar.2.Angel. supra. §.2.Nauar. supra. & Sot. loco cit. probatur ratione; quia hic cùm conditio melioretur,non est error circa seruitutem. Nota tamen;quia olim hoc matrimonium erat irritum per ius ciuile.l.cum ancillis.C.de incest.nuptiar. vt Sot. Sylu. & Ledes. q.54.art.1.& alij.ex his confutatur glos.cap.siquis ancillam

supra

supra cit. vbi videtur sequi opinionem illorũ qui contraxerunt. Dices septimo; An sponsus cognita per contractum matrimonium vera seruitute, si non vult denuò contrahere, possit separari autoritate propria sine iudicio ecclesiastico. Resp. quoad separationem tori, potest; imo tenetur facere; quia esset fornicatio. Secundo, quoad habitationem potest separari propria autoritate, dummodo cessaret scandalum; puta si matrimoniũ fuit secretum, & de illo non est fama. quòd si ita non potest, requiritur sententia iudicis. ita Sylu. verb. matrim. 8. q. 2. §. 10. Angel. matrim. 3. impedim. 4. §. 14. Riccard. d. 36. art. 2. q. 2. Sot. d. 35. q. 1. ar. 2. posset tamē limitari hæc sentētia, quòd id liceret quādo quis nō posset per iudicē suũ ius obtinere, vt quia nō posset probare; tūc enim cessāte scādalo posset propria autoritate separari, alioqui deberet fieri per sententiam iudicis; quia nullibi datur ei facultas dicendi sibi ius. Dices octauo; An quando Dominus dat nuptui seruam libero, dissimulando seruitutem, teneat matrimonium; & an seruus in tali casu fit liber secundum ius ciuile ff. de ritu nupt. approbatum à iure canonico? ratio dubij est; quia videtur præcedere matrimonium in priori natura, ergo præcessit error; ergo non est matrimonium. Resp. affirmatiuè quoad vtrunque; & primo quòd teneat matrimonium, probatur ex cap. finali. de coniugio seruor. & est communis sententia doctorum supra cit. ita Hostiens. & Panorm. in dicto cap. finali. Sylu. verb. matrim. 8. q. 2. & alij. ad rationem dubij, quòd scilicet in tali casu prior est contractus matrimonij, quàm libertas quæ sequitur ex contractu; vnde quando fit matrimonium est reuera impedimentum conditionis seruilis; quare hac ratione motus Couar. videtur tenere oppositum. Resp. quòd in priori natura præcedit quidem matrimonium in genere causæ efficientis; sed in genere causæ materialis præcedit libertas; quæ licèt posterior sit quàm matrimonium, satis est quòd concurrant simul tempore; quia canones non sunt metaphysicè intelligendi. neque obstat lex hispanorum quam adducit Couar. qui non poterant irritare matrimonium, vt supra dictum est; cùm spectet ad potestatem ecclesiasticam, & spiritualem. probatur secundo; quòd fiat liber. idcirco enim fit liber, ne fiat præiudicium libero. & patet ex autent. de nupt. §. si verò ab initio. coll. 4. Panorm. & glos. in cap. finali. de coniugio seru. & ibi communiter doctores. &

cap. 1. tit. eod. Couar. epit. p. 2. cap. 3. §. 7. num. 1. Ledes. q. 54. art. 1. ad 3. Sot. d. 35. q. 1. art. 2. Riccard. d. 36. art. 2. q. 2. Sylu. matrim. 8. q. 3. art. 5. Nauar. cap. 22. num. 33. gloss. in cap. si quis ingenuus. 29. quæst. 2. & est communis. Dices nono; si dominus ducat in vxorem propriam ancillam, an de iure communi propterea ancilla consequatur libertatem? Resp. negatiuè, vt patet in autent. de triente, & semiss. §. vlt. & tenet Couar. supra. esset tamen validum matrimonium, quia scienter hic liber contrahit cum serua, vt supra dictum est. Dices decimo; si dominus tradat nuptui ancillam domino scienti suam seruitutem, & constituit illi dotem, & instrumenta dotalia, an ob id fiat libera, & matrimonium teneat? Resp. & dico primo, in foro conscientiæ si dominus consentiret solũ in dotẽ ancillæ non tamen in libertatẽ, illa nõ fieret libera in hoc casu, quia vir sciebat illam esse ancillam. Secundo dico, quòd siue fiat, siue non, matrimonium esset validum; quia liber scienter cum illa contrahit. Tertio dico, quòd de iure ciuili talis efficitur libera. est Panorm. in cap. illud. de præsumpt. Couar. dicto §. 7. num. 1. & est textus in l. vnica. §. sed & hi quis homini. C. de latin. libert. toll. ratio est; quia dos non datur seruæ. vt gloss. in dicto. cap. illud. ideo dans illam præsumitur facere illam liberam. Dices vndecimo; si ancilla consentiente domino nubat libero qui scit seruitutem illius, vel contrahat cum seruo, quamuis hic putet illam esse liberam, an propterea talis ancilla consequatur libertatem? Resp. negatiuè. d. Tho. in 4. d. 36. q. 1. art. 1. & in addit. q. 52. art. 1. & est communis. ratio est, quia nullibi definitum est vt hoc casu fiat libera. adde etiam, quòd tale matrimonium esset validum nisi aliunde vitiaretur, vt patet ex dictis. ex his infertur. Primo, quòd dominus non debet contradicere matrimonio seruorum ne consequantur libertatem. imo tenentur non contradicere, & non ponere impedimentum matrimonio, quandoquidem liberum est seruis (etiam domino contradicente) matrimonium contrahere, quia illud est de iure naturæ. d. Tho. 2. 2. q. 104. art. 5. Palud. in 4. d. 36. q. vnica. art. 2. Dur. q. 2. Sot. d. 35. q. vnica. & habetur q. 2. & in cap. 1. de coniugio seruor. & patet ex Paulo ad Galat. 3. *in Christo Iesu neque est liber, neque seruus*. idest quoad fidem, & sacramenta suscipienda, quæ scilicet ad vtilitatẽ institutæ sint. secus tamen est de sacro ordine, hac ratione quia in

his

his non est seruus; Vnde non potest impedire neque à cibo, neque à somno capiendo. Secundo infertur, quòd postquam seruus contraxit matrimonium, non potest dominus illum vendere in loco remoto ad quem non possit migrare vxor, quod procedit etiam si domino inscio, & contradicente contraxerit; & si secus faciat, peccat mortaliter. d. Tho. in 4. d. 36. q. 1. art. 2. ad 4. & in addit. q. 52. art. 2. ad 4. Palud. d. 36. q. 2. art. 1. concl. 3. Riccard. art. 4. q. 2. Sot. d. 25. q. 1. art. 1. ad 2. glos. cap. 1. de coniugio seruor. inclinat Sylu. verb. seruus. q. 3. quãuis aliqui dicant non peccare mortaliter; vt Scot. dicto art. 1. Nauar. cap. 22. num. 34. Angel. q. de errore conditionis. art. 2. ex dictis tamen patet, quòd prior sententia est probabilior; quia sic tenetur dominus non impedire matrimonium; ergo tenetur ad ea sine quibus frustra est hic contractus. intellige tamen, nisi dominus ad id graui necessitate cogeretur; vt notat Sotus, & alij. tunc enim teneretur postea cum posset redimere; vel si vxor sit etiam serua eius, simul eos vendere. Adde, quòd si vxor esset libera, & posset sine periculo animæ, vel corporis, tenetur sequi virum suum. Sylu. verb. vxor. q. 8. Couar. epit. p. 2. cap. 7. Panor. & alij. Tertio infertur, quòd postquam seruus contraxit matrimonium, non potest Dominus illum impedire quò minus matrimonialiter viuat cum vxore, quantum ratio, & æquitas postulat; quia alias frustra contraheret; dixi *quantum æquitas &c.* quia dominus non tenetur permittere vt tota die sit cum vxore, licèt id ipse petat; alioquin se liberaret omnino á seruitute, quod licet. & non licet seruo contrahere cum graui detrimento obsequi quod debet domino si potest aliter cõtrahere. & sic intelligitur potestas contrahendi inuito domino quam habet. Dices vndecimo; liberi qui nascũtur ex libero & serua, vel libera & seruo, sunt ne liberi? Resp. hoc patet ex l. partus. C. de reiuendic. partus enim sequitur ventrem. Confirmatur ex exod. cap. 21. *si dominus dederit ancillam suam &c.* Dices, an non pater est dignius principium? Cur ergo filius sequitur ventrem, & non patrem? Resp. propter certitudinem prolis sequi matrem. Secundo, quia mater dat corpulentiam proli.

Septimum dubium. de *impedimento voti Castitatis solennis*, quomodo dirimat matrimonium. Resp. quòd Votum diuiditur in simplex, & solenne. & hoc vel est annexum ordini sacro,

vel fiat tempore debito in professione religionis approbatæ. hic loquimur de vltimo. Quare dico primo, votum solenne in religione approbata tacitum, vel expressum, impedit & dirimit matrimonium. probatur ex cap. 1. de voto. in 6. cap. consuluit. qui clerici, vel vouentes. ex Trid. sess. 15. cap. 15. sess. 24. cap. 9. de sacram. matrim. & ex Clement. vnica. de consanguin. & affin. vbi datur excommunicatio latæ sententiæ contra eos qui sic contrahunt, vel celebrant eorum matrimonia. & est communis sententia. Palud. in 4. d. 38. q. 3. art. 5. Riccard. art. 7. q. 2. Dur. q. 1. Scot. q. vnica. d. Tho. q. 1. art. 3. q. 2. & in addit. q. 52. art. 2. Sot. d. ead. q. 2. art. 2. & 7. & l. de iust. q. 2. art. 3. Angel. verb. matrim. 3. impedim. 5. Rosell. impedim. 4. Sylu. verb. matrim. Nauar. cap. 22. num. 35. Candelabr. num. 129. Dixi *tacitum, vel expressum*; quia his duobus modis potest fieri votum, & professio, de quibus Sylu. verb. religio. & alij. eod. & verb. religiosus. Nau. in commentario de regular. nu. 73. Nota hic, quòd si ille qui in foro exteriori dicitur professus professione tacita habuit animũ non profitendi, vel habuit se negatiuè, nõ fuit professus quoad Deum, iuxta Nauar. supra. Vnde huius matrimonium esset firmũ quoad Deum, quamuis in foro exteriori esset aliter iudicandum. Adde prǽterea, quòd ex constitutione Gregorij XIII. matrimonium Iesuitarum qui post biennium probationis tria vota simplicia in societate Iesu emiserunt, esse irritum, si sine licentia superioris exierint. Dixi *Castitatis solennis*; ad excludendum eos qui fecerunt professionem tantum cum voto solius castitatis coniugalis, quales sunt commendatores sancti Iacobi, & alij similes; nam hi possunt verè contrahere, licèt sint professi. Nauar. in apologia de redditib. ecclesiasticis. q. 1. monito 56. quicquid dicat Sot. l. 7. de iust. q. 5. art. 3. Dixi *tempore debito*; quia si fit ante tempus, vel ante ætatem præfinitam à Trid. sess. 25. cap. 15. de regular. nulla esset professio, idest ante decimumsextum ætatis annum, & ante annum probationis. Dixi *religionis approbatæ*; quia si non est talis, non esset impedimentum, qualis esset tertius ordo sancti Francisci, vel sancti Dominici. Dices, voti solennitas dirimit nè de iure ecclesiastico? Resp. probabilius mihi videtur dirimere de iure ecclesiastico. probatur ex Bonifacio VIII. cap. vnico de voto. in 6. vbi expressè dicit solennitatem voti inuentam esse ex constitutione humana. & ex Trid. sess.

24. can.

24.can.9.vbi dicitur,non obstante lege ecclesiastica &c. ergo intelligit illam solennitatem esse ex lege ecclesiastica: hanc opinionem teneo cum Scot.in 4.d.38.q.1.Caiet. q.88. art.7. licet d.Tho.in addit.q.55.art.2.& Ledes.ibid.& Sot.d.38. q.2. art.1.& l.7.de iust.q.2.art.5.dicant quòd dirimat de iure naturæ. Dices secundo, An Papa possit dispensare in voto solenni? Prima opinio negat.d.Tho.supra.& q.88.art.11.Sylu.verb. votum.4.Secunda opinio affirmat.Scot.supra.Dur.in 4.d.38. q.2. Palud. ead.q.4.& hæc opinio mihi videtur probabilior, quare. Resp.affirmatiuè; Primo, quia est de iure ecclesiastico, vt supra dixi. Secundo, quia quòd votum solenne non possit dispensari, vel prouenit quia est de iure diuino, & hoc non;tum propter eandem causam;tum quia finis castitatis est verbi gratia contemplatio; sed Papa potest dispensare in isto fine,ergo & in castitate. Vel tertio,quia per hoc votum homo est consecratus Deo,& hoc non;quia similiter per ordinem sacrum homo Deo consecratur,sed Papa potest dispensare in ordine sacro,quia est de iure ecclesiastico; ergo &c. Vel quarto,propter traditionem, & hoc non, propter idem. Vel quinto,propter acceptationem,& hoc non, quia etiam Deus acceptat istud per ecclesiam,sed dispensatur in illo; ergo & in hoc.Tertio,probatur ex praxi ecclesiæ.Quarto,non obstat decretalis de statu monachorum,cum ad monasterium,quia debet intelligi stante monachatu.

Octauum dubium. de *impedimento cognationis.* Notandum est Primo, quartum impedimentum dirimens esse cognationem,& hæc est triplex:consanguinitas carnalis quæ fundatur in communi sanguine, qui sanguis est proxima materia seminis ex quo fit propagatio,altera est spiritualis, quæ contrahitur per baptismum,& confirmationem. tertia est legalis, quæ per adoptionem,quæ oritur ex vi legis,de duabus vltimis alibi.hic de carnali tantum,de qua d.Tho.in addit. q. 56. & Magist.in 4.d.40.& tit.de consanguin.& affin.Nota secundo,quid sit consanguinitas, quid gradus consanguitatis. Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite propinquo descendentium carnali propagatione contractum. ita Ioannes Andr.& alij,qui eum sequuntur.d.Tho.in 4.d.40.q.vnica.art. 1.& in addit.q.54.art.1.Sylu.verb.matrim.8.q.6.Sot.d.40.q. vnica.art.1,Couar.epit.p.2.cap.6.§.6. Candelabr.num.181.

Dixi

Dixi *vinculum*; quia est relatio coniunctionis inter consanguineos. dicitur *personarum*; vt excludantur bruta: illi enim possunt esse consanguinei inter se, inter quos potest ob sanguinis propinquitatem esse aliqua communicatio, & vnitas amicitiæ pertingere, cuius bruta non sunt capacia nisi impropriè. dicitur *ab eodem stipite propinquo*; vt designetur persona à qua ducitur origo consanguinitatis. Intellige igitur non stipitem remotum vt Adamum, sed propinquum; vt notat Sylu. & alij; quia alioqui omnes homines dicendi essent consanguinei, vt docet Palud. in 4. d. 40. q. 1. art. 1. Sot. supra art. 1. idcirco Couar. addit definitioni illam particulam, *propinquo*. hinc est quòd consanguinei vocantur propinqui, proximi, &c. Cognatio autem ideo non se extendit ad omnino remotos, quia paulatim deficit in descendentibus virtus progenitoris ad producendum sibi similem; nam filius non tantum recipit à parente virtutem producendi sibi similem, sed etiam parenti; similiter nepos auo, & ita deinceps. ita habetur in cap. consanguinitatis. 35. q. 4. ex Isidoro. & à fortiori intelligendum est esse consanguineas personas, quarum vna descendit ab alia; quæ ab vno stipite ducant originem; quia aliàs nullus ex posteris Adami fuisset eius consanguineus. dicitur *carnali propagatione contractum*, vt excludantur Angeli qui creati sunt à Deo, ideo non sunt inter se consanguinei. similiter nec Adam, & Eua. Christus tamen fuit consanguineus consanguineorum matris, vt notat Sylu. & Scot. ex carne enim inductus est. Consanguinitas verò distinguitur per lineas & gradus. cap. ad sedem. 35. q. 5. Est autem Linea ordinata connexio, & series personarum consanguinitate iunctarum. d. Tho. in 4. d. 40. q. vnica. art. 2. & in addit. q. 54. art. 2. Sylu. verb. matrim. 8. q. 6. §. 2. & communiter. Linea verò triplex est; vna est ascendentium, idest illorum à quibus ducitur origo, vt patris, Aui, Abaui, &c. altera est descendentiũ, idest eorum qui ab ascendentibus originem ducũt, vt filij, filiæ, nepotes, &c. tertia denique est, quæ vocatur collateralium, scilicet fratrũ inter se, & eorũ qui sunt filij fratrũ, & patrui cũ ipsis. Gradus autem est habitudo, vel mensura distantiæ personarũ, qua dignoscitur quãta sit distantia, vel propinquitas consanguinitatis personarũ quæ inter se cohærent; & sicut in scala, ita in qualibet linea cõsanguinitatis sunt plures gradus. Sed difficultas est, in quo gradu cõsanguinitatis duæ aliquæ

personæ iungantur. idcirco præsupposito quòd triplex sit linea, scilicet ascendentium, descendentium, & collateralium. Nota secundo, ad hoc cognoscendum esse tres regulas. Prima igitur regula est vna & eadem in iure canonico, & ciuili pro linea ascendentium, & descendentium. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 6. num. 7. & alij; nempe; quot sunt personæ inter se, tot sunt gradus, vna dempta. Vnde filia cum patre est in vno gradu; quia filia & pater sunt duæ personæ, & vna dempta superest altera. similiter neptis cum Auo, est in secundo gradu. & ita deinceps. Dices; quare dicitur vna dempta? Resp. quia gradus non est tantum vna persona, sed est inter duas, & ita numeratis omnibus personis, necessariò est deducenda vna. & in hac regula conueniunt etiam iurista. Pro linea verò transuersali, legista habent eandem regulam, & valdè differunt à canonistis; nam secundum iuristas duo fratres, vel soror & frater, sunt in secundo gradu, duo filij duorum fratrum sunt in quarto; & seruant isti eandem regulam. ratio diuersitatis videnda est in cap. ad sedem. 35. q. 5. Sed quoad matrimonium contrahendū etiam in foro seculari, standum est computationi canonicæ, iuxta gloss. l. iurisconsulti. vers. item liberi. ff. de gradibus. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 6. num. 8. & est communis. itaque in iure canonico in trāsuersali, seu collaterali linea est hæc secūda regula: in distantia æquali, idest quādo vterque distat eodē gradu à cōmuni stipite, quoto gradu distant ab eo, eo'ē etiā inter se. Vnde sequitur, q̄ cū duo fratres, sint in distātia æquali à patre, qui est communis stipes vtriusque, & vterque distet à patre in primo gradu, eodem etiam vterque frater distabunt inter se. & similiter vtriusque fratris filij sunt in secundo gradu; quia quilibet eorum cum Auo est in secundo gradu qui est communis stipes. Tertia regula; quando in transuersali, personæ distāt inæqualiter, sed alter distat plus à communi stipite, in iure canonico, in quo gradu remotior persona est cum communi stipite, eodē gradu sunt illæ personæ inter se; ut nepos vnius fratris, & filius alterius fratris sunt in tertio gradu; quia remotior gradus trahit ad se minus remotum. verbi gratia, filius fratris ab auo communi stipite distat in secundo gradu. & sic de alijs. Hic autem est animaduertendum; quòd quando petitur dispensatio à Pontifice in aliquo gradu prohibito in ista linea transuersali inæquali, de vtroque debet fieri mentio. ne

bi gra-

bi gratia, si sunt filij duorum fratrum, & duarum sororum &c. Sed circa hæc sunt aliquot dubia. Dices primo; vsque ad quem gradum de iure ecclesiastico consanguinitas impediat matrimonium? Resp. pro temporum diuersitate varia fuisse definita, vt ait Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 6. num. 9. nam Fabianus Papa prohibuit omnino matrimonium in tertio gradu; in quarto ita vetuit, vt contractum non dissolueretur. cap. de propinquis. 35 quæst. 2. Iulius verò I. prohibuit omnino matrimonium in septimo gradu. can. nullam. 35. q. 2. nunc autem ex definitione Innocentij III. quæ habetur cap. non debet. de consangu. & affin. prohibitio extenditur vsque ad quartum gradum inclusiuè. cui dispositioni standum est: quæ etiam denuò confirmata est à concilio Trid. sess. 24. cap. 5. de reform. matrimonij. Dices secundo, cur in gradibus qui non sunt prohibiti nec iure diuino, nec naturali, ecclesia induxit prohibitionem? Resp. vt ad plures amicitia extenderetur, & sic magis reipublicæ pax conseruaretur. Bonau. d. 40. art. 5. August. l. 5. ciui. cap. 16. & habetur in cap. cum igitur. 35. q. 1. d. Tho. 2. 2. q. 154. art. 1. vbi etiam ait hoc fieri propter reuerentiam affinitatis. Dices tertio, An sit aliquis gradus in quo de iure diuino prohibitum sit contrahere matrimonium. Resp. hoc tempore nullum gradum prohibitum esse de iure diuino, nisi qui prohibiti sunt de iure naturali. ita Sot. l. 2. de iust. q. 5. art. 4. & in 4. d. 40. q. vnica. art. 3. concl. 1. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 10. num. 1. hinc sequitur, quòd gradus prohibiti cap. 18. Leuit. nunc non obligant; cùm lex illa quatenus erat cæremonialis cessauerit ex communi sententia doctorum. & patet ex cap. 1. de Purific. post partum. d. Tho. 1. 2. q. 104. d. 3. Sot. Couar. supra cit. Caiet. 2. 2. q. 154. art. 9. Sylu. verb. matrim. 8. q. 6. §. 5. Neque obstat cap. literas. de restit. spol. vbi ait illos gradus esse prohibitos lege diuina; nam intelligitur de lege diuina positiua tunc data à Deo, non de naturali. eodem modo exponi potest cap. in quibusdam de decimis. cum autem textus dicit Papam in illis non posse, neque côuenisse dispensare, intelligitur quoad prohibitos iure naturæ, in quibus non potest. in alijs verò cùm nô expediat, rarò consueuit dispensare. Dices quarto; Qui gradus sint prohibiti iure naturæ, & quinam iure positiuo in linea ascendentium. Prima opinio est Caiet. 2. 2. q. 154. art. 9. præter primum gradum nullum alium iure naturæ esse prohibitum

Secun-

Secunda opinio est Soti.d.40.q.vnica.ar.3. esse irritum in primo & secundo gradu. Tertia est Couar.cap.6.§.6.num.12 vbi ait, vsque ad 10. adhuc vigere. in 30. non permanere. Quarta est, quòd nullis limitibus terminatur, & in infinitum protenditur; est Scoti d.4.q.vnica.Riccard.ead.q.4.Dur.q.vnica. art. 2. Abb. cap. non debet. de consanguin.Anton.Palud.Gabr.& aliorum. Vnde Resp. quoad lineam ascendentium,& descendentium, prohibetur & irritatur matrimonium iure naturæ in primo, & secundo gradu. Scot. Palud. Riccard. Dur. Gabr. supra. & Maior in 4. d. 40. & alij.& quidem de primo gradu est certissimum. de alijs verò gradibus probabilius est; etiam remotissimis.multa apud Couar.epit.p.2.cap.6.§.10. num. Sot. d.40.q.1.art.3. in illis enim gradibus licèt ius naturæ indecẽtiam cernat, non tamen irritat. de primo gradu probatur primo; quia pater & filia, sicuti filius & mater, sunt vna caro: & propterea est nimis notabilis irreuerentia. Secundo; quia omnis gens etiam barbara abhorret hoc. licèt non sit intrinsecè malum (quod est contra Caietanum supra) quia potest à Deo dispensari. probatur de secundo gradu, ex l.finali.ff.de ritu nupt. vbi dicitur secundum gradum prohibitum esse in iure gentium, idest omnes gentes hoc agnoscunt. & Hieronym. vocat hunc ritum bestialem. Confirmatur; quia nepotes, vel neptes, sunt quasi filij. & auia, vel auus, sunt quasi parentes. Probatur de alijs gradibus; quia consanguinitas est sicut amicitia, quæ post longam seriem quasi deperditur. Dices quinto, qui gradus sunt prohibiti in linea transuersali? Prima opinio est, nullũ gradum esse prohibitum donec sit irritum iure naturæ; est Caietani 2.2.q.154 art.9. Secunda opinio dicit esse prohibitum in primo, & secundo gradu. Bonau. in 4.d.40.q.2. Vuald. tom. 2. de sacram.cap.134.Riccar.& Sylu. Vnde dico, quoad lineam collateralem prohibitum est in iure naturali contrahere in primo gradu, quicquid dicat Caiet. probatur ex August.& habetur cap.cum igitur.35.q.1.& ex communi sententia. Palud. in 4.q.1.art.3. Abul. in Leuit. cap.18.q.5. Cater.l.5. contra Caiet. Anton. 3. p. tit. 1. cap.14.§.2.Couar.epit.p.2.cap.6.§. 10.num.5.& accedit Sot.d.40.q.1.art.4.& alij. Neque obstat, quòd Gen.29 Abraham duxit Saram sororem, quæ fuit neptis, secundum Hieronym.& August. vt habetur cap. dum quæritur. 22. q.2.& d.Tho.2.2.q.110.art.3; Sot. art. cit. Couar. & alij cõ-

 muni-

muniter. Vocatur autem soror sicut Loth dicitur frater eius cum esset frater Saræ. & similiter Thare vocat patrem cùm esset eius auus more scripturæ. sic Daniel. cap. 5. Nabuchodonosor dicitur pater Baldasar, cùm esset eius patruus secundum Hieronymum. & habetur can. nam & Rex. de verb. signif. quòd si teneas fuisse veram sororem, dicas illam duxisse ex diuina dispensatione. probatur etiã ex l. 1. & 2. Polit. cap. 2. vbi Arist. ait, naturam abhorrere hanc coniunctionem. & ex August. l. 15. ciu. cap. 16. & cap. gaudemus. de diuort. In illis autem gradibus collateralium, non est irritum matrimonium iure naturæ secundum Caiet. Sot. & Couar. supra. Castr. l. 1. de lege pœnali. cap. vult. Victor. relect. de matrim. p. 2. probatur ex cap. gaudemus. de diuort. & concil. Trid. sess. 24. cap. 5. de reform. matrimonij. vbi in secundo gradu ex causa publica concedit posse dispensari; ergo &c. requiritur autem grauis causa dispensandi; quia etiam de iure naturæ est indecens etiam extra primum gradum collateralium inter auunculum, vel patruum, & filiam sororis, vel fratris, & magis inter amitam vel materteram, & fratris aut sororis filium; vt Sot. & Couar. supra. & Ambr. l. 9. epist. 66. & hoc modo exponendi sunt sancti qui irritãt hæc matrimonia; intelligendi enim sunt, quia habent indecentiam. Inter alios autem consanguineos collateralium de iure naturæ non est illicitum, nec indecens contrahere, quicquid alij dicãt. imo nec etiam esset peccatum veniale. Dices sexto, An in quarto gradu Papa possit dispensare. Resp. in primo gradu tam ascendentium, quàm descendentium, & collateralium, non posse Papam dispensare; quia non potest Papa dispẽsare in his quæ sunt de iure naturæ, iuxta Clementinam ne Romani. & Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 9. num. 9. & est communis sententia. Secundo dico, in reliquis posse; vt patet ex Trid. sess. 24. cap. 5. de reform. matrim. intellige tamen in linea collaterali. & hoc intelligendum est etiã si gradus prohibiti sint. Leuit. cap. 18. qualis est inter amitam, & materteram, & fratris vel sororis filiam; quicquid dicat Palud. Sylu. & alij supracitati. qui tenent adhuc illos gradus esse prohibitos iure diuino. quare notandum est, quòd si teneas aliquos ex dictis gradibus esse de iure naturæ, consequenter oportet dicere, Papam non posse in illis dispensare, vt dictum est supra. Dices septimo, An Episcopus possit dispensare in aliquo gradu consanguini-

guinitatis.Resp.negatiuè.Couar.epit.p.2.cap.6.§.10. nu. 11. Nauar.cap.22. num. 85. nisi in casu quem affert ibid.Nauar. Item nec legatus à latere, nisi ex speciali facultate. glos. in cap.quia circa.de consangu.& affin. & ibid. doctores. Couar. supra.& praeterea nec consuetudo hæc potest abrogare, cap. quod super his.de consangu.Couar.dicto §.10.nu. 18. quæ autem causæ requirantur ad dispensandum, & si sine causa valeat dispensatio, alibi dicetur.

Nonum dubium. De *cognatione spirituali*, quando dirimat matrimonium.Resp.& pro solutione nota primo,quòd cognatio spiritualis est vinculum nascens ex sacramento baptismi, & confirmationis,& susceptione.cap.finali.de cognat.spirit.in 6.& est communis sententia. Vnde ex alijs sacramentis non resultat talis cognatio.quare confessor peccans cum confitente non committit incestum,vt notat Sot.in 4.d.42.q.1. art. 2. Nota secundo, quòd cognatio spiritualis impedit matrimonium subsequutum non de iure naturæ, vel diuino, sed ecclesiastico;vt patet cap. de eod.30.q.1.& toto tit.de cogn.spir.& cap.1.tit.eod.in 6. & est communis sententia. Dixi *subsequutum*;quia si huiusmodi cognatio superuenit matrimonio contracto,nullatenus dirimit,vt decreuit congregatio concilij. & hæc est doctrina d.Tho.in 4.d.42.q.1.art.1.concl.2. Riccard. art.1.q.1.Dur.q.1.Sot.q. 1. art. 1. Caiet. verb.matrim.in hoc impedimento.Sylu.verb.matrim.8.q.7.§.2.Angel. matrim.3. impedim.7.Anton.3.p.tom.1.cap.15.Nauar.cap.22. num.36. & 40.Couar.epit.p.2.cap.6.§.4.num.1.Petri Sot lect. 11. de matrim. Candel.num.146.Tertio nota, fuisse institutam dictã cognationem in dictis prioribus sacramentis; quia in his reperitur quædam peculiaris generatio spiritualis.d.Tho.Riccard. Sylu. supra. Sot. art.2.cit.hinc sequitur primo,quòd ex baptismo,vel confirmatione quacunque,non contrahitur cognatio spiritualis. Secundo sequitur, quòd neque contrahitur ex catechismo,vt habetur cap.contracto.de cogn.spir. & cap. per catechismum.tit.eod.in 6.& communiter doctores. contrahitur tamen cognatio per catechismum qui impedit, sed non dirimit;vt infra.Tertio sequitur,quòd nec oritur ex ritibus,& cæremonijs reliquis quæ suppleri solent quando puer est domi baptizatus, vt notat Petrus Sot. supra cit. Armill. verb.baptismus.num.35.Nauar.cap.22.num. 40. qui etiam

monet parochos vt hos distinctè notent in libro, vt sciant qui nam in baptismo, & quinam in catechismo tenuerunt, iuxta concilium Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. matrim. Sed hic sunt nonnulla dubia: Dices primo, An facto matrimonio superueniens cognatio impediat? Resp. Primo, nullo modo dirimit. Secundo, impedit quantum ad petitionem debiti. colligitur ex cap. si vir. de cognat. spirituali. & cap. ad limina. 30. q. 1. quamuis illa capita non dicant hoc expressè, sed doctores id colligunt ex illis. Intelligo hanc doctrinam nisi in casu necessitatis, vel ignorantia id factum sit. Dices secundo, An hoc impedimentum contrahatur ex baptismo minus solenni, vt ex baptismo domi celebrato. Resp. affirmatiuè. nam hoc fit propter sacramentum. & de baptizante certum est, Sot. in 4. d. 42. q. 1. art. 1. Couar. §. 1. num. 4. & omnes communiter. de tenente verò puerum, seu de patrino, quamuis Sotus non audeat affirmare, tamen tenendum est, quòd & qui tenet, & qui baptizat sic priuatè, contrahunt. est enim eadem ratio ac si in ecclesia leuauerit de fonte in baptismo. conuenit enim eodem modo ad generationem spiritualem. ita Nauar. cap. 22. num. 40. Angel. matrim. 3. impedim. 7. §. 21. Sylu. matrim. 8. q. 7. & in 7. Rosell. impedim. 6. num. 13. Tab. impedim. 5. §. vlt. & omnes communiter. Patrinus verò non quia portat, nec quia tenet in catechismo, contrahit; sed quia tenet quando baptizatur, vel quia leuat de fonte. nec refert vtrum teneat carnes pueri, an vestes. nec tenetur respondere baptizanti. Sot. supra. art. 2. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 1 5. §. 3. Rosell. imped. 6. §. 22. & pro hoc facit cap. veniens. de cognat. spir. quamuis alij oppositum dicant. vt refert Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 4. num. 7. Dices tertio, An qui nō est baptizatus si teneat aliquem in baptismo, vel baptizaret, contrahat cognationem spiritualem, nec ne? Resp. negatiuè; quia cùm ipse non sit generatus spiritualiter, non potest dici generare spiritualiter; in quo omnes conueniunt. d. Tho. in 4. d. 42. q. 1. art. 3. q. 1. ad 3. & in addit. q. 56. art. 3. ad 3. Palud. d. 42. q. 1. art. 1. concl. 3. Riccard. q. 3. art. 1. Sot. d. ead. q. 1. art. 3. Dur. q. 1. Nauar. cap. 22. num. 36. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 15. §. 3. Sylu. matrim 8. q. 7. §. 12. & hoc procedit etiamsi baptizatus sit catechumenus, nō enim contraheret cognationem spiritualem. Sot. supra. quamuis contrarium dicat gloss. quam sequitur Angel. matrim. 3. impedim. 7. §. 10. Rosell. impedim. 6. §. 26.

qui

qui volunt q non baptizatus si baptizaret, contraheret cognationem spiritualem; secus si solum teneat. idem Sot.d.4.q.vnica.art.5. Dices quarto, An hæreticus, vel schismaticus si baptizat, illam contrahat? Resp. affirmatiuè; Nauar.cap.22.num.36. Sot.supra.q.1.art.3. quamquam hi adhoc munus non sint admittendi sine vrgente extrema necessitate. Dices quinto, An qui non est confirmatus, si teneat aliquem in confirmatione, contrahat cognationem spiritualem? Resp. affirmatiuè, dummodo sit baptiaatus. Rosell. impedim.6.§.26.Sylu.matrim. 8. q.7.§.12.Tab.impedim.5.§.2.Sot.d.42.q.1.art.3. quicquid in contrarium dicat Angel.matrim.3.impedim.7.§. 10. & verb. confirmatio.§.11.Victor.de confirm.q.51.qui tenent non contrahi à non confirmato. & alij, quos refert Sylu. verb. confirmatio.q.vlt.Dices sexto, inter quos contrahitur cognatio spiritualis. resp.olim erant tres species eius, paternitas, compaternitas, & fraternitas. de quibus Nauar.cap. 22. num. 36. & alij.nunc autem post concilium Trid.sess.24.cap.2.de reform. cessauit fraternitas, & aliqua ex parte compaternitas; & contrahitur solum inter baptizantem, eiusque patrem, & matrem. similiter inter suscipientem, & baptizatum, eiusque patrem, & matrem. & sic in confirmatione. quare inter ipsos patrinos nulla contrahitur cognatio; vt notat Nauar.cap. 22. num. 39. Dices septimo, An si nulli nominentur patrini, & plures tangant baptizatum, omnes contrahant cognationem? Resp. probabile est omnes contrahere iuxta ius antiquum. Nauar.cap. 22.nu.29 Quid si tres nominẽtur, & admittantur patrini? resp. omnes contrahunt. Nauar.consil.4.de cognat.spirit. Dices octauo, An si duo eiusdem sexus suscipiant baptizatum, ambo contrahant? Resp. primo, si vnus sit nominatus, ille solus contrahit cognationem. Secundo, si nominetur vterque, contrahit vterque. Tertio, si nominentur duo eiusdem sexus, vterque contrahit, vt patet ex dictis. Quarto dico, quòd sacra congregatio statuit Episcopum non posse dare licentiam vt duo viri & mulieres suscipiant baptizatum de baptismo, iuxta decretũ concilij.imo ante concilium non admittebantur plures; vt patet can.non plures.de consecr.d.4.& cap finali.de cognat.spirit.in 6.Sot.d.42.q.2.art.5.Dices nono, An hæc cognatio contrahatur inter maritum, vel vxorem suscipientis, & baptizatũ; nec non inter maritum eius, vel vxorem, & patrem, & matrem

ba-

baptizati? Resp. negatiuè vt patet extrauag. Pij V. sanctiss. num. 19. Dices decimo, An si quis contraxit spiritualem cognationem intra gradus prohibitos ante concilium Trid. ab eodem tamen sublatos, possit post illius publicationem contrahere cum illis sine dispensatione. Resp. posse, vt declarauit Pius V. extrauag. citata. Dices vndecimo, An ad contrahendam hanc cognationem, satis sit tangere baptizandos, vel confirmandos, licèt non teneant illos? Resp. satis esse. Sylu. matrim. 9. q. 2. §. 13. Anton. supra. Nauar. cap. 22. num. 37. & 88. probatur, quia in multis locis est consuetudo tangendi solũ. & Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. id innuit cum dicit: *si plures tetigerit.* & satis est tangere vestes, vel linteamina pueri, licèt non tangat carnem ipsius, vt supra dixi. Dices duodecimo, Quid si aliquis tangat cum intentione faciendi quod facit ecclesia, vel quod faciunt alij susceptores, non vult tamen fieri susceptor? Resp. quòd fit etiam susceptor. Angel. matrim. 3. impedim. 7. §. 12. Rosell. impedim. 6. §. 21. Sylu. matrim. 8. q. 7. §. 13. & canonistæ in cap. 1. de cognat. spirit. si quis autem per accidens, vel aliud agens tangeret quando confertur dictum sacramentum, non propterea fieret susceptor. Dices decimotertio, An dicta cognatio possit contrahi per procuratorem, vel per nuncium. Resp. supracit. dicunt posse contrahi. sed oppositum tenendum est cum Sylu. supra. q. 7. §. 14. Sot. d. 42. q. 1. art. 3. Nauar. consil. 2. de cognat. spirit. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 4. nu. 6. & est communis; quia actio suscipiendi est personalis. Est autem laudabilis cæremonia ad tuendam pacem reipublicæ, & tunc ipse legatus contraheret qui mittitur, vt patet; & notant Sot. Nau. supra. & Ioannes Andr. reg. 68. de reg. iur. in 6. Dices decimoquarto, Quid refert si quis suscipiens vnum, putet esse alium? Resp. nihil refert. neque propterea desinit contrahere cognationem spiritualem cum illo, & suis parentibus, sicut baptizãs cum simili errore etiam contraheret. Dices decimoquinto, An infans si leuet, contrahat cognationem spiritualem. Resp. affirmatiuè, si sit doli capax. Nauar. consil. 3. Dices decimosexto, An contrahant parentes hanc cognationem si leuent, vel baptizent proprios filios. Resp. primo, in extrema necessitate baptizantes, vel leuantes, non contrahunt. Sot. in 4. d. 42. q. 1. art. 1. contra Scot. Secundo, extra necessitatem contrahunt. cap. peruenit. 30. q. 1. similiter qui baptizaret filium susceptum ex fornica-

fornicatione,&c.etiam ex necessitate extrema.Papa verò potest in hoc impedimento dispensare.Nau.cap.22.num. 85.

Decimum dubium. De *cognatione legali*; quomodo matrimonium dirimat. Resp.& Nota primo,quòd cognatio legalis est quædam propinquitas ex adoptione proueniens. Petrus Sot.lect.11.de matrim.Couar.epit.p.2.cap.6.§.5.num. 1. Palud.in 4.d.42.ar.2.conclus.1.Candel.num.165.& alij communiter.Adoptio autem est extraneę personę legitima assumptio in filium, vel nepotem, ad solatium eorum qui non habent. d.Tho.in 4 d.42.q.2.art.1.& in addit.q.57.art. 1. Riccard.d. 42.art.2.q.1.Palud.q.1.art.2.conclus.1.Scot.q.1.art.2. concl. 1.Sot.q.2.art.1.Dur.q.2.& aduerte ex Riccard.& Sot. dici *extraneæ personæ*; ad denotandum, quòd adoptio fit solum de persona quæ non est in potestate adoptionis. vnde non prohibetur aliquis adoptare sibi consanguineam,vt patet §.sed hodie.instit.de adopt.Hæc autem adoptio est duplex, l. 1.& 2.ff. de adopt.vna est imperfecta, quæ etiam retinet nomen generis,& vocatur adoptio simplex. altera est perfecta , & dicitur arrogatio.idem docent auctores citati.vocatur autem hæc posterior arrogatio;quia ex dicta l.2.qui adoptat,rogatur,& interrogatur,an velit eam quem adoptaturus est, esse sibi iustũ filium.& is qui adoptatur, rogatur; an id fieri patiatur. Differunt autem adoptatio , & arrogatio , quòd per arrogationem arrogatus transit in potestatem arrogantis . per simplicem verò adoptionem,adoptatus non transit in potestatem adoptantis.His positis,Dico primo;tres esse species cognationis legalis:prima est quasi ascendentium,per quam contrahit adoptans cum adoptato , & eius filijs , & nepotibus,vsque ad ad quarrum gradum. Secunda est quasi collateralium inter filium adoptiuum, & filios naturales adoptantis &c. Tertia est per modum cuiusdam affinitatis inter adoptatum, & vxorem adoptantis;& inter adoptantem, & vxorem adoptati. colligitur ex Caiet.verb.matrim.in hoc impedim.Nauar.cap.22.nu. 24.Anton.3.p.tit.1.cap.13.Sylu.matrim. 8. q. 8.§.2.Sot.in 4. d.42.q.2 art. 2. & alij. & quamuis prima,& tertia species videantur potius definiri iure ciuili,quàm canonico; nihilominus tamen nunc consuetudine,& vsu ecclesiæ nunc approbato, seruandæ sunt.Sot.supra.d.Tho.in 4.d.42.q.1.art.2.concl.2.& in addit.q.57.art.2.& 3.Palud.d 42.q.1.art.2.concl.2. Riccar.

art.

art.2 q.2.& alij. Vnde dicendum est, quòd non habent rigorē præcisè ex vi iuris ciuilis, sed ex eo, quòd approbatæ fuerunt ab ecclesia. Sylu. dicta q.8.§.1.& alij. Præterea, prima species habetur §.ergo. instit. de nupt. Tertia habetur l. adoptiuus. ff. de ritu nupt. & cap. ita diligere. & cap. adoptionem. 30. quæst. 3. & cap. vnico. de cognatione legali. Secundo dico, quòd dicta cognatio impedit, & dirimit matrimonium. & deducitur ex tex. cit. & tenet communis sententia, iuxta Sylu. & alios quamuis nonnulli contradicant. Dices primo, an intelligendum sit tam de perfecta, quàm de imperfecta adoptione. Resp. Sotus intelligit de perfecta. & idem quoad cognationem secundæ speciei tenet Sylu. verb. matrim. 8. q.8. §.4. & videtur tenere Ledes. 2. 2. q.59. art. 3. Oppositum tamen tenendum est; quòd scilicet etiam in hac specie cognatio procedens ex simplici adoptione sit impedimentum dirimens; ita gloss. in cap. vnico. de cognat. legali. Riccard. in 4. d.42. art. 2. ad 3. Nauar. cap. 22. num. 44. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 5. num. 2. Panorm. in cap. vnico. num. 5. & est communis. & affirmat Couar. & alij. neque d. Tho. & Palud. quos citat Sylu. pro sua sententia contradicunt. hoc igitur est tenendum. Dices secundo, An hoc impedimentum duret in perpetuum. Resp. Caiet. verb. impedimentū. dicit, quòd in prima, & tertia specie duret in perpetuum. Sot. d. 42. q.2. ar. 2. d. Tho. ibid. q.2. art. 3. & in addit. q.57. art. 3. Riccard. dicto art. 2. q.3. Palud. concl. vlt. loco cit. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 13. Sylu. matrim. 8. q 8. §. 7. Petr. Sot. lect. 1. de matrim. Nau. cap. 22. num. 44. Couar. dicto §. 5. nu. 1. & ita impedimentum hoc durat etiam post emancipationem arrogati, seu dissoluta adoptione. & quoad primam probatur ex §. ergo. instit. de nupt. Quoad tertiam verò ex l. adoptiuus. ff. de ritu nupt. in secunda autē specie cessat finita arrogatione, vel adoptione, idest post emancipationem adoptati, vel arrogati. vt patet ex cap. 1. de cognat. legali. & l. per adoptionem. ff. de ritu nupt. §. inter eas. instit. de nupt. cap. post susceptam. & cap. per adoptionem. 36. q.3. & ita tenet Couar. dicto §. 4. num. 3. & alij. Dices tertio, quòd in quauis specie huius cognationis potest Papa dispensare, cùm sit de iure positiuo. non autem Episcopus, nisi in necessitate.

Vndecimum dubium. De *affinitate*, quomodo dirimat, seu impediat matrimonium. Resp. & Nota primò, quòd affinitas est

est propinquitas personarum ex copula carnali proueniens, omni parentela carens. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 7. & est communis. Dixi *ex copula carnali*; quia sic distinguitur à consanguinitate, quæ est ex communi sanguine, vt notat Sot. d. 41. q. 1. art. 1. Candel. num. 124. Dixi *omni carens parentela*, scilicet quantum est de se; quia affinitas de se potest esse sine consanguinitate, non tamen significat illa particula *(non)* posse contrahi cum consanguineis affinitatē. Nota secundo, per copulā intelligi actū consumatum ex quo potest sequi generatio. nihil autē refert ad contrahendam affinitatē an copula fuerit maritalis, vel fornicaria, quia ēt ex copula fornicaria oritur affinitas secūdū omnes. & patet ex cap. discretionē. de eo qui &c. & Trid. sess. 24. cap. 4. de refor. matrim. nec etiā refert an copula fuerit violēta, vel volūtaria. vtrū habita sit cū dormierit, an cū vigilaret, vt docet Couar. Tertio nota, ad affinitatem contrahendam requiritur copula consumata per effusionem seminis in vase naturali, vt notat Sot. d. 41. q. 1. art. 2. Nau. cap. 22. nu. 42. & alij. Vnde infertur, quòd neque tactus, neque oscula impudica sufficiunt ad contrahendum affinitatem. imo neque copula nefanda habita cum fœmina contra naturam, etiamsi sæpius fuerit iterata. & is est sensus cap. extraordinaria. 35. q. 3. Sed circa hæc sunt aliqua dubia. Dices primo, Qua ratione cognoscantur gradus affinitatis. Resp. sciendum est affinitatē contrahi inter virum & consanguineos vxoris; inter vxorem, & consanguineos viri. & regula est ista. quoto gradu aliqua est consanguinea viri qui habuit copulam, eodem etiam est affinis fœminæ quam ille cognouit. & rursus, quoto gradu aliquis est consanguineus fœminæ, eodem etiam est affinis ipsius viri. hic sequitur primo, quòd omnes qui sunt in primo gradu consanguinei viri, in eodem gradu sunt affines fœminæ. & è cōuerso. Secundo, ex eadem regula sequitur virum, & vxorem non esse inter se affines, sed habent se tanquam vna caro, & origo, atque ratio affinitatis aliorum. Tertio, sequitur duos fratres nullum habere impedimentum quòminus possint contrahere matrimonium cum duabus sororibus, quamuis alter ex illis consumasset matrimonium cum altera; nam inter consanguineos vxoris non contrahitur affinitas. eodem modo dicendum est, quòd si viduus cum vidua contrahat, & consumet matrimonium, vtriusque filij quos vterque suscepit ex priori ma-

trimonio, si fuerint mas, & fœmina, possunt simul copulari. Quarto sequitur, quòd siquis contraxit sponsalia cum alia, & postea fornicatus est cum sorore illius, non potest contrahere neque cum illa; vt notat Palud. in 4. d. 41. q. 1. & Nau. cap. 22. num. 57. Candel. num. 107. Dices secundo, Quot sunt genera affinitatis. Resp. primum genus, proximo primo dubio dictum est. Secundum est, quando vxor, vel vir relictus, vel relicta contrahebant secundum aliud matrimonium, tunc contrahebatur affinitas inter consanguineos defuncti cum consanguineis noui matrimonij. & si tertiò contraherent, contraheretur tertium genus affinitatis. deinde non dabantur alia genera affinitatum præter hæc tria. & ex hoc sequitur regula illa: *affinitas non parit affinitatem*. verbi gratia, si vxor mei filij quæ mihi est in primo gradu affinitatis, mortuo filio meo contrahat cum aliquo alio alterius familię, ego cum consanguineis illius familiæ nullam contraho affinitatem. Dices tertio, vsque ad quotum gradum affinitas impediat matrimonium. Resp. de iure communi ante concilium Trid. extendebatur vsque ad quartum gradum, iuxta cap. non debet. de consangu. & affin. iam verò iuxta Trid. sess. 24. cap. 4. de reform. matrim. affinitas quæ orta est ex copula fornicaria non excedit primum, & secundum gradum. & ita etiam declarauit Pius V. in extrau. ad Romanum. num. 30. vbi ait, in vlterioribus gradibus non dirimere matrimonium, sed nec etiam impedire. Nau. cap. 22. nu. 42. quæ autem oritur ex matrimonio, remanet vt in iure antiquo, scilicet vsque ad quartum gradum inclusiuè de iure positiuo, tam in linea recta, quàm collaterali. probatur ex tit. de consangu. & affin. & 35. q. 3. Quòd autem non sit prohibitũ de iure naturali, probatur primo; quia in lege veteri nõ erat prohibitũ cũ cõsobrina cõtrahere, ergo nõ erat ex lege naturę. Secũdo, patet ex cap. gaudemus. de diuort. vbi infideliũ matrimonia non dirimuntur. Tertio; quia Pontifices dispensarunt. Dices quarto, An sit aliquis gradus affinitatis prohibitus à iure diuino, vel naturali. Resp. Palud. in 4. d. 41. art. 5. concl. 5. putat omnes illos gradus qui prohibiti sunt cap. 18. esse etiam nunc prohibitos iure naturæ, & iure diuino, nec posse in illis Papam dispensare, vt in matrimonio vitrici cum priuigna, aut nouercæ cum priuigno; nec soceri cum nuru, aut socrus cum genero, nec denique cum vxore fratris defuncti, aut marito sororis.

Alij

Alij verò tenent in primo tantum rectæ lineæ impediri de iure naturæ.d.Tho.in 1.ad Cor.5.Abul.in Leuit.18. Couar.cap. 6.§.10.num.6.Alij neque in hoc gradu.ita Caiet. 2. 2. q. 148. art.9.Pro solutione Dico primo, Probabilius est affinitatem contractam ex fornicatione, in nullo gradu impedire matrimonium de iure naturæ,vt supra diximus; quia nulla ratio id conuincit, & Martinus V. dispensauit;ita Anton. 3. p.tom.1. cap. 1. §. 1. Secundo dico,probabile est affinitatem ortam ex matrimonio in prima linea rectè ascendentium,& descendentium impedire matrimonium de iure naturæ, ex d. Tho.in 1. ad Cor.5.Victor.2.p.releċt.de matrim.Couar.epit.p.2.cap.6. §.10.num.6.Sot.d.41.q.1.art.3.& alij.probatur primo;quia nunquam audiuimus Papam dispensasse. Secundo, quia apparet magna indecentia naturalis,nam socer est tanquam pater nurui;& cùm nouerca sit loco matris. Item tertio, omnes nationes id damnarunt.& confirmatur ex 1.Cor.7.*auditur inter vos fornicatio &c.* Tertio dico, quod attinet ad primum gradum collateralium quamuis affinitas orta sit ex matrimonio, non ita impedit vt dirimatur de iure naturæ;& ex consequenti ex dispensatione Papæ posse aliquem contrahere matrimonium validum cum vxore fratris sui mortui. Ita Scot. in 4. d. 40.& 42.gloss.in cap.finali.de diuort.Sot.d.4.q.art. 3. Couar. epit.p.2.cap.6.§.10.nu.7.& alij.Vnde Henricus VIII. Angliæ Rex,contraxit cum vxore fratris, & validum fuit declaratum matrimonium tale ex dispensatione contractum. ita Castr. l. 1.de lege pœnali. cap. vlt. & in lege veteri permittebatur aliquando,etiamsi communiter prohibitum esset,vt Gen.38. Iudas dedit Thamar duos filios suos.itē Gen. 29. Iacob accepit duas sorores Rachelē, & Liam. Nec obstat,quòd Matthæi 14. dicitur,*Non licet tibi habere vxorē fratris tui;* nā hoc erat viuente viro.& etiam si esset mortuus,non licebat etiam in lege veteri quando vxor fratris reliquerat prolē.neque obstat caput gaudemus.de diuort.vbi dicitur Papa non posse dispēsare in primo gradu;intelligitur enim in primo gradu consanguinitatis,vel(si vis)affinitatis,intellige in linea collaterali.nec denique obstat caput ad literas.ibid.intelligitur enim de iure diuino naturali,nō cæremoniali,quod abolitū est.Quarto dico, in reliquis gradibus affinitatis vltra primum gradum siue inter collaterales,siue inter ascendentes, & descendentes, etiam si

Vuuu 2 affini-

affinitas ſit ex matrimonio, nulla cernitur de iure naturæ prohibitio quæ reddat matrimonium nullum. & per conſequens Papa poteſt in huiuſmodi faciliùs diſpenſare, vt tenent communiter doctores. Dices quinto, An qui contraxerit affinitatem vltra gradum ſecundum ante concilium Trid. poſſit poſt eius publicationem contrahere cum illa ſine diſpenſatione? Reſp. poſſe, vt ſtatuit Pius V. extrauag. ſanctiſſimi. Dices ſexto, An qui poſt contractum matrimonium cognouit conſanguineam vxoris in tertio, vel in quarto gradu, is contraxit affinitatem cum vxore, ita vt non poſſit petere debitum; an etiã quoad hoc ſit ſublatum tale impedimendum in dictis gradibus? Reſp. non contrahi; ſed in vlterioribus gradibus à ſecundo, hoc impedimentum fuiſſe ſublatum; vt declarauit ſacra congregatio concilij: & ita expreſſè tenet Nauar. conſil. 53. de conſangu. & affin. Dices ſeptimo, quæ ſit pœna contrahentis ſine diſpenſatione inter gradus prohibitos affinitatis. Reſp. non ſolum matrimonium eſt nullum, ſed peccant mortaliter, & incidunt in excommunicationem. cap. 1. de conſangu. Dices octauo, An ſint plura genera affinitatis. Reſp. ſecundum antiquos canones fuiſſe tria genera, nunc autem primum ſolum impedire, & dirimere matrimonium; vt patet ex cap. non debent. de conſangu. & affin. & gloſſ. ibid. Abb. Ioannes Andr. & Hoſt. Sylu. verb. matrim. 8. q. 15. §. 3. & 4. Candel. num. 103. & alij. Pro intelligentia nota, quòd perſona addita mutat genus, ſed non gradum; nam perſona adiuncta ſanguini facit primum genus affinitatis. quare vxor fratris mei; eſt mihi affinis in primo genere. ſi autem cognoſcatur ab alio, verbi gratia à Petro, iſte erit mihi affinis in ſecundo genere. quòd ſi deinde Petrus cognoſcit aliam, illa erit mihi affinis in tertio genere; omnes in primo gradu. ſed iam (vt dixi) primam olim impediebat, vt gloſſ. exponit. hinc patet, quòd gener poteſt accipere eam quæ fuit vxor ſocrus ſui. nouercam ſcilicet vxoris defunctæ; vt ait Sylu. ſupra. §. 9. & q. 14. §. 5.

Duodecimum dubium. De *impedimento criminis*, ſcilicet homicidij, & adulterij, quando dirimant matrimonium. Reſp. & primo nota, agunt de hac re Riccard. in 4. d. 35. art. 5. q. 3. & 4. Palud. diſt. 34. q. 1. Caiet. verb. matrim. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 5. Angel. matrim. 3. impedim. 9. Roſell. verb. impedim. 8. Sylu. verb. matrim. 8. q. 9. Sot. d. 37. q. vnica. art. 4. Petrus Sot. lect. 9.

de

de matrim. Armill. verb. matrim. §. 30. Nauar. cap. 27. num. 46. & licèt aliqui in tres, alij in quatuor casus distinguant, omnes tamen duabus conclusionibus comprehenduntur. Sit igitur prima conclusio quoad homicidium. si vir & mulier simul machinati sunt mortem coniugis alicuius, omnino impeditur, & dirimitur matrimonium inter ipsos. si autem altero tantum machinante mors illata est, non sufficit; nisi etiam interueniat adulterium. prior pars probatur ex cap. laudabilem. de conuers. infidel. & can. siquis viuente marito. 31. q. 1. vbi habetur, quòd etiam si infidelis esset, & ad eius conuersionem procurãdam homicidium factum est, matrimonium inter eos esse non potest. & est communis sententia. Posterior pars probatur ex cap. significasti. de eo qui duxit in matrimonium. & ibi Ioannes Andr. Panorm. & communiter doctores loco cit. pro explicatione Nota primo, quòd machinari dicitur ille qui exhibet venenum, qui infligit vulnus, &c. item qui hæc præcipit, mandat, consulit, aut in his dat auxilium iuxta gloss. in cap. siquis viuente. 31. q. 1. Anton. & Nauar. supra. Secundo nota, non satis esse vt quis ratum habeat homicidium suo nomine factum, ex gloss. in dicto cap. siquis viuente. & in cap. 1. de conuers. infidel. & ibi Abb. Rosell. & Anton. supra. Angel. §. 7. Sylu. §. 3. loco cit. & est communis sententia. Tertio nota, quòd machinatio est intelligenda cum effectu vt inde sequatur mors, vt notat Anton. supra. & Sot. dicto art. 4. post d. Thomam. Vnde si mors aliunde sequatur, nullum erit impedimentum. hoc autem ex circunstantijs iudicio prudentis viri iudicandum est. Quarto nota, requiri vt machinatio fiat cum intentione contrahendi matrimonium; quia occasio alio modo facta, non sufficit; vt patet ex dicto cap. laudabilem. & ita docent communiter doctores. d. Tho. in 4. d. 37. q. 2. art. 2. & in addit. q. 60. art. 2. Anton. Sylu. Rosell. & alij supra cit. quamuis oppositum dicat Caiet. verb. matrim. in hoc impedimento. & Petrus Sot. lect. 19. de matrim. hinc patet, quòd siquis occiderit ex ira, vel odio, vel casu, vel in bello, vel alia causa coniugem alterius, non impeditur à contrahendo matrimonio cum illius coniuge superstite. neque refert quòd huiusmodi moderatio non fit expressa in iure; quia licitum est cum communi sententia doctorum interpretari ipsum ius iuxta rationem iuris, præsertim in fauorem matrimonij. Verum est tamen, quòd in foro exte-

exteriori semper iudicaretur irritum matrimonium, quia ibi præsumeretur dictum homicidium fuisse commissum ad contrahendum matrimonium. vt Sot. supra, dicto ar. 4. Quinto nota, quòd licèt in priori casu requiratur vt talis intentio nempe contrahendi fuerit in vtroque machinante, tamen in casu posteriore satis est vt intentio sit in illo qui machinatus est mortem coniugis, licèt alter nō habuerit talem animum. quod patet; quia ratio cur ius statuit hoc impedimentum, est, ne adulteris matrimonij futuri voluntas esset, & occasio occidendi coniugem. Vnde confutatur Ledes. qui dicit, quòd si adultera occidit virum suum, potest contrahere cum adultero. vel exponendus est iuxta dicta. Sexto nota, quòd in posteriore casu requiritur adulterium formale, idest vt saltem ille qui committit homicidium sciat probabiliter, quòd persona cum qua peccat, est matrimonio coniuncta. Sot. in 4. d. 37. q. 1. art. 4. Nauar. cap. 22. num. 46. Caiet. verb. matrim. Abb. in cap. propositum. num. 3. Secunda conclusio; Qui committit adulterium scienter cum coniuge alterius, & contrahit matrimonium, vel dat fidem eidem de contrahendo cum ea, non potest cum tali etiam post mortem coniugis validum contrahere matrimonium. hæc conclusio continet duos casus: vnus est de adulterio cum contractu matrimonij de præsenti, qui habetur cap. ex literis. & cap. significasti. & cap. siquis. de eo qui duxit in matrim. &c. alter casus est de adulterio cum fide de contrahendo etiam post mortem coniugis. & de eo statuitur in cap. relatum 31. q. 1. & cap. propositum. cap. significasti. & cap. veniens. de eo qui duxit in matrim. & est communis sententia. Pro intelligentia huius impedimenti in genere, Nota primo, quòd in hoc impedimento debent concurrere duo, scilicet adulterium, & contractus de præsenti, vel datio fidei de contrahendo. nec enim adulterium solum sufficit, nec datio fidei de contrahendo, nec contractus fine adulterio, vt colligitur ex cap. relatum 31. q. 1. & docet Palud. in 4. d. 34. q. 1. art. 3. Petrus Sot. lect. 9. de matrim. Riccard. d. 35. art. 3. q. 4. Caiet. verb. matrim. in hoc impedim. Sot. d. 34. q. 1. art. 4. Angel. matrim. 3. impedim. 9. §. 1. Rosell. impedim. 8. §. 1. & 2. Sylu. matrim. 8. q. 9. §. 4. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 5. Armill. matrim. §. 32. Nauar. cap. 27. num. 46. & alij communiter. Secundo nota; quòd vt hoc impedimentum habeat vim, debet interuenire verum adulterium. Vnde non est

est

est satis vt ipsi peccantes putent se committere adulterium, vel quòd alij idem credãt. si enim illorum matrimonium esset nullum ob aliquod impedimentum occultum, vel quia non erant reuera personæ coniugatæ, tunc non esset adulterium nisi putatiuum; quod non sufficit, vt colligitur ex dicto cap. significasti. de eo qui duxit &c. & docet Gabr. d. 35. q. vnica. Maior. q. 2. Petrus Sot. lect. 9. de matrim. Angel. dicto §. 1. Sylu. & Nauar. supra. & alij communiter. Quòd verò primum matrimonium sit ratum, & non consumatum; vel sit separatum quoad torum, nihil refert. vel omnino factum diuortium; nam nihilominus cum huiusmodi coniugatis committitur adulteriũ; vt ex cap. significauit. & cap. ex literarum. de eo qui duxit in matrimonium &c. Angel. dicto §. 1. & Sylu. dicto §. 4. ex his patet, quòd dictum matrimonium fuerit validum. Secundo, quòd debet esse adulterium consumatum per copulam perfectam, vt colligitur ex cap. finali. de eo qui duxit &c. Tertio, quòd adulterium debet esse tale formaliter, & ex parte vtriusque, ita vt vterque sciat se committere adulterium; quia scit se, vel eum, cum quo peccat esse coniugatum; vt colligitur ex cap. propositum. & cap. veniens. de eo qui duxit &c. & docent doctores citati. & patet ratione; quia ex parte illius qui ignoraret complicem esse coniugatum, esset solum adulterium materialiter. hinc infertur, quòd iuxta cap. veniens. & cap. propositum. si vterque ignorabat impedimentum prioris matrimonij, tunc licitum est vtrique vel recedere à matrimonio, vel denique illud contrahere, mortuo scilicet altero coniuge. si autem vnus tantum sciebat tale impedimentum, est in potestate ignorantis post sublatum impedimentum vel recedere à matrimonio, vel iure compellere eum qui sciebat impedimentum, vt secum denuò contrahat legitimum matrimonium; nam matrimonium antea contractum, fuit nullum. Adde, quòd etiam si post mortem prioris coniugis sæpe copula, & consensus fuisset iteratus, nunquam tamen factum est legitimum matrimonium; nam requirit vt sit cognitum impedimẽtum, & iterum consentiat qui illud ignorans contraxit. vt cum Innoc. & Sot. sentit Nauar. cap. 22. num. 47. & ratio est, quia ille iteratus consensus fundabatur in errore, & non erat nisi ad ratum habendum quòd ante credebatur esse factum. Aduertẽdum est præterea, cum dixi in potestate ignorantis esse denuò con-

contrahere matrimonium, id intelligendum est, nisi is qui sciebat impedimentum contraxerit cum alia; & dummodo ignorans non resciuerit tale impedimentum ante mortem alterius coniugis. vel nisi cognito impedimento habuerit copulam viuente altero coniuge; quia tunc esset formale adulterium ex vtraque parte, quod dirimit matrimonium; ita Panorm. in cap. 1. de eo qui duxit &c. Nauar. cap. 22. num. 46. Sylu. q. 9. §. 8. Angel. matrim. 3. impedim. 9. §. 3. & est communis. hinc sequitur, quòd etiam si ignorans post cognitum impedimentum exigat vt alter sublato tali impedimento secum ritè contrahat, & ille repugnet, & contrahat cum alia, tale matrimonium erit validum, quamuis non sine peccato contractum. Dices primo, quanta scientia, seu notitia requiratur circa matrimonium præcedens adhoc vt dicatur committi adulterium formale, & contrahatur tale impedimentum. Resp. quòd scire dicitur non solum qui certò scit. sed etiam qui probabilem opinionem habet. cap. inquisitioni. de sent. excomm. & notat Sylu. verb. matrim. 8. q. 9. §. 4. & 9. Sot. in 4. d. 37. q. vnica. art. 4. hinc infertur quid dicendum sit de latino contrahente in græcia cum græca coniugata, sed separata à viro per diuortium causa fornicationis factum, si enim is bona fide contraheret, posset mortuo priore viro denuò cum illa ritè contrahere; quia ad contrahendum dictum impedimentum requitur mala fides contrahentium. cap. vlt. de eo qui &c. Sylu. matrim. 8. q. 9. §. 4. Circa posteriorem casum quando scilicet interuenit adulterium cum fide de contrahendo; Primo nota, quòd nihil refert an fides data præcesserit, an subsequuta fuerit adulterium; vt docet Angel. Caiet. Sot. & alij. supra. dummodo data fuerit viuente altero coniuge. vt colligitur ex cap. siquis. de eo qui &c. Secundo nota, quòd nihil refert An fides data fuerit iurata, vel non; vt notat Palud. dicto. ar. 3. conclus. 2. Gabr. d. 35. art. 2. Sylu. supra, Angel. Rosell. & alij. Tertio nota, quòd loco fidei non sufficit propositum vt explicatio volũtatis sine intentione se obligandi. similiter non sufficeret siquis diceret; si non haberem vxorem, ducerem te. Sylu. & Angel. supra. Addo quòd non sufficeret fides data sine animo promittẽdi, sed potius decipiendi; quia talis reuera non esset promissio inforo conscientiæ. Quarto nota, non requiri, quòd datio fidei sit mutua, sed satis erit promissio vnius adulteri, iuxta Palud. supra.

supra.intellige dummodo sit acceptata; si enim reijceretur; esset nulla.probatur; quia iura non videntur loqui nisi de promissione acceptata. Dices secundo, An qui viuente sua vxore promittit alteri se illam ducturum post mortem suæ, peccet, etiam si non cōmittat adulterium? Resp. affirmatiuè. nisi ignorantia excuset, & est grauissimum peccatum; quamuis non sit impedimentum. probatur ex cap. finali. de eo qui duxit, &c. Panorm. num. 2. Riccard. d. 35. q. 4. art. 3. quia datur occasio mortis inferendæ. Vnde dicunt aliqui, quòd talis tenetur sub peccato mortali reuocare dum coniux viuit, & non post mortem. Nota hic casum Panormitani, in cap. fin. de eo qui duxit &c. Petrus viuente Berta coniuge, dedit fidem secundæ, & eam nō cognouit; demum mortua coniuge, non illam cui fidem dedit, sed aliam duxit in vxorem, qua viuēte cognouit illam cui primò fidem dederat, nunquid mortua vxore possit contrahere cum illa? Resp. cum Panorm. affirmatiuè; quia contrahendo cum secunda, videtur recessisse à fide illi data; & consequenter nunc reperit solum adulterium, quod non impedit.

Decimumtertium dubium. De *cultus disparitate*, quomodo dirimat matrimoniū. Resp. Disparitas cultus quæ est inter fidelē, & infidelē, de iure naturę, & etiā diuino, cōtrahēdū matrimoniū dirimit, & de iure ecclesiastico dirimit ēt cōtractū. probatur primo, quia impediretur amicitia, & cōcordia quę debet esse inter coniuges. Secundo, damnum pateretur educatio prolis; quia vterque coniugum vellet trahere filium ad suam sectam. Tertio, ex 1. Cor. 6. *nolite iugum trahere cum infidelibus.* & 1. Cor. 7. *cui vult nubat, tantum in domino*, idest fideli. Quarto, ex iure ecclesiastico. cap. caue. & cap. oportet. & cap. iudæi. 28. q. 1. in quibus licèt non habeatur expressè quòd non sit irritum, tamen ita intelligit ecclesia ex traditione antiqua, & praxi. Quinto, probatur ex libro synodorum. can. 72. & colligitur etiam ex communi sententia doctorum. d. Tho. in 4. d. 39. q. 1. art. 1. & in addit. q. 69. art. 1. Riccard. art. 1. q. 1. Palud. q. 1. art. 1. concl. 3. Dur. q. 1. art. 2. Rosell. impedim. 9. Angel. impedim. 10. Sylu. matrim. 8. q 10. §. 3. Anton. 3. p. cap. 1. §. 3. Caiet. matrim. impedim. 6. Nauar. cap. 22. num. 48. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 11. num. 1. Armill. matrim. §. 12. hinc sequitur, quòd non solum si baptizata cum infideli, vel è contra contrahat, matrimonium est nullum. sed etiam si contrahat cum

catechumena dicitur idem esse, quamuis credatur esse in gratia per baptismum flaminis. Sed circa hæc sunt nonnulla dubia. Dices primo, An sit nullum matrimonium celebratum à catholico cum baptizato sed hæretico, vel schismatico. Resp. gloss. in cap. finali. de condit. appos. dicit esse nullum. & probatur ex can. 72. sextæ synodi. Dico tamen pro solutione, certum est quòd tale matrimonium si de facto celebretur, esset validũ. probatur ex cap. decreuit, de hæreticis. in 6. Secundo, ex vsu ecclesiæ per quem illud decretum sextæ synodi fuit reuocatũ. Tertio, ex communi sententia. Dices secundo, An iure naturali ex disparitate cultus scilicet inter fidelem, esset irritum? Resp. negatiuè. Scot. in 4. d. 9. q. 1. art. Dur. q. 1. art. 2. Palud. q. 1. art. 1. concl. 3. Sot. art. 2. concl. 2. Caiet. in Gen. cap. 1. Victor. q. 239. & alij. quicquid dicat Catherinus in annot. contra Caiet. imo addo, nec esse ita illicitum quin possit ex causa legitima cohonestari. multi enim sancti patres ita contraxerunt, vt Sãpson, Moyses, & Ioseph. credendum tamen est, quòd licèt huiusmodi matrimonium nunquam fuerit irritum iure naturæ, communiter tamen loquendo erat illicitum; quia per illud dabatur periculum subuersionis propriæ, & damnum prolis, vt facilè ad infidelitatem ruerent. hinc patet, hoc impedimentum habere vim à iure humano, non speciali, sed à consuetudine ecclesiæ. & consequenter potest Papa dispensare, licèt non debeat sine vrgente causa. ita Victor. Sot. & alij supra. Nota tamen, quòd coniux infidelis ad fidem conuersus, altera in infidelitate permanente, licèt non teneatur cum ea manere, tamẽ cum alia contrahere non potest nisi in tribus casibus: Primo, quando nolit infidelis habitare cum fideli. Secundo, si velit habitare sed non sine peccato, & iniuria creatoris. Dices tertio, si trahere nititur ad infidelitatẽ. probatur ex can. gaudemus. de diuort. Nau. cap. 22. nu. 49. Sylu. matrim. 8. q. 10. §. 6. Riccar. D. Tho. & alijs. Dices tertio, Quid si antequam contrahatur secũdum matrimonium, infidelis conuertatur ad fidem? Resp. tenetur illum recipere, nam quamuis primus conuersus absoluatur à seruitute, manet in vinculum donec per secundum matrimonium absoluatur. d. Tho. & alij supra. probatur ex cap. quãto. & cap. gaudemus. de diuort. Dices quarto, Quid si infidelis conuersus plures habeat vxores. & omnes conuertantur. Resp. illa erit eius vxor cum qua primò contraxit. d. Tho. & alij supra.

pra.si vterque coniux conuertatur ad fidem, ratificatur matrimonium, & separari non possunt, etiam si contraxissent in gradibus prohibitis iure ecclesiastico. Sylu. supra. §.7. Nauar. cap. 22. num. 49. & patet ex cap. gaudemus. de diuort. dummodo in lege eorum sit validum matrimonium. quòd si alter tantum coniugum conuertatur, proles si peruenerit ad ætatem perfectam, liberè sequi potest parentem quem voluerit. si verò sit in ætate minori, debet dari fideli etiam si egerit matris opera ad educationem; ex cap. ex literis. de conuers. fideli: & docet Sylu. matrim. 8. q. 10. cum d. Tho. & alijs. mulier autem conuersa ad fidē, gaudet priuilegijs dotalibus. probatur ex Panorm. in cap. gaudemus. de diuort.

Decimumquartum dubium. De *impedimento vis*, quando dirimat matrimonium. Resp. & Nota, quòd duplex est vis; vna quæ inducit necessitatem absolutam, quę absolutè dicitur violentia, per quam aliquis potius dicitur pati, quàm agere. altera quæ dicitur mista, vt dum qui in naufragio ad vitam tuendam proijcit merces in mare. vt habetur cap. sacris. de his quæ vi &c. & docet Sot. d. 29. q. 1. art. 1. Couar. epit. p. 1. cap. 4. §. 1. num. 11. sed quia vt notat Sot. vis primi generis non potest esse in voluntate, cùm hæc non possit cogi, sequitur quòd illa acceptio est impertinens ad nostrum institutum; quia implicat vt matrimonium fiat per talem vim. Vis ergo secundi generis facit ad nostrum propositum, & ita coincidit cum metu. Secundo nota, quòd metus est instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio. l. 1. de eo quod metus causa. & exponit Couar. epit. p. 2. cap. 3. §. 4. nu. 1. Tertio nota, quòd duplex metus etiam distingui potest: vnus cadens in constantem virum, alter non cadens &c. de quibus Sylu. verb. metus. Nauar. cap. 22. num. 51 Couar. §. 4. cit. Sot. l. 7. iust. q. 2. art. 1. & in 4. d. 29. q. 1. art. 2. Scot. d. 10. q. 1. art. 2. Candel. num. 222. Quarto nota, quòd metus vt dicatur cadens in constantem virum, tres conditiones requirit. Prima, vt metus sit alicuius magni mali; vt patet ex l. continet igitur. & l. ne timorem. ff. de eo quod metus causa. Secunda, vt malum cuius metus infertur non solum sit graue in se, sed grauius, & intollerabilius, quàm id ad quod extorquendum, metus ipse incutitur l. metum. 1. ff. de eo quod metus causa, quia non est viri constantis eligere maius malum ad euitandum minus. Tertia, vt metus ita incutiatur,

vt probabili existimatione putetur malum euenturum; nam si ita incutiatur vt probabiliter nequeat inferri, vel facilè possit impediri, non est viri constantis succumbere tali timori. probatur ex l. metum. *la seconda*. ff. de eo quod metus causa. quòd si desit aliqua ex his conditionibus, dicitur metus non cadens in constantem virum; vel dicitur metus leuis. Nota primo, quòd iuxta prædictas conditiones ex varijs circunstătijs fieri potest vt metus qui in ordine ad aliquem effectum, vel in ordine ad aliquod subiectum iudicetur cadens in virum constantem, in ordine verò ad alium, non dicitur talis. verbi gratia, metus mortis in ordine ad faciendum quod intrinsecè est peccatum, vt in ordine ad mendacium, non cadit in virum constantem, vt patet ex cap. sacris. de his quæ vi &c. & docet Scot. in 4. d. 29. art. 1. Couar. dicto §. 4. num. 3. Nauar. cap. 22. num. 51. & communiter. sed in ordine ad amittendam pecuniã talis metus cadit in virum constantem, vt patet ex secunda conditione; quia maius malum est mors, quàm amissio pecuniæ, & minus quàm quodvis malum culpæ etiam leuissimum. Similiter si vir non robustus minetur mortem fœminæ ad extorquendam pecuniam, talis metus dicitur cadens in constantem virum, vt patet ex tertia conditione; quia talis facilè potest occidere fœminam, virum autem robustum non potest. quare non potest in hoc assignari certa regula; sed in particulari id definiendum erit iudicio viri prudentis, & consideratis circunstantijs iuxta conditiones assignatas. quòd si res agatur in iudicio determinato, spectabit ad prudentem iudicẽ. gloss. in cap. cum dilectus. & ibid. Abb. & alij. Couar. epit. p. 2. cap. 3. §. 4. num. 8. Nauar. supra. His sic positis, Resp. ad quæstionem; quòd matrimonium tunc soluitur ex hoc impedimento, quando fuerit contractum ex metu cadente in constantem virum. probatur ex can. si verum. & can. de nuptijs. 31. q. 2. & cap. cum locum. & cap. veniens. *il secondo*. cap. consultationi. de spons. & est communis sententia d. Tho. in 4. d. 39. art. 3. q. 1. Riccard. q. 1. art. 1. Palud. q. 1. art. 3. Dur. q. 2. Gabr. q. 1. Sot. q. vnica. art. 2. Sot. q. 1. Scot. q. vnica. art. 2. Sot. q. 1. Sylu. matrim. 8. q. 1 1. §. 3. Caiet. verb. matrim. impedim. 7. Armill. eod. §. 41. Nauar. cap. 22. num. 51. Victor. q. 268. Couar. supra. num. 4. & aliorum. Pro solutione Nota primo, cum Sot. art. 3. cit. & alijs, quòd non est reputandus metus cadens in constantem virum

quoad

quoad impediendum & dirimendum matrimonium, nisi incutiatur in hunc finem, vt matrimonium contrahatur. vt, licèt aliquis contrahat per metum mortis, qui tamen non infertur vt contrahat, sed vel ab intrinseco, vel ab extrinseco, ad alium tamen finem, tunc valet matrimonium. verbi gratia, siquis agens animam, mortis metu contrahat cum concubina, vel ad vitandum naufragium contrahat cum paupercula, matrimonium est validum. probatur ex l. metum. *il terzo*. ff. de eo quod vi &c. & ibi doctores. Sylu. matrim. 8. q. 10. Sot. l. 7. iust. q. 3. ar. 1. Couar. epit. 4. p. 2. cap. 2. §. 4. num. 16. item, vt aliquis liberetur ab obsidione, contrahat cum filia inferentis bellum, licèt illud esset iniustum; tamen matrimonium est validum. Sot. supra. item, siquis contrahit cum filia custodis carceris, quæ illi dicit; si mecum contraxeris aperiam tibi carceres, & hoc facit ad euitandam mortem imminentem, matrimonium tenet. Sot. supra art. 3. item, siquis stante lege & consuetudine vt siquis contraxerit cum meretrice, liber erit à sententia mortis, consenserit in aliquam meretricem, matrimonium tenet. Sot. ibid. item, si ægrotus metu mortis, vt à medico melius curetur, contrahit cum filia illius, matrimonium tenet. Sot. ibid. Similiter si reus mortis ne damnetur à iudice, filiam illius ducit in vxorem; Sot. supra. Couar. dicto §. 4. num. 15. idem de similibus. Secundo Nota, quòd si metus reuera sit incussus vt extorqueretur consensus in matrimonium, tunc nihil refert vtrum aliquis sua culpa dederit occasionem ad illum metum sibi incutiendum. verbi gratia, si aliquis deprehensus in stupro, metu mortis illatæ cogatur matrimonium contrahere cum parocho, & testibus; tunc matrimonium ita contractum, non erit validum. probatur ex cap. veniens. *il secondo*. de sponsal. Gabr. in 4. d. 29. Sot. supra. Couar. epit. p. 2. cap. 3. §. 5. num. 7. & alij, quos ipse adducit. Similiter probabile est excusare metum illum quando aliquis in ordine ad matrimonium minatur alicui malum, qui alioquin iustè potest illum inferre; vt siquis comprehensus in capitali flagitio ab eo qui posset iustè illum accusare ad mortem, compellat metu accusationis vel detrusionem in carcerem, vel matrimonium contrahere, tunc matrimonium non tenet. colligitur ex l. qui in carcere. l. nec timorem. ff. de eo quod vi &c. ita gloss. & Sot. supra. Couar. dicto §. 4. num. 15. quamuis alij contra sentiant. similiter probabile

bile est iuxta hæc, quòd si medicus infirmo ad mortem dicat, non te curabo nisi contrahas matrimonium cum filia mea, matrimonium ob eam causam contractum, non est validum. posito quòd non sit alius qui possit illum curare; quicquid dicat Sot. supra. similiter ex his sequitur quòd si princeps, vel iudex reo quem iustè possit occidere dicat, damnabo te nisi hãc duxeris, matrimonium non tenet; quia metus est illatus eo fine vt contrahat matrimonium. Sed circa hæc sunt aliqua dubia. Dices primo, quid si ipse reus vt mortem euadat sponte eligat eam conditionem dicendo, si me impunitum dimiseris, ducam filiam tuam in vxorem; esset ne validum matrimoniũ? Resp. affirmatiuè. imo si ipse iudex iustè capto, & timenti mortem, offerat impunitatem si matrimonium contraxerit cum filia sua, alioquin ei iustè mortem illatum iri, tunc matrimonium erit validum; quia metus non infertur ad illum finem vt contrahatur matrimonium, sed potius aufertur. Sot. supra. & Couar. ibid. ex dictis etiam patet, quòd spectat ad matrimonium, potius spectandum esse an ipse metus illatus esset ad illum finem vt contrahatur matrimonium, quàm iustè ne, an iniustè sit illatus metus. Dices secundo, An præter mortem sint alia mala quæ comminata inducunt metum cadentem in constantem virum in ordine ad matrimonium. Resp. gloss. in cap. cum dilectus. de his qui vi &c. Caiet. verb. matrim. impedim. 7. Sot. d. 29. q. 1. art. 2. & alij, communiter enumerant tria mala, quæ simul cum morte comprehenduntur. cogitur interdum constans formidine, causa stupri, siue status, verberis, atque necis. stupri videlicet in fœmina. status, seu seruitutis, in libero. verborum, atque necis, in quolibet homine. nomine autem necis, etiam intelligitur mutilatio membri; quia hæc in iure solent æquiparari. Nauar. cap. 22. num. 51. intelligitur etiam cruciatus. Metus stupri habetur in l. isti quidem. ff. de eo quòd vi & c. metus status, seu seruitutis. eod. & C. ego puto. ff. eod. & cap. Abbas. extra. de his qui &c. metus mortis, cruciatus, vel verborum habetur in cap. cum dilectus. cit. Nota præterea, quòd doctores non negant metum horum malorum nõ posse dici cadere in constantem virum; quia certum est posse contingere iuxta conditiones supracitatas. solum ergo volũt dicta mala esse talia vt in illis possit reperiri ex obiecto metus cadens in constantem virum quoad matrimonium contrahendum.

dum. Nota etiam, quòd prædicta mala ita videntur doctores enumerare, vt videantur asserere metum aliorum malorum non cadere in virum constantem, vt innuit Palud. in 4. d. 19. q. 1. art. 2. concl. 2. d. Tho. q. 1. art. 2. ad 2. Sed tamen negandum non est quin interdum alia mala etiam efficiant metum talé præter enumerata; vt patet ex l. ego puto. ff. de eo quod vi &c. vbi dicitur, quòd metus seruitutis potest cadere in virum constantem, & alia similia. quando verò illa quæ enumerata sunt in iure reperiuntur expressa, & reliqua possunt facilè ad illa reduci; ideo doctores citati putarunt satis esse illa enumerare. & hoc videtur voluisse Sylu. verb. metus. q. 1. Vnde infertur posse fieri aliquando vt metus carceris sit metus cadens in constantem virum. l. nec timorem. l. qui in carcerem. ff. de eo quod metus causa. & docet Nauar. cap. 22. num. 51. in vulgari. Sylu. metus. q. 1. Angel. eod §. 1. Sot. d. 29. q. 1. ar. 2. Couar. epit. p. 2. cap. 3. §. 4. num. 15. & alij. similiter metus amissionis patrimonionij, quod perinde est ac si adimeretur vita, dicitur cadere in constantem virum. ita Couar. supra. num. 18. Nauar. supra. & patet ex cap. Abbas. de eo quod vi &c. & ibi gloss. Panorm. Angel. Sylu. metus. §. 3. imo vt refert Couar. sunt multi qui credunt idem dicendum esse quando agitur de amissione maioris partis bonorum. ita Panorm. & alij. in cap. Abbas. de sponsal. Angel. & Sylu. supra. quia etiam amissio magnæ rei est iusta causa timoris. intellige non solum quando aliquis non potest viuere sine illis rebus, sed etiam quando ex tali amissione patitur grauem iacturam. item metus infamiæ videtur etiam posse cadere in virum constantem. Sylu. metus. q. 4. Angel. eod. §. 1. Gabr. d. 19. q. 1. art. 1. Sot. q. 1. art. 2. ad 2. Victor. q. 168. & alij. nisi esset infamia leuis, vel quæ facilè posset vitari. similiter dicendum est de metu reuerentiali parentum, aut dominorum qui solent acriter seuire in eos quando illis non obediunt; quod possit esse cadens in virum constantem. & ita intelligitur quod dicit Couar. epit. p. 2. cap 3. §. 6. nu. 3. & Panor. cap. finali. qui clerici, vel vouentes. & ibid. Ioannes Andr. Innoc. cap. cum matrimonium. de offic. deleg. Sot. supra. art. 2. Angel. verb. metus. §. 2. Sylu. eod. q. 2. Secus tamen est quando solum interuenit metus reuerentialis patris, vel domini sine alia circunstantia. & ita intelligitur textus l. si patre cogente. ff. de ritu nupt. similiter esset etiam metus cadens in constan-

tem

tem virum ratione obiecti, quando alicui diceretur, si non cōtrahis matrimonium, occidam filium tuum. vt patet ex l. isti quidem. ff. de eo quod vi &c. idem est si in persona illius comminaretur. d. Tho. d. 29. q. 1. ar. 2. ad 2. Angel. & Sylu. verb. metus. §. 1. & alij. Dices tertio, An matrimonium sit inualidum, quando aliquis compellitur contrahere per metum cadentem in constantem virum, non tamen cum aliqua determinata, sed cum incerta de certis. verbi gratia cum vna ex filiabus Petri. Resp. affirmatiuè; quia clarum est in tali casu, matrimonium fuisse contractum per talem metum sine quo non fuisset contractum. & ita notat Couar. dicto §. 3. num. 5. & alij. licèt aliqui ab eo relati contra sentiant. imo videtur esse nullum, etiam si nulla prescriberetur persona, sed tantum ad contrahendum cogeretur. Dices quarto, An matrimonium contractum per dictum metum, sit nullum iure diuino, & naturali. Resp. sunt duæ sententiæ; vna est Scoti d. 29. q. 1. Gabr. q. 1. art. 2. Couar. epit. p. 2. cap. 3. §. 5. num. 6. & aliorum, qui dicunt esse irritum de iure diuino, & naturali. Altera sententia est Riccardi, d. 29. q. 1. art. 1. Palud. q. 1. art. 3. concl. 2. Dur. q. 2. Maior. q. 1. Soti q. 1. art. 3. Nauar. cap. 22. num. 51. & est communis, & tenenda, quòd sit nullum de iure positiuo. ratio est; quia cùm alij contractus per talem metum celebrati iure naturæ valeant, dummodo in illis fuerit verus consensus, quamuis beneficio legis positiuæ postea rescindi possint, vt patet ex toto tit. de eo quod vi &c. eodem modo dicendum est, quòd si matrimonium tali metu contractum est nullum, id prouenit non ex iure naturæ. Vnde notandum est, quòd cùm matrimonium sit non solum sacramentum, sed etiam contractus ciuilis, licèt ecclesia non possit mutare essentiam illius quatenus est sacramentum, potest tamen quatenus est contractus ciuilis; sicut potuit inualidare matrimonium inter cognatos, ita etiam poterit irritare consensus eiusdem contractus per metum dictum ad obuiandum incommoda quæ inde oriuntur. & hoc videtur significare cap. cum locum. de sponsal. & Sot. exponit supra, art. 3. ex his sequitur posse in eo dispensare. rarò tamen dabitur causa dispensandi, cùm talis dispensatio cadat in grauem iniuriam alterius. ordinarius autem, & inferiores prælati in nullo casu id possunt. Dices quinto, quale peccatum sit aliquem cogere ad matrimonium contrahendum. Resp. esse de genere suo mortale;

tale; quia est contra charitatem, & contra iustitiam. imo in concilio Trid. sess. 24. cap. 6. & 9. de reform. matrim. excommunicantur ipso iure omnes cuiuscunque gradus, quouis modo directè, vel indirectè cogentes suos subditos, vel alios, quòminus liberè matrimonium contrahant.

Decimumquintum dubium. De *Raptu*. An raptus dirimat matrimonium, ita vt qui rapuit puellam ut illam habeat in vxorem, non possit cum ea contrahere. Resp. quòd secundum iura antiqua, tale matrimonium fuisset nullum si contraheretur antequam puella restitueretur parentibus. cap. vt puellis. 36. q. 2. & l. 1. C. de raptu Virginum. postea tamen definitum est, vt si puella quæ fuerat violenter rapta, liberè, & cessante metu postea consentiret matrimonio dum esset in potestate raptoris, matrimonium esset validum. cap. finali. de raptu. & ibi gloss. & doctores can. denique. 36. q. 2. & docet Maior. d. 29. q. 2. Sot. q. 1. art. 3. Couar. epit. p. 2. cap. 3. §. 9. nunc autem post concilium Trid. sess. 24. cap. 6. de impedimento raptus, inter raptorem & raptam quandiù ipsa manserit in potestate raptoris, non poterit esse validum matrimonium; & excommunicatur ipso facto, & omnes adiuuantes; & declarantur infames, & incapaces dignitatum; & etiam obligantur ad dotandam puellam. & si fuerint clerici, deponuntur. Dices primo, An inter raptorem, & raptam possint contrahi sponsalia. Resp. cum Nau. cansil. 7. de consangu. & affin. quòd prohibito vno, prohibetur præambulum ad illud, præsertim quia in vtroque requiritur libertas. Dices secundo, An siquis rapiat volentem, incidat in pœnam, & crimen raptoris? Resp. quòd licèt mulier consentiat in raptum, si tamen rapitur inuitis suis, est propriè raptus. cap. cum causam. de raptor. & ibi Abbas. excipiuntur quatuor casus, scilicet quando præcessit tractatus matrimonij, vel sponsalia, vel matrimonium, vt patet ex dicto cap. cum causa. denique quando rapta est meretrix. de quibus Sylu. verb. luxuria. q. 6. d. Tho. 2. 2. q. 154. & ibi Caiet. Candelabr. num. 103. & sequentibus.

Decimumsextum dubium. An matrimonium Clandestinum sit irritum. Resp. primo, matrimonia Clandestina semper fuerunt prohibita in ecclesia, non tamen irrita ipso facto, vt patet ex can. 1. 30. q. 5. & can. honorentur. 32. q. 2. & cap. inhibitio. de Clandestin. desponsal. vbi graues pœnæ contra tales imponuntur.

nuntur. proinde fuit semper peccatum mortale sic contrahere. Sylu. matrim. 2. q. 17. Sot. d. 28. q. 1. art. 2. Couar. 2. p. epit. cap. 6. Nau. cap. 22. num. 68. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. Victor. q. 266. Candel. num. 239. Secundo dico, quòd nunc matrimonia Clandestina triginta dies post publicationem concilij Tridentini sunt irrita, vt notat etiam Nauar. cap. 22. nu. 69. & exposuit congregatio concilij; vnde vt talia declaranda sunt ab Episcopo, non autem irritanda; vt eadem congregatio statuit. Tertio dico, quòd Clandestinè contrahere dicitur, qui aliter quàm præsente parocho proprio, vel alio sacerdote de ipsius parochi, vel ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus contraxerit. & quicunque sacerdos aliter matrimonia coniunxerit, suspenditur donec ab ordinario eius qui coniungere debebat absoluatur, vt concilium Trid. supra. quomodo autem ecclesia potuerit irritare huiusmodi matrimonia, supra diximus. Sed hic sunt aliqua dubia: Dices primo, An Vicarius Episcopi qui non est sacerdos possit præstare præsentiam matrimonij? Respondet Nauar. consil. 9. de sponsal. quòd potest, si habuit institutionem canonicam, & non fuit declaratus talis, nec priuatus suo iure. Dices secundo, quid si proprius parochus adsit, sed dissentiat, num coniunguntur? Resp. affirmatiuè, si alia adsint. Nau. consil. 20. de sponsal. Dices tertio, An sufficiat licentia proprij parochi qui non est sacerdos? Resp. affirmatiuè. Nau. consil. 30. de sponsal. Dices quarto, An requiratur licentia in scriptis proprij parochi. Resp. non requiri. Nauar. consil. 41. de sponsal. Dices quinto, An requiratur licentia parochi in propria diœcesi, & non in aliena. Resp. affirmatiuè. Nauar. consil. 47. ibid. obijcies, quòd matrimonium Clandestinum est de iure diuino sacramentum, ergo non potest ab ecclesia irritari. respondetur non irritatur vt sacramentum, sed vt contractus est. Dices sexto, An satis sit factam fuisse publicationem his verbis: videlicet, quòd matrimonia contrahantur coram proprio parocho, & testibus, alioquin essent irrita. Resp. satis esse. & æquipollet publicationi totius decreti quantum attinet ad irritationem matrimonij, vt statuit dicta congregatio. Dices septimo, An sit necesse contrahere in valuis ecclesiæ. Resp. negatiuè, vt respondit dicta congregatio. quare in facie ecclesiæ contrahere est coram parocho, & testibus, factis seu præmissis denunciationibus. Nau. cap. 22. num. 70. Di-

ces

-tes octauo, An qui contraxerint Clandestinè postea possint si consenserint (cessante impedimento) contrahere in valuis ecclesiæ. Resp. Affirmatiuè; quia concilium Trid. eos tantum inhabilitat ad sic contrahendum, idest Clandestinè, vt respondit sacra congregatio; sed sponsi puniendi sunt. Dices nono, An cum in facie ecclesiæ contractum est matrimonium, quod (detecto impedimento) comperitur esse nullum, sit necesse contrahere coram parocho, & testibus, post sublatum impedimẽtum. Resp. satis esse exprimere mutuum consensum, vt declarauit Pius V. & ita seruat praxis pœnitentiariæ; vt tenet Nau. cap. 22. num. 20. Dices decimo, quid si sponsi sint de diuersis parochijs, quis cẽsendus est proprius parochus? Resp. parochus fœminæ sufficit, si contrahant in parochia fœminæ, & parochus viri, si contrahatur in parochia viri, vt statuit congregatio cõcilij, & refert Nauar. cap. 25. num. 144. Dices vndecimo, quid si velint contrahere in alia parochia? Resp. petant licentiam à proprio Episcopo. Nauar. consil. 47. de sponsal. Dices duodecimo, quis est proprius parochus alienigenarum. Resp. is est cuius parochiam habitant tempore quo contrahunt matrimonium, si tamen sint cogniti, quòd non sint vagabundi, vt statuit congregatio concilij. Vagabundos autem non licet admittere sine licentia ordinarij, vt Trid. sess. 24. cap. 7. de refor. matrim. Dices decimotertio, An matrimonium Clandestinum transeat in sponsalia. Resp. negatiuè; quia est irritus contractus. Vnde congregatio concilij statuit vt iterum in facie ecclesiæ contrahant, si tamen consenserint. Vnde patet, quòd si non consenserint, non tenentur. infertur tamen, quòd matrimonia inualida non transeunt in sponsalia, nisi sint ratione ætatis. cap. 1. de despons. impuber. in 6. Nauar. cap. 22. num. 57. & consil. 1. de spons. Vnde propria autoritate dissolui possunt. Nauar. ibid. Dices decimoquarto, An matrimonium contractum ante legitimam ætatem sit validum? Resp. quòd tale non est matrimonium; quia impuberes non sunt apti ad matrimonium. ætas autem in masculo est quatuordecim annorum; in fœmina verò duodecim; qui debent in vtroque esse completi. cap. puberes. & cap. continebatur. de despons. impuber. intellige tamen nisi essent pubertati proximi, & malitia suppleret ætatem. vt patet ex dictis capitibus. & ita cum d. Tho. & Palud. docet Sylu. verb. matrim. 5. Nauar. cap. 22. num. 29. Sot. d. 35. q. 1. art. 5. Secundo

cundo dico, quòd matrimonium contractum ante ætatem legitimam, transit in sponsalia. cap. vnico. de desponsf. impuber. in 6.

Decimumseptimum dubium. An ex omissione denunciationum, matrimonium reddatur nullum? Resp. negatiuè, vt declarauit congregatio concilij; quia non sunt de essentia matrimonij, ita vt sine illis irritetur contractus. Nota tamen, dictas denunciationes, seu banna, esse de præcepto, ideo eas omittere sine consensu ordinarij, esset peccatum mortale: patet ex cap. finali. de Clandest. desponf. & concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. & docet Nauar. cap. 22. nu. 69. Sylu. matrim. 6. q. 7. Palud supra. Candel. nu. 85. Secundo nota; quòd debent fieri tribus diebus festis continuis inter missarum solennia. Trid. & Nauar. supra. Tertio nota, quòd possunt omitti ex rationabili causa de licentia ordinarij. Trid. ibid. & Nauar. nu. 70. & declarauit congregatio concilij. Quarto nota, quòd licet Episcopus possit dispensare vt omittatur ob vicinitatem feriarum, nō tamē vt fiant diebus ferialibus, vt ait congregatio concilij. Quinto nota, quòd quando contrahitur matrimoniū inter duos de diuersis parochijs, debent fieri denunciationes in ambabus, vt declarauit congregatio concilij. Sexto nota, quòd quando omittuntur denunciationes, statuit congregatio vt post contractum, octo dies ante consumationem semel fiant & alibi iubet vt nisi necessaria causa obstet, bis aut ter fiant ante consumationem. Septimo nota, quòd qui scit impedimētum ortum ex peccato occulto, debet denunciare præmissa monitione; Nauar. cap. 22. num 83. si tamen ex denunciatione sua timeretur magnum scandalum, non tenetur denunciare, Nauar. ibid. Octauo nota, quòd post matrimonium iustè contractum ex ignorantia probabili cum aliquo canonico impedimento, non debent coniuges admoneri, vt probat Nau. supra. num. 83. Sot. d. 18. q. 2. art. 4. Sylu. verb. matrim. 6. q. 9. Qui verò scit in confessione aliquod impedimentum occultum, non tenetur, nec debet denunciare, vt diximus in tract. de sigillo. & docet Angel. verb. confessio. vlt. §. 13. Tab. verb. confessionis celatio. q. 4. poterit tamen secretò admonere pœnitentem &c. Nono nota, quòd qui non denunciat impedimentum matrimonij contrahendi quando id potest sine graui damno, & scādalo, peccat mortaliter de genere suo; quia esset contra charitatem

tatem. & multo magis quando id præcipitur sub pœna excommunicationis. Nau. supra, num. 83. Decimo nota, quòd matrimonium contractum cum aliquo impedimento, coniuges qui sunt in bona fide, non sunt admonendi.

Decimumoctauum dubium. De *impedimento ordinis*, an dirimat matrimonium. Resp. primo, Ordo sacer impedit, ac dirimit matrimonium, non solum ratione voti annexi, sed etiam ratione ipsius ordinis. quare qui post susceptum ordinem sacrum contrahit matrimonium, peccat; & matrimonium non tenet. Dixi *post susceptum ordinem sacrum*, ad excludendum quatuor ordines minores; qui nullo modo impediunt contrahendum; sed statim ac contrahit cum his ordinibus, vacant beneficia etiam simplicia; imo etiam pensiones, saltem illę quę solent dari cum adiecto ordine ecclesiastico; nam de alijs quæ solent etiam laicis conferri nullo titulo clericali, ego dubitarem; quamquam mos curiæ Romanæ sit vt vacent. dixi *non solum ratione voti, sed etiam ratione ordinis*; quia Trid. & alia decreta non meminerunt voti. nunc probatur conclusio, ex can. siquis eorum. & can. erubescant. d. 32. & can. 1. & 2. quòd clerici vel vouentes. & cap. 1. de cler. coniug. extrauag. antiqua. de vot. item, ex communi sent. doctor. d. Tho. in 4. d. 33. q. 1. art. 1. Riccar. d. 33. q. 1. art. 1. Palud. q. 1. concl. 2. Dur. q. 1. Sot. d. 38. q. 1. art. 1. Caiet. tom. 1. opus. tract. 23. & verb. matrim. impedim. 8. Angel. matrim. 3. impedim. 12. Rosell. impedim. 11. Sylu. matrim. 8. q. 1. §. 2. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 8. Armill. impedim. 8. §. 42. Nauar. cap. 22. num. 52. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 3. nu. 1. Secundo probatur; quia ordo sacer non habet essentialiter annexam continentiam sicut habet religio, & monachatus, cap. cum ad monasterium. de stat. monachor. nihilominus à principio ecclesiæ semper fuit annexa continentia. imo à Cōcilio Arelat. fuit annexum votum continentiæ, quod votum est solenne sicut in religione; vt docet Bonif. cap. vnico. de voto solenn. in 6. & quamuis hoc votum aliàs fieri soleat explicitè, tamen implicitè etiam fit ratione ordinis. Secundo dico, sic contrahentes sunt excommunicati ipso iure. Clemēt. 1. de consanguin. Tertio, sunt etiam irregulares, vt patet ex cap. 1. & 2. quòd clerici, vel vouētes. & notat Nau. supra. Quarto, tales non possunt vti matrimonio, sed tenentur separari. hinc patet, damnandos esse illos hæreticos qui contendunt sacerdo-

cerdotibus licitum esse contrahere matrimoniũ. Castr. verb. sacerdotes. hæresi 4. Sot. d. 38. q. 1. art. 1. & l. 7. de iust. q. 1. ar. 1. & alij. patet secundo, quòd neque in ecclesia græca licet sacerdotibus post susceptum ordinem contrahere matrimonium, de illis autem qui suscipiunt ordinem post contractum matrimonium, videndus est Couar. supra. Sed hic est dubium: An hoc impedimentum sit de iure diuino. Resp. prima sententia est Maioris in 4. d. 39. q. 2. Clictoui 1. de continentia sacerdotum. cap. 13. 15. qui dicunt esse de iure diuino. Secunda sententia est communis, quòd sit solum de iure positiuo. d. Tho. in 4. d. 37. q. 1. & 2. 2. q. 88. art. 1. in addit. q. 53. art. 3. Sot. d. 38. q. 1. art. 1. Castr. hæres. 4. supra. Couar. dicto §. 3. num. 1. & aliorum. probatur; nam si est de iure diuino, vel prohibitio esset ratione ordinis, vel ratione voti solennis; non ratione primi, cùm videamus græcos coniugatos suscipere ordines. nec potest afferri ius vllum diuinum quod præcipiat. neque apparet ex natura rei, neque ratione secundi, scilicet voti: tum quia certissimũ est hoc votum ex instituto ecclesiæ annexum esse ordini, vt patet ex cap. cùm olim. & cap. 1. de voto. in 6. & ibi doctores. itẽ, probatur ex Palud. d. 37. q. 1. art. 1. concl. 2. Riccard. supra. art. 1. & alijs, ordinem sacrum (etiam ratione sui absque voto annexo) dirimere matrimonium postea contractum; nam alioquin ecclesia græca non dirimeret matrimonium. cuius tamen oppositum tenent doctores; nam illi qui sunt in sacris non possunt contrahere. & si de facto contrahant, matrimonium non tenet. His positis dico primo; si loquamur de ordine præcisè, impedimentum illius est omnino positiuum, institutum ab ecclesia; quia nullibi reperitur de hac re præceptum de iure diuino. & quamuis concedamus iam inde à temporibus Apostolorum fuisse obseruatum in ecclesia, nihilominus non fuit nobis commendatum tanquam à Christo traditum, sed ab ipsis Apostolis tanquam ecclesiæ pastoribus. Vnde Papa dispensare potest. Secundo dico, si loquamur de ordine prout habet annexum votum solenne, tunc etiam de iure diuino, & naturali, dirimit matrimonium, ex sententia d. Thomæ, & aliorum supra; quia tamen hoc votum iure ecclesiastico annexum est sacris ordinibus in ecclesia latina, ideo d. Tho. & alij, solent concedere ordinem sacrum iure ecclesiastico impedire matrimonium. hinc sequitur quòd in hoc impedimento potest Papa (vt

dixi)

dixi) dispensare, vt probat Nauar. consil. 10. de sponsal. Dices secundo, An si Papa dispenset sine causa, matrimonium sit nullum? Resp. in ecclesia græca valebit; quia in illa impedimentū hoc est merè de iure positiuo. Secundo dico, in ecclesia latina si dispensatio fuerit surreptitia, matrimonium est nullum; quia tunc Papa deceptus, non haberet animum dispensandi, vt si causa fuit ficta, vel falsa, &c. si autem dispensatio non fuit surreptitia, & Papa sine causa dispensauit, etiam cum sacerdote latino, matrimonium est validum; licèt ita contrahens peccet. probatur, quia solennitas voti est indicta ab ecclesia. cap. 1. de voto. in 6. peccant tamen ita contrahentes; quia adhuc remanent obligati voto simplici castitatis, in quo Papa non potest dispensare sine causa; & si de facto dispensat, dispensatio non est valida. Vnde etiam infertur, quòd qui ita contraxit, peccat etiam mortaliter petendo debitum, non tamen reddendo; quia adhuc ligatur voto simplici castitatis, esset tamen causa sufficiens dispensandi ad petendum debitum. Dices tertio, An puer ordinatus ante vsum rationis, qui verè suscipit ordinem, videtur ex iure diuino impediri à matrimonio contrahendo. Resp. negatiuè, contra Ledes. q. 56. art. 4. & est communis. probatur, quia cùm matrimonium sit de iure naturæ, nemo est priuandus isto iure, si non vult, nisi culpa sua; ergo credibile est ecclesiam non obligare ad hoc. dixi *ante vsum rationis*; quia si puer sit ordinatus habens nouem, vel decem annos, videtur non posse contrahere. Dices, An idem sit dicendum de eo qui coactò metu cadente in constantem virum, suscepit ordines. Resp. certum est mihi ratione voti hunc non teneri; quia ista coactio excludit votum. nihilominus ex altera parte non auderē hunc liberare; sed puto credibilius esse hunc teneri statuto ecclesiastico. licèt contrariū teneant Ioannes Andr. & Rosell. citati à Syln. verb. matrimonium 4. num. 1. Dices quarto, An si quis post matrimonium ordinetur, suscipiat ordinem, & characterem. Resp. affirmatiuè. peccat tamen grauissimè, & fit irregularis in quibusdam casibus. probatur per extrauag. Ioannis XXII. vbi habetur, matrimonium etiam ratum non solui per susceptionem ordinum sicut fit per religionem; & quòd ille talis tenetur reddere debitum, non potest tamen petere; & ibidem habetur, quòd est irregularis, & suspensus. Dixi *nisi in quibusdam casibus*, verbi gratia in causa diuortij perpetui. similiter

militer ex consensu mutuo si coniux fieret religiosa, & profiteretur, vir potest fieri religiosus, & ordinari. Couar. cap. 6. §. 3. nu. 3. obijcies, An post ratum matrimonium non consumatum, suscipiens ordines, teneatur ingredi religionem? ratio dubij est, quia iste vouit castitatem, & hanc seruare non potest nisi fiat religiosus, alias tenetur reddere debitum vxori. Resp. Riccard. d. 34. art. 3. q. 2. ad vltimum, citat sententiam in vtramque partem negatiuam, quòd non teneatur. & ego idem dico. Confirmatur ex illa extrauag. Ioannis XXII. vbi dicitur, istum talem esse monendum ab Episcopo vt fiat religiosus, quod si nolit, & vxor petat consumationem matrimonij, tenetur reddere.

Decimumnonum dubium. De *impedimento ligaminis*, an dirimat matrimonium. Resp. primo, ligamen est impedimentū ortum ex matrimonio priùs contracto de præsenti, quod durat quandiù durat ipsum matrimonium, ita vt si interim contrahat aliud matrimonium, illud fit nullum, licèt consumetur copula, etiam priori nō consumato. probatur ex cap. licet. & cap. vlt. de sponsal. duorum, & est communis sententia doctorū. Rosell. impedim. 12. Angel. verb. matrim. 3. impedim. 8. q. 12. Caiet. verb. matrim. impedim. 9. Armill. eod. §. 43. Nauar. cap. 22. num. 53. Couar. epit. p. 2. cap. 7. §. 3. num. 5. Candel. nu. 233. Secundo dico, hoc impedimentum non solum esse ex statuto ecclesiæ, sed etiam de iure naturæ, vt supra diximus. Vnde sequitur, quòd nulla consuetudine fieri potest, vt primum matrimonium contractum de præsenti dirimatur per subsequens consumatum copula. & deduco ex Couar. num. 5. cit. ratio est; quia primum matrimonium etiam ratum nondum consumatum, ex lege diuina & naturali præfertur subsequenti, & consumato; neque ex illo dissolui potest. Vnde non potest Papa dispensare vt primum matrimonium per secundum etiam consumatum dirimatur. Sed hic sunt nonnulla dubia: Dices primo, An matrimonium ratum non consumatum, possit ex dispensatione Papæ dissolui. Resp. posse ex causa legitima, & vrgente, argumentum ex cap. ex publico. de conuers. coniugat. & ibi gloss. Hostiens. Abbas. & communiter canonistæ. Angel. verb. matrim. 3. §. 3. sylu. verb. diuortium. q. 7. qui multos citat. Anton. 3. p. tom. 1. cap. 21. §. 3. Armill. verb. dispensatio. §. 8. Nauar. cap. diuortium. de pœnit. d. 1. num. 4. & in manuali

cap.

cap.22.nu. 21. vbi refert se vidisse bullam talium dispensatio num.Caiet.opus.28.Medin.l.5. de sacrorum hominum continentia.quamuis theologi contra sentiant, dicentes non posse dissolui nisi per ingressum religionis, quos sequitur Couar. epit.p.2.cap.7.§.4.num. 13. Dices secundo, An sit validum matrimonium quando aliquis credens suam coniugem esse mortuam,transit ad secundas nuptias.Resp.neuter coniugum potest legitimè celebrare secundum matrimonium,nisi morali certitudine compertum sit suam coniugem esse mortuam; vt habetur cap.dominus.de secundis nupt.& docet Sot.in 4.d. 37.ar.5.concl.4.Angel.matrim.3.impedim.12.§.4.hæc autem certitudo nō datur nisi p fidelē nūciū fide dignū. Vel nisi aliunde adessent inditia illi æquipollentia,quod tamen rarò accidit ideo non facilè admittenda. Dices tertio, An sufficiat fama. Resp. aliqui putant sufficere famam ex remoto loco. ita Sylu. matrim.8.q.13.§.4.Rosell.impedim.12.§.3.Nau. cap. 22.nu. 53.& alij.Sed oppositum est tutius,& tenendum; quòd scilicet fama communiter ad id non sufficiat, siue fama ex propinquo sit loco, siue ex remoto, nisi alia probatio simul concurrat; quia fama sæpe solet esse falsa, & non sufficit ad faciendam certitudinem moralem,nisi fortè fama esset diuturna, & multorum.& ita intelligitur Abbas in cap.præsentia. de sponso.& tenet Sot.supra. Dices quarto, An qui non habet notitiam de altero suo coniuge per multos annos,possit contrahere? Resp. non posse nisi habeat certam notitiam de eius morte. nec sufficit septenarium,aut quodcunque tempus.ita habetur in cap. dominus.de secundis nupt.certitudo verò moralis est,per nuncium fide dignum.ex cap.in præsentia.de sponsal. vel quando talia sunt inditia,& tanta,vt æquivaleant nuncio certo.& hoc iudicare pertinet ad iudicem ecclesiasticum. si verò contraxit matrimonium, & postea dubitet de vita,vel morte coniugis, tunc potest reddere, sed non petere. Rosell. impedim.12.§.1. Sylu.matrim.8.q.13.§.2.Anton.3.p.tit.1.cap. 9. Armill. matrim.§.45.Nau.cap.22.num.54. Dices quinto, An sit validum matrimonium quando aliquis credens vxorem esse viuam, contrahit cum alia, & tamen de facto erat mortua. & simile dubium est,si quis contrahat cum aliqua quam putat sibi esse propinquam in gradu prohibito, & reuera non sit;ratio dubitandi est, quia in isto matrimonio de facto, & reuera non est

Zzzz ligamen

ligamen, quamuis ipsi imaginentur esse. Nauar. Respondet negatiuè, cap. 22. num. 43. & 56. Sot. d. 37. q. vnica. art. 5. Sylu. matrim. 8. num. 13. Fundamentum est, quia qui sic contrahit non habet voluntatem absolutam. imo nec potest habere; quia scilicet credit se non posse contrahere. hæc doctrina vera est ex parte, sed est aliquantulum diminuta. ego adderem cum Couar. cap. 3. §. 7. num. 2. & Archid. & alijs, quos citat Sylu. supra, adderem inquam, communiter ita esse matrimonium, quando sic contrahens exprimeret se (quantum posset) velle contrahere. Confirmatur; quia siquis contraheret cum conditione, vt, contraho si possum, istud matrimonium teneret; ergo & illud. Similiter siquis putat se non posse aliquid donare alicui, & tamen dicit, ego dono quantum possum, illa donatio tenet; ergo &c. Ad fundamentum prioris sententiæ, Resp. voluntatem limitatā posse esse in eo qui credit se non posse aliquid facere.

Vigesimum dubium. De *impedimento publicæ honestatis*, quomodo dirimat matrimonium. Resp. primo, quòd publica honestas est propinquitas proueniens ex sponsalibus, vel matrimonio rato, ex statuto ecclesię ratione honestatis. & est impedimentum dirimens; vt patet ex cap. sponsam. cap. ad audientiam. de spons. & cap. 1. de sponsal. in 6. & est communis sententia d. Tho. in addit. q. 55. art. 4. Nauar. cap. 22. num. 57. Couar. epit p. 2. cap. 6. §. 2. Candel. num. 234. Dixi *ex matrimonio rato*; quia ita communiter appellatur illa propinquitas quæ ex illo oritur. licèt d. Tho art 4 cit. ad 2. illam vocet affinitatem. & quicquid sit de mente illius, certum est comprehendi potius sub hoc impedimento; vt patet ex quadam extrau. Pij V. quæ incipit, ad Romanum. num. 66. Nauar. consil. 8. de consangu. & affin. Secundo dico, quòd licèt ante Trid. publica honestas orta ex sponsalibus in ijsdem casibus. & quoad eosdem gradus impediret, & dirimeret matrimonium, in quibus illa quæ orta erat ex matrimonio; modo tamen ex dicto concilio sess. 24. cap. 3. de reform matrim. adiuncta declaratione Pij V. in dicta extrau. secus dicendum est; nam honestas quæ oritur ex matrimonio rato, adhuc remanet quoad suos effectus sicut ante concilium Trid. vt declarauit Pius V. & consequenter extenditur vsque ad quartum gradum. Vnde neque vir mortua eius sponsa, de præsenti potest cum eius consanguinea intra quartum gradum contrahere matrimonium. nec quicquam

refert

refert an consanguinei sint legitimi, an illegitimi, vt Couar. supra. Tertio dico, quòd huiusmodi impedimentum contrahitur, quamuis matrimonium quod celebratur sit nullum. ita enim de iure ante contrahebatur, iuxta Nau. Couar. supra. & alios communiter. Quarto dico, quòd publica honestas quæ ex sponsalibus contrahitur iuxta Trid. & Pium V. in extrau. cit. non extenditur vltra primum gradum, & cum sponsalia sunt valida. ita vt licèt sponsus mortua sponsa non possit contrahere matrimonium cum matre, vel alia consanguinea in primo gradu, potest tamen cum alijs in vlterioribus gradibus. Similiter sponsa. Quinto dico, quòd post dictum decretum concilij Trid. ex sponsalibus nullis quacunque de causa, nullum oritur impedimentum honestatis, quamuis secundum ius antiquum oriretur, dummodo non essent nulla ex defectu consensus. cap. 1. de sponsal. in 6. Dices, An ex matrimonio contracto inter impuberes per verba de præsenti, nascatur hoc impedimentũ sicut ex sponsal. scilicet inter primũ gradum solum. Resp. negatiuè, oritur enim impedimentum, sicut ex matrimonio, vt ante concilium Trid. oriebatur. vt deducitur ex dicta extrau. ad Romanum. & expressè docet Nau. consil. 33. de sponsi. quamuis oppositum videatur dicere cap. 22. nu. 56.

Vigesimumprimum dubium. De *impotentia*, quomodo impediat matrimonium. Resp. & Nota primo, impotentiam quæ impedit, ac dirimit matrimonium, esse illã, secundũ quã aliqui nõ possũt cõiugi ex aliquo defectu, siue ex parte viri, siue ex parte coniugis. huius autẽ causa duplex esse potest; siue naturalis, vt est frigiditas in viro, aut etiam nimius calor; siue ab extrinseco, vt est defectus in eunuchis; aut ex morbo aliquo. alia causa potest esse operatio Dæmonis, quæ vocatur maleficium. & propter has duas causas titulus est de frigidis, & maleficiatis. & ad frigidos etiam reducuntur pueri ante legitimam ætatẽ. Secundo Nota, vtranque impotentiam posse aliquando esse perpetuam, aliquando ad tempus. item, aliquando ista impotentia præcedit matrimonium, aliquando subsequitur. item, aliquando illa impotentia est scita inter contrahentes; aliquãdo ignorata. item, aliquando potest auferri ope medicorum; aliquando non. intelligo autem hic non posse auferri, quando non potest sine periculo vitæ, vel non sine miraculo, vel quando non sine peccato. Intelligimus autem hic de impotentia

quæ sumitur pro impedimento naturali, aut accidentali ad copulam naturalem perfectam. Nauar. cap. 22. num. 59. Sot. d. 34. q. 1. art. 2. Sylu. matrim. 8. q. 16. in multis verò conueniunt doctores. in vno autem est præcipua difficultas: An impotentia scita dirimat matrimonium. Affirmatiuè respondent Palud. d. 34. q. 2. art. 1. cui videtur consentire Anton. 2. p. tit. 1. cap. 12. §. 1. Petrus Sot. lect. 5. de matrim. propter illud fundamentum, quia copula non est de essentia matrimonij. Negatiuè respondent Panorm. Ioannes Andr. tit. eod. de frigid. & malef. Nau. cap. 22. num. 60. Host. & Innoc. cap. consult. tit. eod. Sylu. verb. matrim. 8. q. 18. Sot. 34. q. 1. art. 2. Dur. Bonau. & alij. Ego dico primo, impotentia perpetua ad coitum, & ad seminandum ignorata, dirimit matrimonium. explico: primo certum est (sicut dixi de alijs impedimentis) debere intelligi de impotentia quæ præcedit matrimonium; nam matrimonium semel factum, & validum matrimonium, semper verum est. Secundo, dixi *impotentiam ad coitum*; quia impotentia ad generandum nullo modo impedit matrimonium, nam obligatio matrimonij non est ad generandum. dixi etiam *ad seminandum*; quia non solum illud, sed etiam si sit impotens ad hoc, nõ tenet matrimonium. quod intelligitur ex commistione seminum. dixi *perpetuam*; quia temporalis nullo modo impedit. vt patet ex cap. fraternitati. de frigidis, &c. dixi *ignorata*; quia de scita dicemus in alia conclusione. nunc probatur conclusio. Primo, ex toto tit. de frigid. & malef. & ex tit. de eo qui duxit quam polluit per adult. & per aliquot capita. 33. q. 1. Secundo probatur ratione; quia matrimonium est obligatio ad reddendum debitum, sed hoc inter impotentes non potest esse; ergo &c. ex quo infertes, hoc esse impedimentum iuris positiui. Secundo dico; Non potest omnino esse verum matrimonium inter impotentes. Vnde si aliqui scientes hoc impedimentum, contrahant, non est validum, aut verum matrimonium, nec sacramentum; quamuis possit esse contractus alterius rationis. probatur primo, ex dicto cap. consultationis. vbi habetur; vt cohabitent sicut frater, & soror. ex quo infero, illos non esse coniuges. Secundo (vt supra diximus) matrimonium includit saltem implicitè consensum, & copulam. Tertio, si inter istos esset matrimonium, cur non esset inter fratres, & sorores? Sed circa prædicta sunt nonnulla dubia. Dices primo, Quomodo

potest

potest cognosci impedimentum quando sit perpetuum, vel ad tempus. Resp. primo, idipsum coniugibus potest constare. Secundo, medicorum iudicium est inquirendum. Tertio, si non potest sciri, ecclesia vult vt per triennium cohabitent matrimonialiter, quo tempore elapso, habetur vt perpetuum, & tunc non tenet matrimonium. Secundo dices; quando impotentia est temporalis, & potest medicorum ope, aut arte chirurgi sanari, an teneatur impotens (seu vir sit, siue fœmina) perpeti maximos dolores, vt tollat istud impedimentum. Resp. affirmatiuè; dummodo non sit periculum mortis, vel dummodo non contrahat aliquam diuturnam infirmitatem; nam aliàs esset in perpetuum præiudicium coniugis. Dices tertio, An post cognitam impotentiam, possint cohabitare, & coniungi? Resp. ex cap. consultationi. de frigid. & malef. posse vt frater, & soror, sed non posse coniungi. quod caput intelligendum est, quando nullum esset periculum in cohabitatione; nam si esset, non posset permitti cohabitare; non enim sunt veri coniuges, nisi impedimentum sit particulare; quia potētia ad actus matrimonij, est de eius essentia, vt ex d. Tho. docet Sylu. supra. q. 16. art. 10. Nauar. cap. 22. num. 60. quicquid dicat Palud. supra. art. 3. Secundo dico, quòd si tales cum spe, & intentione perfectè consumandi copulentur, non peccarent, quamuis immunditia inde sequatur; quia hi semper actum naturalem consumare intendunt, vt docet Caiet. 2. 2. q. 154. art. 1. quem sequitur Nauar. supra. quidam enim cum consumare non posset, post sextum tamen annum genuit ex eadem filium, vt refert ibi Caiet. Dices quarto, An dictum triennium detur frigidis, an maleficiatis ad probandum? Resp. vtrisque dari; nam licèt cap. laudabilem. de frigid. & malef. loquatur de frigidis, tamen vt ibi notat. gloss. id à potiori intelligitur concessum etiam maleficiatis, cùm sit maior in his spes remouendi impedimentum. Sylu. supra. & alij. Dices quinto, Quid si facto diuortio mulier nubat alteri à quo per copulam sit apta priori viro? Resp. esse reddendam priori, si tamen secundus qui impedimentum sustulit sit illi priori similis, vt docet Riccar. d. 34. ar. 2. q. 2. Sylu. matrim. 8. q. 16. §. 4. ex Panorm. diuortium. q. 9. & probatur ex cap. fraternitatis. de frigid. & malef. vbi id etiam docent communiter doctores. idem dices de maleficiatis maleficio vniuersali; secus tamen esset si maleficium esset particulare respectu

parti-

particularis personæ tantum. d. Tho. d. 34. q. 1. ar. 3. Sylu. supra. §. 8. Dices sexto, poterunt ne hi impotentes contrahere secundum matrimonium cum alijs? Resp. primo, qui habet impotẽtiam naturalem, non potest cum alia vel cum alio contrahere communiter; quia impotentia naturalis est ad omnes. dixi *communiter*; quia aliquando potest contingere vt sit impotens respectu vnius, & non alterius. Secundo, alter qui non erat impotens, potest contrahere. Dices septimo, Quid si elapso triennio, & contracto secundo matrimonio, appareat illum esse potentem qui priùs fuerat iudicatus habere naturalem impotentiam perpetuam, an sit restituendus primo matrimonio. Resp. affirmatiuè, & patet ex cap. laudabilem. de frigid. & malef. quia apparet illam non fuisse impotentiam perpetuam. Dices octauo, Quid si mulier dicit, quòd vir non potest eam cognoscere, & vir dicat se posse? Resp. standum esse viro, nisi mulier probet contrarium. si autem viri frigiditatem mulier ueget, asserens se cognitam ab eo, standum est verbo mulieris; Sylu. verb. diuortium. q. 18. & alij. & sic dissoluetur matrimonium elapso tempore. Dices nono, An castrati, seu eunuchi, possint contrahere matrimonium. Resp. ex communi sententia primo, eunuchi qui non possunt seminare, non possunt contrahere matrimonium, neque contractum, esset validum; quia tales non censentur seminare. Secundo dico, non requiri vt possint generare; quia sic senex, aut sterilis, non posset contrahere matrimonium. ex Palud. in 4. d. 37. q. 2. art. 3. Anton. 3. p. tom. 1. cap. 12. §. 2. Angel. matrim. 3. impedim. 16. §. 3. Gabr. d. 34. q. 1. Sot. ibid. q. 1 art. 2. Sylu. matrim. 8. q. 16. §. 7. Nauar. cap. 22. nu. 60. & est communis. Tertio dico, quòd matrimonium contractum cum impotente, est inualidum, etiam si alter coniux sciat huiusmodi impedimentum, quando scilicet est huiusmodi, quòd non possint consumare matrimonium; quia est impedimentum dirimens. quamuis oppositum teneat d. Tho. in addit. q. 58. ar. 1. ad 4. Palud. Anton. & alij, quos refert Sylu. Nau. Gabr. nostra autem sententia est cum Sylu. q. 16. cit. §. 10. Nau. cap. 22. num. 60. Innoc. Panorm. Host. cap. consultationem. de frigid. & illis fauet ratio; quia potentia ad consumandum est de essentia matrimonij. Dices decimo, Quid si hoc impedimentum sequatur matrimonium. Resp. non dirimere; etiamsi matrimonium sit contractum solum, & non consumatum. Sylu. q. 16. cit. §. 7. &

dicit

dicit esse communem sententiam, licet aliqui contra sentiant. Anton supra. §. 2. Dices vndecimo, quid si aliquis per exsectionem, vel per incisionem fiat inhabilis ad consummandum? Resp. idem dicendum esse quod de eunuchis. Sylu. supra. §. 7. & Anton. 3. p. tom. 1. cap. 12. §. 2. Dices duodecimo. Quid si dubitatur an impotentia praecesserit matrimonium contractum. Resp. in hoc casu praesumitur praecessisse, vt Panorm. in cap. fraternitatis. de frigid. & malef. Sylu. dicta q. 16. §. 9. Riccard. in 4. d. 34. Neque obstat cap. licet ex quadam. de test. vbi habetur, quòd in dubio praesumendum est pro matrimonio, nam id verum est quando matrimonium potest habere suum effectum, vt Panorm. & Sylu. exposuerunt. Dices tertiodecimo, an amentia seu furia, impediat matrimonium. Resp. ad irritandum matrimonium non sufficit quòd amentia praecesserit, vel sequatur ipsum matrimonium, sed requiritur vt contrahens sit amẽs tempore quo contrahit; quia tunc cùm desit consensus, matrimonium est nullum; non enim est satis consensus virtualis sicut in batismo, sed requiritur actualis. ex quibus intelliges caput is qui. & cap. neque furiosus. 32. q. 7. & docet d. Tho. d. 34. q. vnica. art. 5. & in addit. q. 58. art. 3. Riccard. art. 4. q. 1. Sot. q. vnica. ar. 4. Victor. q. 287. & alij. Dices decimoquarto, An coniux sanae mentis teneatur reddere debitum furioso? Resp. potest reddere, sed non tenetur, cùm illum non liberè petat. Sot. & Victor. supra. Dices decimoquinto, An liceat copulare duos amentes extra matrimonium. Resp. non. Sot. ibid. imo essent prohibendi si hoc ipsi tentarent. Dices decimosexto, Quid si matrimonium contractum fuerit ante legitimam aetatẽ duodecim annorum in foemina, & quatuordecim in masculo, esset ne validum? Resp. primo, si verè puer habeat impotentiam coeundi, non tenet matrimonium; ita Sot. d. 35. q. vnica. art. 5. & licet illa impotentia temporalis sit, (quia prouenit ex aetate) tñ iure ecclesiastico illud nõ habetur pro matrimonio, sed pro sponsalibus; vt habetur ex cap. vltimo. de desponsi. impub. & cap. vnico. tit. eod. in 6. at post istam aetatem etiam si adhuc puer esset impotens, est tamen verum matrimonium; quia aetas non impedit & impotentia est temporalis. Secundo, si malitia, & prudentia suppleret aetatem, ante illud tempus teneret matrimonium factum. ita habetur expressè locis citatis. Vocatur verò prudentia sufficiens, vsus rationis. & vocatur hic

malitia,

malitia, potentia generatiua, quod indicare pertinet ad iudicem ecclesiasticum.

Vigesimumsecundum dubium, De *Maleficio*, quomodo possit causare impotentiam, &c. Resp. & Dico primo, certissimum est opera Dæmonum, & Maleficarum, fieri aliquando homines impotentes ad actũ matrimonij, quæ impotentia si præcedat matrimonium, & sit perpetua, dirimit illud, ac si esset impotentia naturalis. Malefici verò vocantur illi, qui arte Dæmonis vtuntur ad aliquem effectum causandum, adhibitis quibusdam Cæremonijs, vel characteribus, aut carminibus; quæ signa sunt quibus dæmon inuocatur, & excitatur ad operandum. Addo tamen, non posse negari esse quandam magiam naturalem, quæ solum prouenit ex occultis quibusdam virtutibus rerum naturalium, sine vlla Dæmonis inuocatione, vel pacto. aliquando magia est mista ex naturali, & diabolica simul; qualis fuit (arbitror) Apulei, Zoroastri, & Apollonii; & valde dubitandum est de his qui scripserunt de occulta philophia, & de magia. Quòd autem opera dæmonum, & maleficarum fiant homines impotentes, probatur ex cap. si per sortiarios. 33. q. 1. & ex tit. de frigid. & malef. cap. literæ. Secundo patet experientia multorum, quam negare impudentia esset. Confirmatur, quia eadem experientia compertum est, quòd destructis illis instrumentis, cæremonijs, & ligaturis, facti sũt potentes qui priùs erant impotentes. legendus est Iacobus Strenger in libro quem inscripsit malleum maleficorum, vbi ponit quamplurima exempla huius materiæ. probatur nunc quòd hæc impotentia si præcedat, dirimat matrimonium; ex toto tit. de frigid. & malef. præcipuè in cap. laudabilem. Dices primo, quomodo cognosces quando est perpetua. Resp. eodem modo quo cognoscitur naturalis. datur enim triennium ab ecclesia ad hoc cognoscendum. Dices secundo, quomodo causatur hæc impotentia ex maleficis. Resp. primo ex operatione reali; quod dupliciter fit; nam aliquando possunt applicare aliqua naturalia habentia vim infrigidandi hominem. aliquando retinendo semen, vel causando aliquod impediens generationem. aliquando fit præstigijs, & illusione sensuum, aliquando potest immutare species, sicut etiam fit in somniantibus. aliquando ludificando obiectum externum, & faciendo vt aliter appareat quàm est, sicut sæpe potest dæmon facere vt videatur

deatur

deatur turpissimus, vel turpissima coniux, & vt afficiatur aliquo alio coniuge. quod autem maleficæ vtantur quibusdam instrumentis adhoc efficiendum, & ligaturis, nullo modo credendum est illa habere aliquam causalitatem ad illud: sed tantum sunt signa quibus Dæmon excitatur, & inuocatur ad agendum. Dico secundo, Certissimum etiam est, eadem Dæmonis arte, & maleficarum, multos alios effectus fieri in animabus, & corporibus hominum, ac rebus externis, non imaginariè tantum, sed reuera, id permittente iustissimo Dei iudicio. Probatur primo, potest Dæmon, vel malefica, inducere hominem in amentiam, 1. Reg. 16. habetur de Saule, *exagitabo illum &c.* & Matth 8. & sunt exempla apud Hieronym. in vita Hilarionis. Sed dices, quomodo potest id Dęmon facere? Resp. aliquando posse Dæmon ingredi in corpus humanum, & perturbare organa, sicuti etiam vinum perturbat hominem. potest etiam distrahere hominem in talem cogitationem, vel amorem, vt ex eo fiat amens. Secundo, potest Dæmon per maleficia excitare voluntates ad odium, & amorem; probatur ex Hierony. supra, & Gregor. l. 1. dial. cap. 4. Petes secundo, Quomodo fieri potest vt odium commutetur in amorem. Resp. importunis persuasionibus Dæmonis, vel commotione humorum vel applicatione aliquorum naturalium, nullo tamen modo potest cogere voluntatem ad hoc. Tertio, potest Dæmō, vel maleficus, transferre corpora de loco ad locum realiter, quamuis de facto non semper ita fit, sed aliquando fit imaginariè. probatur ex d. Tho. 1. p. q. 110. Matth. 4. Dæmon portauit Christum supra pinnaculum templi. & patet de Simone mago sublato per aera, vt ait Egesipp. l. 3. cap. 2. & August. ser. de Petro & Paulo. & de alio mago scribit Epiphan. hæres. 30. & August. l. 18. ciu. cap. 18. hoc dicit de socijs Diomedis mutatis in aues. Videndus est malleus maleficar. p. 2. q. 1. cap. 3. & Bartholomæus spinæus de Strigibus. Addo tamen sæpe id non fieri realiter, sed per somnia, vel per sensuum alienationem, vel alio modo: & aliquando ipsimet qui dicuntur translati, aduertunt id fieri per imaginationem; sensus enim illorum delusi fuerunt. Quarto, possunt etiam transformare vnum corpus in aliud; quod his modis fieri potest: Primus est, corrumpendo vnum & generando aliud; quod non potest facere ad nutum suum, sed applicando actiua passiuis. Vnde animalia per fictai

posset, ita producere. & ita concedit August. l. 3. de Trin. cap. 7. & 8. Magos Pharaonis conuertisse virgas in serpentes. Secundus modus est, operatione quadam; potest enim Dæmon addere alicubi aliquos, & per somnia repræsentare illis se conuersos in aliquam belluam, & Dæmon assumit aliquam quam vult belluam, & illis repræsentat. ita August. l. 18. ait socios Vlyssis mutatos à Circe. Tertius modus est, ducere in vnum locum mutandos. & ibi sufficere aliquod animal loco mutandi. Quartus modus fit præstigijs, & illusione sensuum, quod fit tam in sensibus eorum qui putantur mutati, quàm eorum qui fit ante oculos astantium, vt ait Palladius cap. 19. Quintus est, quando Dæmon infert morbum ad mortem, & necem, vt patet de pecudibus Iob, & septem viros Saræ occidit. Vitam nullo modo potest restituere verè, sed fictè tantum, sanitatem verò duobus modis reddere potest: Primo, per medicamenta naturalia. Secundo, cessando à nocumento quod ipse infert. ita Tertull. cap. 22. Apologetici. & Lact. l. 2. cap. 26. Sextus modus est, quo possunt nocere infantibus; & ob hoc quædam mulieres dicuntur striges; & hoc patet experientia. hic autem modus est duplex; alter est naturalis; aliquando enim striges premunt corpora tenella puerorum, vel acum in caput infigunt. aliquando fascinant, quod etiam est naturale; oculis enim turbidis inficiunt aerem, quo inficiuntur etiam humores hominum. alter modus non solum est naturalis, sed etiam ex pacto Dæmonis cum quo pactum est factum vt operetur Dæmon quando (verbi gratia) aliquæ inspiciunt aliquem vel puerum, vel aliud; vel quando tangunt aliquam imaginem &c. Septimus est de incubis, & succubis, de quibus prima sententia falsa est, posse Dæmones ex proprio semine generare, & id fecisse Philo Iudæus l. de gigantibus. & Tertull. l. de Veland. virginibus. & Ioseph l. 1. antiqui. cap. 3. fundamentum est ex Gen. cap. 6. sed falsa est sententia; quia Angeli non sunt corporei; tum quia non habent diuersum sexum; tum etiam quia textus Gen. est contra ipsos, subditur enim ibi; *non permanebit spiritus meus in hominibus his, quia caro sunt.* exponitur verò ille locus hoc modo; vt filij Dei dicantur illi, qui erant ex generatione Seth, qui colebant Deum. filiæ verò &c. erant de generatione Cayn. vel vocantur filij Dei, homines statura magna, & procera. Secunda sententia dicit, omnino esse falsa

quæ

quæ dicuntur de incubis, & succubis. sed contra hos est experientia tàm certa, vt August. l. 15. ciu. cap. 23. dicat, esse impudentię negare. est etiam contra ipsos doctrina scholasticorum, Clem. l. 3. strogm. Euseb. l. 5. præpar. euang. cap. 4. Methodius Epiphan. in hæres. Origenes. Lact. l. 2. cap. 15. Vnde tertia sententia est tenenda; scilicet Dœmonem in forma aliqua corporis assumpti posse id facere, recipiendo semen ex aliquo, & transferendo in aliam. Vnde si aliquando generaret, non est filius Dœmonis qui nascitur, sed illius cuius est semen. Octauus modus est, quo Dœmon potest rebus externis nocere, & per eum malefacere, vt patet apud Iob, &c. potest enim excitare grandines; & multa huiusmodi præstare. Tertio dico, Maleficium alio maleficio auferre, nullo modo licitum est. ipsum verò maleficium factum destruere licet. remedia quoque naturalia bona sunt, sed spiritualia sunt meliora. de primo remedio est opinio Angeli verb. superstitio. §. 13. non licere facere maleficium, sed licere vti opera malefici parati ad hoc vt faciat maleficium. fundamentum est, quia eodem modo licet mihi recipere ab vsurario parato ad vsuras. Sed omnino falsa est sententia; quia omne ius prohibet hoc. Leuit. 19. & 20. Deuter. 18. & ius canonicum cap. qui sint. 26. q. 2. & ius ciuile, l. nemo. C. de maleficis. & ratio est, quia maleficium intrinsecè malum est, & non potest benè fieri. Vnde quicunque petit maleficium, cooperatur malo. & per hoc ruit fundamentum contrariæ sententiæ. nam cum peto ab vsurario, ille potest dare mihi mutuo sine vsura. & sic non est cooperari malo. De secundo remedio probatur primo; destruere maleficium est destruere opus malum, ergo nihil habet mali. Secundo; quia cum destruitur non fit ex pacto aliquo Dęmonis. Tertio, neque obstat quòd hoc fit recurrere ad maleficos, quia non recurrimus ad illos vt tales sunt, imo illa maleficia destruit. Neque etiam obstat, quòd hoc fit expectare sanitatem à Dęmone quòd hoc Dęmon non facit; sed tantum curare ne Dęmon noceat. Dices, at maleficus pactum habet cum Dęmone vt noceat quando signa adsunt, & cessat nocere quando illa auferuntur. Resp. aliquando esse vnum tantum pactum inter maleficum, & Dęmonem; vt scilicet noceat illis signis existentibus, & tunc licet tollere, aliquando est duplex pactum, & tunc potest maleficus dupliciter auferre illa signa; vno mo-

do vt sit illa ablatio destructio primi pacti, & tunc est licitum. Secundo, quando ita aufert, vt velit sibi seruare pactum secundum; & tunc illicitum est. probatur de tertio remedio; quia cùm illa sint remedia naturalia à Deo collata, tunc est licitum. addo tamen, quòd sæpe ista non sint vtilia, quia Dæmon potest applicare alias contrarias virtutes quas nos ignoramus. De remedijs spiritualibus, patet. Primum est fides, & amor Dei; nam præcipua causa quare Dæmon permittitur nocere, est infidelitas; vt patet exemplis; ex Epiphan. hæres. 30. Greg. l. 1. dialog. cap. 4. & alijs. Secundum est confessio peccatorum. Ioan. 5. *noli amplius peccare &c.* Tertium est sacra cõmunio; patet exemplo ex l. 2. vitæ sancti Bern. cap 3. & August. l. 22. ciu. cap. 8. Quartum, sunt exorcismi ecclesiæ, quorum vsus est antiquissimus ex tempore Apostolorum, vt patet act. 19. & ex Ioseph l. 8. antiqu. cap. 2. vbi etiam refert Salomonem cõposuisse exorcismos cõtra Dæmones. Quintũ est signũ Crucis. vidẽda sunt exẽpla apud Greg. l. 2. dial. cap. 10. & l. 3. cap 6. & alijs. Sextum, sunt reliquiæ sanctorum: Constat enim apud sepulcra, & reliquias Martyrum solitos Dæmones rugere, & aufugere ab obsessis. legẽdus est August. l. 22. ciu. cap. 8. Ambros. serm. de sanctis Geruasio & Protasio. Septimum est oratio; probatur ex Tob. cap. 8. ex Matth. 17. Octauum est aspersio aquæ benedictæ, ex Epiphanio hæresi 30. Theodoret. l. 5 histor. c. 21.

Vigesimumtertium dubium. Quæ sunt impedimenta non dirimentia; quæ scilicet impediunt matrimonium contrahendũ sub peccato mortali, non tamen dirimunt contractum. Resp. posse reduci ad hæc vndecim. Primum est interdictum ecclesiæ, & feriarum, vt patet in tit. de matrimonio. contra interdict. ecclef. & docet Nauar. cap. 22. num. 68. & ratio est; quia superiores iustas ob causas possunt prohibere ne contrahant; & tenemur obedire superioribus de iure diuino. Dices, An de iure communi sint aliqua tempora in quibus impediamur à matrimonio contrahendo. Resp. primo, certum est esse prohibitas nuptias, & solennitates earum ab aduentu ad Epiphaniam. & à prima die Cinerum ad octauam Paschæ. ita Trid. sess. 24. cap. 10. Secundo, dubium tamen est, an liceat his temporibus sine vlla solennitate contrahere, & consumare. Resp. Palud. in 4. d. 32. Anton. 3. p. tit. 2. cap. 17. Rosell. verb. impedim. 13. §. 3. dicunt non licere, & esse peccatum. At Caiet. verb.

ma-

matrim.p.2.& Nau.cap.22.nu. 71. dicunt licere, modò omnis absit solennitas. Hæc sententia est verior, vbi tamen non viget contraria consuetudo; præcipuè quia Trid. supra videtur prohibere solennitatem. Secundum est sponsalitium; nam post cōtracta sponsalitia cum vna (illis durātibus) nō potest quis cōtrahere matrimonium cum alia sine peccato. quod de genere suo est peccatum mortale. tamen secundum omnes est validū. Nau.cap.22.num.72.Sylu.verb.matrim.7.q.3.& verb.sponsalia. Tertium, est cognatio spiritualis quæ ducitur ex catechismo, impedit, sed non dirimit. cap. per catechismum. de cognatione spirit. in 6. est autem catechismus, institutio baptizandi solenniter à sacerdote facta antequam baptizetur. can. ante baptism. de consecr. d. 4. & olim extendebatur ad eos gradus ad quos profecta est cognatio spiritualis iuxta Sylu. verb. matrim. 7.q.4. Nauar cap. 22. num. 72. qui tamen probant nunc esse restrictum per Trid. sicut cognatio spiritualis. Quartum, est votum simplex castitatis, vel religionis, vel suscipiendi ordines sacros, vel non contrahendi matrimonium. ex cap. 2. d. 27.& cap. rursus.& cap. consuluit. qui clerici vel vouentes. & est communis sententia. Sylu. matrim. 7. q. 5. Nau. cap. 22. nu. 73. Sot. d. 28. q. 2. art. 1. Sed circa hæc sunt aliquot dubia: Dices primo, An cum his votis contrahens, peccet mortaliter. Resp. duo sunt certa: primum, contrahens cum voto non contrahendi matrimonium, peccat mortaliter contra votum. Secundum est, in alijs tribus peccaret siquis contraheret cum animo non consumandi, sed intrandi religionem. Summa Angelica, & Caiet. verb. matrim. tenent non peccare. Contrarium tenet Nau. cap. 22. num. 73. Sylu. verb. matrim. 7. q. 5. Sot. d. 28. q. 2. ar. 2. & hæc opinio est vera, & tenenda; tum quia contrahere est contra canones citatos; tum ob periculum consumandi; tum quia est iniurius coniugi. Prior sententia potest esse vera quando esset certus quòd admitteretur in religionem. Item, quando nulla fieret iniuria coniugi, & quando nullum esset periculum. Secundo dices; qui post aliquod ex dictis votis contraxit, an possit petere, & reddere debitum. Resp. primo, si post votum non contrahendi contraxit, potest petere, & reddere etiam prima vice. ratio est; quia fregit votum, & fecit votum impossibile. Secundo, si post votum religionis contraxit, prima vice non potest petere, nec reddere; ratio est, quia adhuc potest ser-

uare

uare votum suum. Item, post consumatum matrimonium potest petere, & reddere; quia vouens religionem, non vouit castitatem directè. Tertio, si post votum castitatis contraxit, certū est quòd nō potest nec prima vice, nec postea, petere debitū; quia quantum est de se, tenetur seruare castitatem, & non petere. dixi *castitatis*, & non virginitatis; quia post votum virginitatis consumato semel matrimonio, potest petere, & reddere; quia votum factum est impossibile. Solum ergo restat dubium, An qui vouit castitatem, & virginitatem, possit prima vice reddere debitum; vel, an teneatur fieri religiosus. Nauar. respondet affirmatiuè; cap. 22. num. 73. & cap. 12. num. 80. & Sylu. matrim. 7. q. 1. ratio est, quia iste potest seruare votum suum si fiat religiosus; quare tenetur. Contrarium dicit Sot. d. 38. q. 2. arc. 1. Angel. matrim. 7. impedim. 5. ratio eorum est; quia videtur durum obligare quempiam ad religionem quam non vouit. & hæc secunda opinio videtur mihi magis vera. Dices tertio, An is qui non vouit castitatem possit reddere debitum ei qui vouit castitatem, & petere. ratio dubij est, quia ex vna parte videtur cooperari peccato. ex altera parte, quia ipse se obligauit ad reddendum debitum petenti, & ille non amisit ius petendi, quamuis petens peccet. Prima opinio est, quòd non possit reddere, quia cooperatur. Nau. cap. 16. num. 31. Secunda est, quòd tenetur. est Couar. p. 2. cap. 3. §. 1. num. 6. qui sequitur Adrian. in 4. q. 14. de matrimonio. & videtur Soti d. 21. q. 1. art. 3. huic secundæ sententiæ fauet ratio; non enim valet ista consequentia; vnus peccat petendo, ergo alter non tenetur reddere. verbi gratia, dubitat aliquis de valore matrimonij, non potest petere. non autem sequitur, quòd alter non possit reddere; cùm sit certus de valore matrimonij; ratio est, quia quando opus non est de se malum, licèt vitietur ex aliqua circunstantia, ego non cooperor peccato. & per hoc soluitur fundamentum contrariæ sententiæ; non enim ego reddendo, cooperor peccato petionis. non nego tamen contrariam sententiam Nauarri non esse probabilem. & ego relinquerem vnumquenque coniugem in sua conscientia. Dices quarto, An peccet qui rogatus an teneat matrimonium post simplex votum castitatis, respondet tenere. Resp. si ex tali responsione ob circunstantias dedit occasionem violandi votū, peccaret; aliàs non. Nau. supra. num. 33. Dices quinto, An incestus occultus

cultus, etiam impediat. Resp. Sot. d. 38. q. 2. art. 1. tenet cum Panorm. quòd non impediat quando occultum est delictum. nec etiam presbytericidium. Dices sexto, An incestus cum propria consanguinea impediat matrimonium. Resp. prima sententia est d. Tho. in 4. d. 34. q. 1. art. vlt. Riccard. art. 4. q. 2. ad 2. Sot. d. 37. q. 1. Anton. 3. p. tom. 1. cap. 16. Syl. verb. matrim. 7. q. 6. §. 8. Caiet. 2. 2. q. 154. art. 9. Couar. epit. p. 2. cap. 6. num. 4. Castr. l. 1. de potest. leg. pen. cap 7. qui tenent non impedire. Opposita sententia est Abba. & Prępositi in cap. 1. & 2. de eo qui cognou. consangu, vxor. &c. Angel. verb. incestus. §. 5. Nau. cap. 22. nu. 24. & 25. & hæc opinio videtur tutior, quia ei fauent multi canones quos refert Angel. & Nau. & est stylus curiæ Romanæ, vt patet ex eod. Nau. Adde tamen, quòd vbi est consuetudo vt petatur dispensatio, licèt peccet mortaliter qui contrahit sine dispensatione, tamen post contractum non est opus alia dispensatione. Dices septimo, An impediat matrimonium incestus cum illa cum qua intercedit impedimentum publicæ honestatis. Resp. affirmatiuè, ex Palud. in 4. d. 34. q. 1. ar. 2. Couar. supra, num. 4. sed solum durat durante vita alterius delinquētis cap. duo pueri. de despons. impuber. Dices octauo, An impediat incestus cum cognata legali. Resp. negatiuè, ex Palud. ibid. Quintum igitur impedimentum est incestus, quando quis peccat cum consanguinea vxoris. & quando peccat etiam cōtra propriam consanguineam. ex cap. 1. de eo qui cognou. consangu. vxoris. quod intelligitur quando incestus fit viuente vxore, & quando scienter facit. Potest tamen in hoc impedimento Episcopus dispensare. & vbi consuetudo non est petendi dispensationem, potest contrahere. Sextum impedimentum est vxoricidium; ex cā. admonere. c. 35. q. 2. & 3. intellige de simplici occisione; nam si fiat cum circumstantijs supradictis, esset impedimentum dirimens. Dices primo, An liceat viro occidere vxorem deprehensam in adulterio. Resp. primo, si id faciat propria auctoritate, Palud. d. 34. q. 1. art. 2. tenet excusari ab hoc impedimento. sed oppositum tenet d. Tho. in addit. q. 60. art. 2. Sot. supra. Anton. 3. p. tom. 1. cap. 16. §. 4. & ipse Palud. d. 2. art. 2. est enim consilium; quamuis in foro exteriori non puniatur. Si autem id fiat auctoritate publica vt facit carnifex, sicut excusatur à peccato, ita excusatur ab hoc impedimento; traditur enim tunc vxor marito, tanquam proprio ministro

occi-

occidendi; Sot. d. 37. q. vnica. art. 3. idcirco est licitum. Idem dicendum est de vxore si occidat virum, nisi occidat animo contrahendi; quia eadem est ratio. Nau. cap. 22. nu. 74. Septimum impedimentum est presbytericidium. cap. qui presbyterum. de pœnit. & remiss. intelligitur tamen si sit coniuctus. Octauum est raptus alienæ sponsæ. ex cap. statutum. 27. q. 2. Sylu. Nau. & alij. quando autem sit impedimentum dirimens, supra dictum est. Nonum est proprij filij de fonte susceptio, quando fit malitiosè, ne scilicet teneatur reddere debitum, cap. de eo. 30. q. 1. in quo casu tamen tenetur reddere, licèt non possit petere. idem dicendum est de eo qui teneret in confirmatione; cùm eadem sit ratio. Decimum, est solennis pœnitentia facta pro aliquo crimine. cap. antiqui. & cap. de ijs. 33. q. 2. intelligitur tamen quandiù in pœnitentia durat. vt Sot. art. 1. cit. Vndecimum, est coniugium cum moniali professa, scienter. can. hi ergo. 27. q. 1. & 2. His adde excommunicationem maiorem, & minorem. Circa hæc impedimenta, Nota primo, quòd sunt ex instituto ecclesiæ, excepto secundo, & quarto, quę sunt de iure naturæ; quia spectant ad fidelitatem, vt notat Caiet. verb. matrim. cap. 2. Secundo nota, quod est peccatum mortale contrahere cum primo, secundo, & quarto impedimento, scilicet contra interdictum, contra sponsalitium, & contra votum simplex. sed cum reliquis octo si desit contemptus, non est peccatum mortale contrahere, si non est consuetum petere dispensationem; Sot. d. 37. q. 1. art. 1. concl. 2. tutius tamen est petere dispensationem. præsertim quia potest in dictis octo Episcopus dispensare. Imo etiam in primo, cùm interdictum factum sit ab Episcopo, vel alio inferiori. vt patebit in sequenti dubio.

Vigesimumquartum dubium. Quis possit dispensare in impedimentis matrimonij; & quibus de causis. Resp. primo, in omnibus impedimentis matrimonij iure humano introductis, potest Papa dispensare. qualia sunt omnia impedimenta, excepto impedimento consanguinitatis in primo gradu; vt supra dixi. & impedimento erroris, & iudicij. Nau. cap. 22. num. 84. Candel. num. 246. quare potest etiam Papa dispensare vt impubes possit contrahere matrimonium. Nau. consil. 39. de sponsal. Secundo, Episcopus potest dispensare in impedimento à se, vel à suo superiore inducto, imo in omnibus quæ impediunt

diunt, & non dirimunt. excepto voto castitatis, & religionis vt cum Palud. & Anton. docet Nau. cap. 22. num. 85. Angel. dispens. §. 5. Sylu. eod. q. 9. Armill. §. 20. Tertio, Episcopus nõ potest dispensare in aliquo impedimento quod impedit, & dirimit, secundum omnes; nisi quando impedimentum esset occultum, & matrimonium publicum, & separatio daret scandalũ, & non posset adiri Papa, vel legatus propter legitima impedimenta; vt cum Angelo & Sylu. tenet Nau. supra. & consil. de sponsal. Armill. dispens. §. 19. Candel. nu. 248. & sequent. Quarto dico, dispensatio (vt fiat sine peccato) requirit causam legimam. d. Tho. 1. 2. q. 92. art. 4. Sot. l. 1. iust. q. 7. art. 3. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 9. num. 7. Vnde non solum peccat mortaliter qui dispensat sine causa, sed etiam qui petit talem dispensationem; quia cooperatur peccato mortali. Caiet. 1. 2. q. 78. art. 5. Couar. supra. Trid. sess. 34. cap. 5. de reform. matrim. vbi statuit vt raro, & cum causa, & gratis dispensetur. in secundo autem gradu nunquam nisi inter magnos principes, & ob publicam causam. Couar. supra. § 9. nu. 7. d. Tho. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 2. & est constitutio Greg. XIV. quæ prohibet eas dispensationes petere, &c. Quinto dico, quòd causa legitima ad dispensationem cum his qui in tertio, & quarto gradu coniuncti sunt, est triplex; defectus dotis competentis, extintio magnæ litis, vel quòd non reperiat sibi parem qui non sit consanguineus, vt statuit congregatio concilij. addit tamen in tertio casu maturiùs esse procedendum. has causas refert Nau. cap. 22. nu. 87. & consil. 6. de consangu. & affin. Armill. dispens. §. 13. Candel. num. 251. Sexto dico, quòd dispensatio subsequens non inualidat matrimonium nisi accedat nouus consensus; vt notat Nauar. cap. 22. num. 86. Sed sunt circa hæc aliqua dubia: Dices primo, An sit valida dispensatio sine causa. Resp. primo, in illis quæ sunt de iure positiuo, dispensatio obtenta à Papa sine causa, est valida. ita Innoc. in cap. ad monasterium. de statu regul. Abbas in cap. non est. de voto. Angel. verb. dispensatio. §. 3. Sylu. eod. q. 3. Caiet. 1. 2. q. 96. art. 5. Sot. l. 1. iust. q. 7. art. 3. Medin p. 2. q. 100. art. 8. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 9. num. 10. & est communis. Secundo dico, quòd si delegatus ex facultate sibi concessa dispensaret sine causa, dispensatio esset nulla in vtroque foro; quia facultas dispensandi hoc modo intelligitur concessa. ita Innoc. supra. Felin. in cap. ad audientiam. il

Bbbbb secondo

secundo de rescript. Sylu. supra. Couar. supra. num. 11. Tertio dico, quòd dispensatio sine causa concessa in rebus quæ inuoluunt ius diuinum, est nulla, ex communi sententia. Dices secûdo, An sine peccato liceat vti dispensatione impetrata sine causa. Resp. quòd si dispensatio fuit inualida, est peccatum mortale, illa vti; si autem fuit valida, est solum peccatum veniale iuxta Caiet. verb. dispens. Sot. dicta q. 7. art. 3. Nau. prælud. 9. num. 14. esset tamen peccatum mortale, quando talis vsus redundaret in scandalum, & in graue damnum aliorum, vt notant Sot. Nau. & alij, supra. Nota tamen, quòd si ex vi talis validæ dispensationis matrimonium esset contractum, vsus illius non esset reputandus illicitus; quia matrimonium ipsum est, ratum, & legitimum; licèt contractum sit in peccato. Couar. §. 9. cit. num. 10. Dices, an dispensatio concessa vni, intelligatur concessa alteri cum qua petijt contrahere. Resp. affirmatiuè; Nau. consil. 4. de sponsal. Dices tertio, Quę circunstantiæ explicandæ sunt in petenda dispensatione, vt sit valida. Resp. debent exprimi quæ possunt mouere Papam ad concedendum, vel non concedendum. ex cap. super literis. & cap. in nostra. de rescript. & ibi Abb. & Felin. Nau. cap. si quando. tit. eod. & cap. consideret. num. 18. de pœnit. d. 5. Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 10. num. 14. & alij. Nota tamen ex Nauar. cap. 22. nu. 86. quòd licèt omnis expressio falsi noceat, non tamen quælibet taciturnitas veri idem facientis, sed solum ea quæ tacent verũ quod iura iubẽt exprimi, vt notat Rota in nouis decisiõ. 32. num. 5. rescript. Felin. & alij, qui ibi citantur. & Nau. cap. 22. num. 86. & in cap. si quando. de rescript. Hinc infertur primo, quòd qui contrahunt scienter in gradu prohibito, vel cum alio impedimento cognito, vt faciliùs post contractum matrimonium cum eis dispensetur, non obtinent validam dispensationem, nisi in petitione dispensationis exponant hanc fraudẽ. glos. in cap. si quando. de rescript. Nau. supra. & habetur in regula cancellariæ. Adde, quòd post Trid. sess. 24. cap. 5. de reform. matrim. tales declarantur indigni dispensatione. Similiter si consumauit, neque expressit hoc, vt patet. item, quando ignoranter quis contraxit, (omissis tamen solennitatibus ecclesiæ) id exprimendum est, vt sit valida dispensatio; quia ex omissione solennitatis dispensatio redditur difficilior, vt patet ex Trid. ibid. Vnde patet, quòd quæ antea erant causa faciliùs dispen-

dispensandi, nunc omnino priuant spe dispensationis, vt notat Nauar. cap. 22. num. 86. similiter qui impetrat dispensationem contrahēdi cum cognata cum qua rem habuit tacito incestu, inualidam reddit dispensationem secundùm Nau. supra. quamuis aliàs contra senserit. l. 1. consil. tit. de const. q. 19. & consil. 4. de sponsal. & consil. 1. 2. & 5. de consangu. & affin. illud tamē sciendum est, quia est tutius; & ita seruat praxis, & respondit congregatio. Dices, quid si consanguinei non distent æqualiter à stipite, sed vnus (verbi gratia) distet in secundo gradu, alter in tertio, an si velint inter se contrahere, satis sit in dispensatione facere mentionem gradus remotioris. Resp. ante Pium IV. satis erat, & ita de iure dicendum est, vt ait Couar. epit. p. 2. cap. 6. §. 10. num. 12. & est communis. Sed Pius IV. statuit vt esset irrita dispensatio in qua obtinenda non fieret etiam mētio gradus propinquioris, vt patet ex extrau. 14. veruntamen Pius V. in extrau. 21. decreuit, quòd si altera persona propinqua esset stipiti in primo gradu, satis esset in dispensatione facere mentionem gradus remotioris, obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratorijs iuxta stylum curiæ, ex constitutionibus Gregorij XI. & Clementis VI. cuius styli meminit Couar. supra. num. 12. si tamen vnus distat in quinto, alter verò in tertio, vel quarto gradu, possunt contrahere sine dispensatione; quia tales sunt vltra quartum gradum coniuncti, vt patet ex dictis. secundo infertur, quòd quando affinitas, & publica honestas coincidunt, verbi gratia, siquis velit ducere vxorem consanguinei defuncti, exprimenda est in supplicatione dispensationis; nisi ex verborum explicatione intelligatur expressè, vt cum Panorm. tenet Sylu. verb. matrim. 8. q. 14. §. 3. Dices, An sint excommunicati qui contrahunt in casibus prohibitis. Resp. affirmatiuè; ex clementina 1. de consangu. qui contrahunt matrim. in gradibus prohibitis consanguinitatis, & affinitatis. item, qui contrahunt cum moniali. item, religiosi, vel ordinati in sacris; & qui contrahunt cum ipsis scienter. de quo Nau. cap. 27. nu. 41. Caiet. verb. excommunicatio. cap. 47. qui etiam notat, quòd non excommunicantur fœminæ, quæ cum religiosis, & ordinatis ordinibus sacris contrahunt.

De benedictione nuptiarum. Cap. VI.



Ico primo, circa benedictionem nuptiarum, nuptias esse benedicendas, vt patet ex can. sponsus. 3. q. 5. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. Secundo dico, quòd consumare matrimoniũ ante dictã benedictionẽ siue reddẽdo, siue petẽdo debitũ, nullũ est peccatũ; Nau. cap. 22. nu. 83. dũmodo nõ adsit contemptus; quia sunt tãtum de consilio; vt patet ex cap. nostrates 30. q. 5. vbi absolutè dicitur non esse peccatũ, licèt Caiet. dicat esse peccatũ veniale, tom. 1. opus. tract. 30. q. 1. & Sylu. verb. debitum. q. 9. Angel. eod. §. 1. qui tantum ex causa legitima committentes excusat à peccato. Candel. nu. 254. Tertio dico, iure communi nullas secundas nuptias esse benedicendas; ex cap. 1. & cap. vir. de secundis nupt. & probat Nau. supra. quia iteraretur benedictio saltem super vno sponsorum, quod ecclesia prohibuit; ne scilicet contemneretur huiusmodi benedictio. imo suspenditur ab officio, & beneficio sacerdos eas benedicens; cap. 1. cit. Opinio autem d. Thomæ, & aliorum qui tenẽt esse benedicendas aliquando secundas nuptias scilicet cum virgo nubit viduo, habere posset locum vbi esset talis consuetudo; vt notat Nau. supra. Quarto dico, quòd si duo contrahũt secundas nuptias, qui tamen in primo matrimonio non fuerũt benedicti, debent benedici; quia ratio iterationis in eis cessat, vt notat Nau. supra. num. 83. idque verum est etiam si sponsa sit vidua; quicquid dicat Sylu. verb. nuptiæ. q. vlt. Quinto dico, benedictionem nuptiarum non posse dari nisi à proprio parocho, vel de eius ordinaria licentia; vt Trid. supra. & Nau. cap. 22. nu. 69. Dices, quid si sponsi sint de diuersis parochijs. Resp. benedicere debet is in cuius parochia danda esset benedictio, vt supra dixi; & docet Nau. cap. 25. num. 144. quòd si velint ab alio benedici, petant licentiam. Sexto dico, quòd peccat mortaliter qui temporibus ab ecclesia prohibitis accipit benedictionem nuptiarum, aut in domum suam sponsam solenniter traducit. cap. si capellanus. de ferijs. & cap. non oportet. 33. q. 4. vbi notat solum prohiberi benedictionem,

nem, aut traductionem solennem, non autem sponsalia, nec matrimonium de præsenti, nec consumationem eius; vt ex cõmuni sententia docet Nau.cap.22.num.71.qui alios citat, qui sunt ab aduentu vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque ad octauam Paschæ inclusiuè, vt supra dixi, ex iure nouo concilij Trid.sess.24.cap. 10. de reform. matrim. & refert Nau.supra.nu.71. vnde ius antiquum restrictum est; vt habetur in dicto cap. cappellanus.

De Diuortio. Cap. VII.



PRimum dubium. Quid, & quotuplex est diuortium. Resp. diuortium dictum est sic, ob diuersitatem mentium; nam qui matrimonium distrahunt in diuersas partes eunt. l. 1.ff.de diuortijs. Fiunt autem tripliciter diuortia. Primo, quoad torum tantum. Secundo, quoad torum, & habitationem simul. & hæc vel in perpetuum, vel quoad tempus. perpetuum est quãdo ita fit separatio, vt etiam si alter nocens corrigatur, alter non tenetur illum sibi reconciliare. in perpetuo, innocens potest fieri religiosus. in temporali minimè. Tertio, fit diuortiũ quoad vinculum. Hic loquimur de matrimonio valido; quod quidem vel est ratum, & non consumatum; vel est ratum, & consumatum.

Secundum dubium. An matrimonium separari possit quoad vinculum. Resp. & dico primo, matrimonium ratum, & consumatum inter fideles, si sit validum, non potest dissolui nisi per mortem naturalem alterius coniugis; ex cap. gaudemus. de diuort. Sylu. verb. diuortiũ. q. 4. Secundo dico, matrimoniũ ratum, & non consumatum, potest dissolui dupliciter. Primo, per professionem in religione approbata alterius coniugis. Trid.sess.24.can.6.de sacram.matrim. Sylu. diuortium. q. 34. qui notat non sufficere habitum suscipere tertij ordinis, nisi esset religio approbata. Angel.§.18. Adde, quòd sacra congregatio declarauit bizocas quæ extra congregationem in priuatis domibus viuunt, non esse religiosas. Trid.sess.25.cap.17. de regular. & Nota, quòd relicta tenetur expectare professionem alterius antequam contrahat cum alio. Nau.consil.40.de

sponsal.

sponsal. Secundo dissoluitur per dispensationem Papæ, de quo supra. Dixi *inter fideles*, nam matrimonium contractum inter infideles dissoluitur per conuersionem alterius coniugis ad fidem, in casibus à nobis supra dictis. Dices; An sponsa cognita violenter à sponso, possit religionem intrare. Resp. si vis fuit absoluta, potest intra spatium duorum mensium post contractū matrimonium etiam de præsenti; aliàs non. vt cum Panorm. tenet Sylu. verb. diuortium. q. 1. quamuis Angel. matrim. 4. §. 17. non audeat consulere.

Tertium dubium. Quibus de causis dissolui possit matrimonium quoad torum, & habitationem? Resp. dissolui potest *primo*, ob fornicationem carnalem, seu adulterium. quod etiam extenditur ad suspicionem violentam, vel certam de illo peccato; & ad omnem coitum illicitum, & pollutionem cum alio, vel alia, etiam extra claustrum pudoris; vnde excluditur mollicies. cap. non solum. & cap. meretrices. 32. q. 4. & 7. ratio est, quia in his omnibus directè peccatur contra finem matrimonij; Sylu. verb. diuortium. q. 7. Anton. 3. p. tom. 1. cap. 22. §. 5. Angel. verb. matrim. 4. Tab. eod. q. 2. excipiuntur tamen aliqui casus quos refert Sylu. supra. q. 8. & 9. Primus est ignorantia adulterantis, quando non formaliter fornicatur, sed solum materialiter; verbi gratia, putabat virum suum esse mortuum, & accepit alterum. intellige nisi monita de vita primi mariti, pergeret in secundum matrimonium. cap. cùm per bellicam. 34. q. 2. Secundus est, quando coniux fornicatus est coactè, & vi, tunc enim non est peccatum, nec debet illi imputari; cap. ita ne. 32. q. 5. intellige de violentia, & coactione absoluta; nam si metu consensit, non excusatur nec à pœna diuortij. cap. propositum. 32. q. 1. Tertius est, quando per fraudem deceptus est, putans esse suum coniugem, cap. si virgo. 34. q. 3. Quartus est, quando vterque coniux fornicatus est, tunc enim paria delicta pariter recompensantur. cap. intelligimus. de adulterijs. Quintus est, quando alter coniux consensit adulterio, vel dedit proximam occasionem adulterij. cap. discretionem, de eo qui cognouit consangu. vxoris. proxima occasio esset, quando sciebat coniugem adulterari, & poterat impedire, & non impediuit. non tamen est proxima occasio si non aleret, vel eam eijceret domo. Sextus est, quando coniux innocens reconciliatur alteri, quod fit vel expressè condonando culpam, vel tacitè red-

reddendo debitum. intellige quando sponte reconciliatur; nã si coactè, non intelligeretur sibi præiudicare. adde etiã si sciẽs; nam si nesciens id facit, non sibi præiudicaret. Septimus est, quando in infidelitate dimisit coniugem, & ille dimissus accepit secundam coniugem, tunc si conuertatur non potest dimisso obijci adulterium; cap. gaudemus. de diuortijs. Secũdo, dissolui potest ob fornicationem spiritualem. per fornicationẽ spiritualem intelligo hæresim, iudaismum, infidelitatem, &c. intelligo, quandiù in ea permanserit. si enim talis corrigeretur, non deberet dimitti. Sylu. diuortium. q. 6. Angel. eod. §. 3. Tertio, ob periculum corporis, & ob inimicitiam capitalem, vel duram tractationem, vel quia insidiaretur vitæ eius; Sylu. supra. q. 6. Armill. §. 3. Nau. cap. 22. num. 22. Couar. epit. p. 2. cap. 7. §. 5. num. 1. Quarto, si introduceret ad peccatum mortale, ita vt alter probabiliter timeat siue intra ciuitatem, siue aliàs. Sylu. & Armill. supra. Angel. matrim. 4. ab eod. q. 24. Quinto, ob votum continentiæ, de quo Sylu. verb. diuortium. q. 12. Sexto, ob impedimentum frigiditatis viri, & ægritudinis mulieris, maleficijs, &c. Sylu. eod. q. 18. & sequentibus. Dices, An ob amẽtiã alterius liceat separari. Resp. negatiuè; nisi esset probabile periculum mortis. Nau. cap. 22. num. 22. Nota tamen, esse de fide quòd propter hæresim, aut molestam habitationem, aut affectatam absentiam coniugis non posse dissolui vinculum matrimonij, vt decreuit Trid. sess. 24. can. 5. de Sacram. matrim. & notat Victor. q. 104. Dices secundo, cur in Euangelio Matth. 18. excipitur tantum causa fornicationis? Resp. quia illa solum dat ius perpetuæ separationis. alia verò ad tempus, vel quandiù durat. & licèt ibi Christus loquatur de indissolubilitate vinculi, non tamen est absurdum, quòd etiam intelligatur de separatione quoad habitationem; quia data opera tunc non voluit à Pharisæis intelligi; quia non erant capaces talis doctrinæ. Secundo, si non liceret diuortium facere in isto casu, onus matrimonij esset grauissimum. Tertio probatur ex toto tit. de diuortio. & ex 31. q. 7.

Quartum dubium. An in dictis casibus diuortium sit faciendum propria autoritate, sine iudicis sententia? ratio dubij est, quia ex vna parte videtur euangelium concedere istud diuortium ex fornicatione. Matth. 18. ex altera verò parte non videtur licitum sua se autoritate vindicare. Resp. primo, quòd

debi-

debitum licet negare propria autoritate adultero: & fieri separationem quoad torum. d.Tho.in 4. d. 25. q.1. art. 3. Caiet.tom.1. opus.31.respons.4.Nauar.cap.22.num. 23. Secundo dico,quoad habitationē simpliciter non potest fieri diuortium nisi per ecclesiæ autoritatem.d.Tho.supra. & in addit.q. 62.art.3.Sylu.verb.diuortium.q.8.Angel.§.2. Rosell. §. 10. & 12.Armill.§.7.Tab.matrim.4.q.4.Couar.epit.p.2.cap.7. §. 5. num. 12.Alexand.III.cap. iterari.de restit.spoliat. & can. seu clarè.23.q.2.& est communis sententia.idque ratione scandali quod tunc sequitur. hinc sequitur, quòd si fieri possit sine scandalo in aliquo casu,esset licitum propria autoritate separare;vt quando matrimonium esset Clandestinum,vt accidere poterat ante concilium Trid.vt notat Sot.d.36.q.1.ar.3.similiter si adulterium esset valdè notorium,& publicum,tunc cessante omni scandalo posset dimitti vxor autoritate priuata, & diuortium fieri quoad habitationem.Panorm.cap.finali. de adulter.Sylu.verb.diuortium.q.8.Dices, An idem sit dicendū de fornicatione spirituali?Resp.affirmatiuè;cap.de illa.& cap. quanto.de diuort.ratio est, quia innocens habitaret cum maximo periculo suæ salutis, & propter magnam infamiam quæ esset illi.notat d.Tho.d.35.art.1.ad 3.in fornicatione carnali satis esse si semel coniux fornicatus sit;at in hæresi,vel infidelitate non est satis, nisi ostendat se pertinacem cum periculo alterius. Sed est

Quintum dubium. An si hereticus resipiscat,& conuertatur, teneatur alter innocens recipere, & reconciliari? ratio dubij est,quia ex vna parte diuortium perpetuum non videtur permitti à Christo nisi in causa fornicationis, & videtur dicere de carnali; ergo non debet illa doctrina dilatari ad alios casus:ex alia parte ius canonicum concedit.Resp.omnes conueniunt, quòd si hæreticus non fuerit damnatus per sententiam iudicis de hæresi,vel infidelitate, tenetur alter recipere illum. difficultas est, quando per ecclesiam fuit condemnatus an teneatur alter recipere correptum.glos.cap.finali.& cap. quanto.de conuers. coniugum. dicit coniugem innocentem teneri vel ad recipiendum si velit manere in seculo;vel ad religionē. idem docet Sot.in 4.d.39.art.4.ad 3. Altera opinio est, quòd nullo modo tenetur recipere,etiam si velit manere in seculo.& est opinio communior;d.Tho. Couar.& aliorum. & est tenenda;

da;quia cap. de illa. de diuort. expressè id docet. adhoc autem vt dicatur condemnatus ecclesiæ iudicio, non est opus, quòd fuerit per sententiam particularem de diuortio, sed satis est vt de crimine hęresis, vel infidelitatis sit damnatus. Neque obstat textus euangelij Matth. 18. *excepta causa fornicationis*, quia etiam si ibi ponat causam fornicationis carnalis, non tamen excludit spiritualem fornicationem.

Sextum dubium. An teneatur coniux innocens dimittere coniugem adulteram. Resp. & Dico primo, coniux non tenetur dimittere virum etiam in publico adulterio, vel illi debitum negare; quia non est eius corrigere virum, nam fortè faceret peius. nec daretur scandalum, quia communiter omnes intelligunt vxores non consentire in maritorum adulterijs. Sot. d. 36. art. 2. Caiet. opus. 1. tract. 29. q. vnica. & omnes alij. Secundo dico, Nec vir tenetur mulierem dimittere sub peccato mortali quando adulterium est occultum; quia diuortium faciendū est per ecclesiæ autoritatem, quod hic non est. neque tenetur quando alter coniux est correctus, & illa se emendauit; nam diuortium fieri solet ob spem correctionis, vel ad euitandum scandalum. vtrunque hic cessat. Confirmatur ex 1. Cor. 7. vbi dicitur, mulierem dimissam posse reconciliari viro; ergo correcta potest non dimitti, nec tertio tenetur dimittere quando timet sibi de incontinentia. in his igitur tribus casibus non tenetur vir dimittere vxorem, vt ex Palud. docet Tab. matrim. 4. q. 4. & Nau. cap. 22. num. 23. difficultas igitur est, quando adulterium est publicum, & coniux non correcta, an tunc teneatur vir dimittere vxorem. Resp. teneri sub peccato mortali dimmittere illam quoad torum, & habitationem, si eius fornicatio sit publica, & nulla sit spes correctionis. probatur ex cap. dixit dominus. 32. q. 1. d. Tho. in addit. q. 62. art. 2. Caiet. verb. matrim. cap. de vsu matrim. Palud. in 4. d. 32. Anton. 3. p. tom. 1. cap. 20. §. 9. Sot. d. 36. q. 1. art. 2. & 3. Victor. q. 290. & est communis. ratio est, quia videretur consentire peccato, & daret scandalum. quòd si cessaret scandalum, hoc etiam cessaret. nam idcirco doctores dicunt ad hoc teneri, ratione scandali, quia videretur coniux fauere turpitudini alterius. Tertio dico, quòd excipiuntur illi septem casus quos supra diximus dubio tertio, & refert Sylu. verb. diuortium. q. 9. d. 35. q. vnica. art. 1. Tab. matrim. 4. art. 1. Armill. matrim. §. 72. Anton. supra. Di-

ces, quid si ecclesia in dando sententiam diuortij decipiatur, & inter im vir fiat sacerdos, vel religiosus, postea verò errore comperto, vxor virum repetat? a esp. esse illi restituendus, qui reddat debitum, sed non petat. d. Tho. & Anton. supra. Sylu. diuortium. q. 21. Armill. §. 15. Tab. matrim. 4. q. 5.

Septimum dubium. An post diuortium vir possit aliam vxorem ducere; videtur enim posse nam Matth. 19. dum prohibetur, excipitur causa fornicationis. Secundo, quia id affirmat Ambros. 1. Cor. 7. & habetur can. vxorem, 32. q. 7. & sic plerique græcorum obseruant. idem tenuit Caiet. l. 6. diuin. instit. cap. 25. Catherin. q. vlt. de matrim. hinc est, quòd lutherani leuissimis de causis matrimonij vinculū dissoluunt, vt refert Echius Hom. 74. de matrim. His non obstantibus, contraria conclusio est de fide; quòd scilicet neque vir propter fornicationem vxoris, neque vxor propter fornicationem viri potest alium ducere, & alteri nubere eo viuente. probatur ex 1. Cor. 7. *præcipio non ego, sed dominus vxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manet innupta.* & Matth. 5. *qui dimissam duxerit, mœchatur.* Secundo, ex can. licitè. can. omnes. can. hi verò. 32. q. 7. & cap. gaudemus de diuort. & ex Trid. sess. 24. can. 7. de sacram. matrimonij. & ex communi sententia patrum, & doctorum. d. Tho. in addit. q. 62. art. 5. Sot. d. 36. q. vnica. art. 5. Neque obstant adducta in contrarium; nam Matth. 19. est exponendus cum August. per alia loca euangelij; nam Marc. 10. dicitur, quòd *quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si vxor dimiserit virum, & alium sumpserit, Mœchatur.* idem Luc. 16. Vnde patet cum dicit, *& aliam duxerit,* illa particula (*&*) nō est sumēda copulatiuè, sed disiunctiuè, seu in sensu diuiso. Sot. ex Matth. 5. quare prohibetur vxorem ducere etiam quoad torum, nisi causa fornicationis. sed aliam ducere prohibetur sine exceptione. coniunxit autem ambas partes, quia loquebatur contra iudæos, qui solebant vxorem dimittere, & aliam ducere, sed intelligitur in sensu diuiso, vt dixi. Ad secundum ex Ambros. Resp. primo, quòd ille locus fuit deprauatus, vt docet Magist. d. 36. & d. Tho. in 1. ad Cor. 7. Sot. art. 5. acit. nam idem Ambr. in 1. ad Cor. 7. super illa verba, *mulier alligata est legi,* (ait) hæc idcirco prosequitur, vt doceat, quòd mulier etiam si à viro fuerit derelicta, nubendi licentiam non habet. Secun

do, alij-

do, alij dicunt illa commentaria non esse Ambrosij. Tertio dici potest, non mirum in hoc errasse, cùm nondum esset definitum ab ecclesia. & ita dici potest ad autoritatem aliorum.

Octauum dubium. An ob alias causas fieri possit diuortium ad tempus? Resp. affirmatiuè; primo, ob sæuitiam magnã alterius coniugis. cap. literas. de restit. spoliat. & cap. 1. de lite non contest. nisi vir daret sufficientem cautionem de non offêdenda vxore. Secundo, si alter coniux esset veneficus, vel filios occideret, &c. Tertio, si furiosus. Quarto, si trahat aliquo modo alterum in peccatum. exempla sunt in Nau. cap. 22. nu. 22. Non obstat textus euangelij; qui solum dicit; *excepta causa fornicationis*; quia ibi loquitur de diuortio perpetuo. nos hic loquimur de temporali.

Nonum dubium. An post diuortium vir, & vxor possint reconciliari? Resp. posse, si adultera, seu nocens, emendetur. si autem sit incorrigibilis, non potest. d. Tho. in addit. q. 62. art. 6. Tab. verb. matrim. 4. q. 9. Sot. d. 36. q. vnica. art. 6. & alij. Dices, an si innocens post diuortium reuocet nocentem, illa teneatur redire? Resp. affirmatiuè. d. Tho. art. 6. cit. ad 3. Tab. q. 5. & alij. quia in fauorem illius factum est diuortium; ergo vbi pars vult cedere iuri suo, potest.

Decimum dubium. An facto diuortio liceat vtrique coniugum religionem ingredi? Resp. primo, certum est innocentem in cuius fauorem factum est diuortium, posse licitè ingredi religionem, etiam altero inuito; vt docet Riccard. d. 35. art. 4. q. 2. Secundo, certum est multo magis, quando alter qui fuit in culpa vouit castitatem, vel etiam ipse ingreditur religionem; quia sic, etiam sine diuortio liceret ex consensu mutuo. cap. cũ sis. de conuers. coniug. Tertio, certum est quòd quando innocens vult reconciliari ante transactum biennium, tenetur adultera reconciliari. nec ei liceret tunc vouere castitatem, vel ingredi religionem, &c. tota difficultas est, An quando innocẽs non vult dare licentiam, possit adultera transacto biennio profiteri in religione. & an de licentia innocentis possit ante biẽnium profiteri, altero in seculo permanente sine voto castitatis. ratio difficultatis est, quia in cap. cùm sis. de coniug. habetur id nõ licere, nisi vterque religionem ingrediatur. vel sit senex, & velit in seculo remanere, nisi castitatem voueat. Resp. ad vtranque affirmatiuè, ex cap. gaudemus. de diuort. & ibid.

gloſ. Abbas. & alij communiter. quare in eo caſu non licet innocenti facta profeſſione adulteram reuocare; vt docent communiter doctores. Riccard. d. 35. art. 3. q. 2. Palud. q. 2. art. 3. ad 1. Gabr. q. vnica. Bonau. q. 5. Sot. d. 36. q. vnica. art. 6. Angel. matrim. 4. Sylu. diuortium. q. 10. & 13. Roſell. §. 10. Hoſtiens. Panorm. in cap. conſtitutus. de conuerſ. coniug. qui dicunt in caſu propoſito poſſe ingredi religionem, nec faciunt mentionem de voto innocentis. imo cum dicunt non poſſe reuocare poſt profeſſionem, innuunt non vouiſſe caſtitatem. ita expreſſè Nauar. Adde, quòd iniquũ eſſet cogere innocentem innitum ad vouendum; preſertim cùm nullus Canon, vel doctor id dicat. Nec obſtat caput cùm ſis. cit. quia loquitur de eo qui ſine diuortio daret alteri licentiam ingrediendi religionem.

De pluralitate vxorum, et de ſecundis nuptijs; ſeu de Bigamia. V I I I.



RIMVM dubium. An habere plures vxores ſit contra ius naturale. Reſp. prima ſententia eſt Aureoli apud Capreol. d. 33. quòd ſit contra ius naturæ, & intrinſecè malum. Secunda eſt Dur. qui tenet non eſſe contra ius naturæ vllo modo, quamuis melius eſſet habere vnam. idem Scot. Caiet. & Abulenſ. Tertia eſt d. Tho. in addit. q. 65. art. 1. quòd non ſit ſimpliciter contra ius naturæ, & indiſpenſabile. ſed aliquo modo. ſequitur Riccard. d. 33. q. 1. art. 1. Palud. q. 3. Maior q. 1. Sot. q. 1. Anton. 3. p. tom. 4. cap. 10. §. 2. Pro intelligentia, Nota primo diſtinctionem inter ius naturæ, & inclinationem, & inſtitutionem. de qua d. Tho. & Sot. ſupra. ſecundo nota. quòd in iure naturæ ſunt gradus; quidam enim ſunt prima præcepta, velut prima principia; quædam ſunt ſecunda præcepta quæ à primis deriuantur. d. Tho. ibid. Tertio nota, quòd ex d. Tho. ſupra, ad quartum, ius naturale tripliciter ſumitur: Primo, dicitur ius naturale quod à natura eſt inditum. Secundo, quod eſt de iure diuino. Tertio, ſtrictiſſimè pro eo quod naturalis ratio dictat de his quæ ſunt homini, brutiſque communia. Quarto nota,

nota, quòd finis matrimonij est triplex; primarius est generatio, & educatio prolis. Secundus, est mutua communicatio actionum, & affectionum. Tertius, est significare vnionem Christi cum ecclesia, cui conuenit matrimonium in quantum est sacramentum. Vnde huic triplici fini respondet triplex bonum; proles, fides, & sacramentum. His positis Dico primo, pluralitas vxorum respectu vnius vxoris, est contra ius naturę in primo gradu, idest intrinsecè mala; quia repugnat primo fini matrimonij. d. Tho. supra. Sot. ar. 3. vnde nunquam id fuit licitum. Secundo dico, quòd pluralitas vxorum respectu vnius viri, non est contra ius naturæ in primo gradu, ita scilicet vt sit indispensabile, quia non repugnat præcipuo fini matrimonij, tũ quia in veteri lege fuit dispensatum, & fuit vsus apud omnes gentes. Tertio dico, quòd pluralitas vxorum aliquo modo est contra ius naturæ, quia vt plurimum est contra concordiam, seu contra secundum bonum matrimonij, tertium autem finẽ omnino tollit, quia sicut Christus est vnus, ita vna ecclesia. d. Thomas supra. ex his infertur primo, quòd ius naturæ non dãnat in omni casu per modum præcepti pluralitatem vxorum. Secundo, quòd in iure naturæ non esset irritum matrimonium cum pluribus vxoribus.

Secundum dubium. An pluralitas vxorum olim prohibita fuerit iure diuino. Resp. Aureol. affirmat. Dur. negat. melius tamen dicendum puto cum d. Tho. supra. art. 2. ad 2. fuisse quidem prohibitam iure diuino, non tamen esse ita intrinsecè malam quin esset dispensabilis. hinc infertur, quòd sancti patres licitè habuerunt plures vxores, fuit enim cum illis dispẽsatum saltem per internam inspirationem. Sot. d. 3. q. 1. art. 2. præterea infertur peccasse in hoc gentilis, nisi per ignorantiam excusaretur. Sot. ibid.

Tertium dubium. An polygamia sit prohibita lege euangelica. Resp. affirmatiuè; & est de fide. Matth. 5. & 19. & 1. Cor. 7. item ex cap. gaudemus. de diuort. & tit. de sponsa duor. & ex can. si quis. 32. q. 7. & definitur ex Trid. sess. 24. can. 2. de sacram. matrim. denique ex vsu ecclesiæ, quæ id nunquam permittit. Vnde infertur, multo magis peccare nunc gentiles qui plures habent vxores, cùm diuina lege euangelij prohibitum sit. & eadem ratione matrimonium cum prima est validum. cum alijs verò esset illicitum.

Quæ-

Quartum dubium. An aliquando fuerit licitum habere concubinam? Resp. concubina dupliciter sumitur in scriptura; primo, pro muliere quæ cognoscitur ab aliquo sine fine coniugali, & hoc est peccatum diuina lege prohibitum. Trid. sess. 24. cap. 8. de reform. Secundo sumitur pro muliere quæ cognoscitur ab aliquo sociato vinculo coniugali, tamen differenter ab alijs vxoribus principalibus; sic Abraham, Dauid, Salomon habuerunt concubinas. & harum meminit caput 12. Apostolorum. & habetur cap. si quis. d. 33. & concilium Tolet. primum cap. 12. & habetur d. 34. can. is qui. quòd autem in scriptura hæc sumatur pro vera vxore, probatur Gen. 26. Agar dicitur concubina, & ibid. vxor. similiter aliæ; vt obseruat August. l. ciu. cap. 34. & in can. 12. Apostolor. nam alioquin illa non esset irregularis. dicuntur autem concubinæ secùdum aliquos, quia patres habebant vnam vxorem principalem, cæteras autem vocabant concubinas. sed non placet; quia habebant etiā plures principales, vt de Dauide, & Salomone legimus; ratio igitur hæc est; quia licèt fuerit vxor, tamen differebat à vera vxore quatrupliciter. Primo, quia erat minoris autoritatis apud virum. Secundo, quia vxores assumebantur pares nobilitate; at concubinæ etiam ignobiles. Tertio, filij concubinarum non succedebant in hæreditate, Gen. 25. & ad Galat. 3. Quarto, ex d. Tho. q. 65. art. 5. supra. quia vxores ducebantur ad prolem generandam, & ad mutuum obsequium; sed concubinæ ad prolis propagationem tantum. & hac phrasi scripturæ vsi sunt patres. Vnde sic exponendus est canon secundus Apostolorum. & canon non omnis 32. q. 2. & alij similes, vt notat Gratianus d. 34. can. omnibus serius. vbi ait, concubinam dici, quæ cessante legalibus instrumentis vnita est, & coniugali affectu asciscitur. Adde, quòd antiqui vocabant concubinas, quas priuatim in vxores assumebant. & ex his solutum est dubium.

De Bigamia.



Q Voad Bigamiam nota primo, Bigamia est status coniugati cum duabus coniugibus sine ante, siue post baptismum ductis. can. acutius. d. 26. & exponit Nau. cap. 27. num. 195. Nota secundo, ex d. Tho. supra. Sylu. verb. bigamia, quòd bigamia qua-

quadrupliciter contrahitur. Primo, si quis habet plures vxores de iure successiuè. Secundo, cum simul habet plures, vnam de iure, alteram de facto. Tertio, cum habet plures successiuè, vnam de iure, alteram de facto. Quarto, quando viduam ducit vxorem, de secunda dictum est supra. de alijs, hic dicendum. Tertio nota, quòd bigamia est triplex: Vera, interpretatiua, & similitudinaria. de qua Nau. supra. & Sylu. verb. bigamia. q. 2. Quarto nota, fuisse hæresim Nouatianorum, & Montani, qui secundas nuptias damnauerunt; quos sequutus est Tertull. l. de monogamia. contra quos August. l. 1. de hæres. cap. 26. Sot. d. 42. q. 3. art. vnico. His positis dico primo, de fide tenendum est secundas nuptias esse licitas, probatur ex d. Paulo ad Rom. 7. & 1. Cor. 7. & ex tit. de secundis nupt. & exemplo sanctorum patrum, vt patet ex Gen. 5. de Abraham, & Deuter. 24. vbi, habetur in lege veteri id fuisse præceptum. Nec obstat quòd aliquis sanctorum patrum videatur damnare secundas nuptias, vt Chrysost. & habetur in can. hac ratione. 1. q. 1. & ambros. 1. Cor. 7. nam per hyperbolem loquuntur; eo quòd secundæ nuptiæ videntur indicare incontinentiam, & sunt minùs perfectæ quàm continentia. eodem modo exponi potest can. de his qui. 31. q. 1. d. Tho. q. 63. art. 1. & Sot. supra. Secundo dico, quòd secundæ nuptiæ sunt verum sacramentum, quia continent essentialia matrimonij. Nec obstat, quòd non significant coniunctionem Christi cum ecclesia; quia illa significatio vnius cum vna non est de essentia sacramenti; sed solum vt significet coniunctionem; & accidentarium est, quòd significet vnitatem; d. Tho. & Sot. supra. Tertio dico, quòd omnis bigamia quocunque ex dictis modis contrahatur, inducit irregularitatem, in qua dispensare potest Papa. Sed in aliqua etiam potest Episcopus; vt Nau. cap. 27. num. 195. & seq. Sylu. verb. bigamia. Dices primo, An clericus in minoribus, vel laicus contrahens cum vidua, siue corrupta inualidè ob aliquod impedimentum, efficiatur irregularis? Resp. negatiuè, & in sacra pœnitentiaria conclusum est, vt refert Nau. supra. Secundo dices, An qui sine matrimonio habet plures concubinas, sit bigamus, & irregularis? Resp. negatiuè, cap. penult. de bigamis. vt docet Nauar. supra. num. 196. Dices tertio, An sit irregularis qui contrahit cum dispensata alteri, quæ tamen est virgo? Resp. negatiuè, ex cap. debitum, de bigamis; & docet Nau. ibid. Quarto dices, An

sit ir-

sit irregularis qui cum multis contrahit, non tamen habet copulam nisi cum vna tantum. Resp. negatiuè, vt ait Nauar. ibidem. & hæc de matrimonio, & septem Sacramentis nouæ legis.

Deo Laus, honor, & Gloria.

Imprimatur.

Petrus Antonius Ghibertus Locumtenens,

M. Cherubinus Ver. Aug. Theologus Curiæ Archiepiscopalis, Regist. fol. 27.

D. Gabriel Lottberius P. Regularis Deputatus vidit.

Ex commissione Curtij Palumbi Vicarij Gen. Cap. Neapol. Laurentius Masellius vidit.

Grauiores in prælo lapsus   sic corrige.

Pag. lin. 43 12 *tactus actus* 59 23 *quarum quorum* 18 32 *materiam materiæ* 93 1 *presbyteri presbyterij* 101 26 *confert, vt sic confert vt sic,* 120 5 *argumentum augumentum* 126 18 *confirmatione confirmationem* 127 34 *trum patrum* 33 15 *eoque eoquòd* 23 *conburrendum conburendum* 30 *Polagij Pelagij* 143 3 *casua causa* 23 *erga ergo* 154 3 *vt eas vt ens* 152 1 *&c. at quis definiri? at quis definiet?* 154 15 *filigne filigine* 157 4 *quia quin* 180 29 *conuertit conuerti* 181 31 *cùm cum* 183 5 *gestum gustum* 9 *digerire d gerere* 184 25 *constitutum constitutiuum* 39 *quòd quod* 189 15 *debere deberet* 34 *numerabilis numeralis* 197 39 *coporis corporis* 203 22 *destruendum destruendo* 207 22 *conuersionalis intentionalis* 221 1 *sic hic* 233 13 *facit faciat* 1 *Dominum Dœmonum* 375 13 *loquantur loquuntur* 384 36 *sextus sexta* 472 480 13 7 *conseruare consecrare* 478 15 *confirmatus consecratus* 490 20 *ignoras ignorans* 492 33 *confitenti confitendi* 501 11 *confessione confessione. Resp. non oriri nisi ex confessione sacramentali, &c.* 534 29 *sacerdos sacerdotes* 536 30 *Vndecimum Duodecimum* 685 2 *dodem eodem* 689 17 *teneat ut teneat* 714 29 *Dicestertio, Tertio.*

Reliqua notiora in typis errata, legenti patent.



INDEX TRACTATVVM, CAPItum, ac dubiorum, quæ in hoc libro continentur.

TRACTATVS PRIMVS, de Sacramentis in genere.

Caput I. De natura, & definitione Sacramenti.

Caput II. De Ministro Sacramentorum.

Caput III. De necessitate Sacramentorum.

Caput IV. De Ministro.

Caput V. De suscipientibus Baptismum.

TRACTATVS TERTIVS, De Sacramento confirmationis.

Vige-

Vige-

Caput IX. De Ministro.

Caput X. De suscipiente.

TRACTATVS QVINTUS, De Sacramento poenitentiae.

Caput I. Complectitur nonnulla dubia.

Sextum

Caput II. De peccato in genere.

TRACTATVS SEXTVS.
De contritione.

Caput vnicum. Continet aliquot dubia.

TRACTATVS SEPTIMUS. De confessione Sacramentali.

Caput I. De necessitate confessionis.

Caput IIII. De effectibus Confessionis, & ipsius defectibus.

Caput V. De forma absolutionis Sacramentalis.

Caput VI. De Ministro Confessionis, id est de Confessore.

Quar-

Caput VII. De sigillo confessionis.

TRACTATVS Octauus. De satisfactione.

Caput vnicum, continet nonnulla dubia.

TRACTATVS Nonus. De clauibus, & potestate ecclesiastica.

Caput vnicum. habet aliquot dubia.

TRACTATVS Decimus. De extrema vnctione.

Caput III. De forma.

Caput IIII. De Ministro.

TRACTATVS Vndecimus. De ordine Sacro.

TRACTATVS duodecimus. De matrimonio.

Caput IV. De bonis matrimonij, &c.

Vige-

Qua-

Caput V. De impedimentis matrimonij.

FINIS.

